Bibliotheca
– artium –

EX LIBRIS DOMUS S.I.

IMMACULATÆ CONCEPTIONIS

AQVENSIS –

Digitized by Google

X 707/172

BIBLIOTHÈQUE S. J.
Les Fontaines
60 - CHANTILLY

Digitized by Google

JACOBI FACCIOLATI

ORATIONES

ET ALIA AD

DICENDI ARTEM

PERTINENTIA.



PATAVII, MDCCXLIV.

Typis Seminarii.

Apud Joannem Manfrè.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

BIBLIOTHÈQUE S. J.
Les Fontaines
60 - CHANTILLY

Digitized by Google

EMINENTISS. AC REVERENDISS.

CAROLO
CARD. REZZONICO
EPISCOPO PATAVINO

AUCTOR

OMine accidit valde bono, ut cum ego viam aliquam & rationem quærerem, qua meam erga te voluntatem publice patefacerem, lucubrationes iſtæ nova quadam forma diſpoſitæ atque ornatæ ex Typographica Seminarii officina rurſus exirent. Sic enim fit, ut rei occaſio mihi jucundiſſimæ non tam quæſita, quam oblata videatur. Neque vero mireris, aut me, aut quemquam alium ex hac Civitate

tanto in te ſtudio commoveri. Cepiſti enim cunctorum animos admirabili quadam virtutum abundantia, quarum, ut verum fatear, nemo noſtrum imaginem ſibi totam ne cogitando quidem effinxerat. Quod cum dico, nolim ſuſpiceris, levem de te noſtrorum Civium expectationem fuiſſe. Vix nobis ſpes aliqua affulſit habendi tui, & primus ille rumor eſt allatus, qui hominum ſenſa ſine fuco manifeſtat, cum protinus exarſere vota omnium, ut ne juſtas quidem moræ cauſſas, quæ graviſſima negotia plerumque comitantur, pro ſuo in te animo ferre vellent. Scilicet fama nominis ſtudia incendebat, & tacita quædam animorum præſenſio certe non vana, cujus tamen ratio, ut eſt humana mens ipſa ſibi ignota, reddi non poteſt. Illud vero nobis maxime mirum fuit, &, ſi quæris, etiam moleſtum, te unum de te ipſo dubitare. Oblata enim tibi Sede hac ab eo Pontifice, qui pro ſua ſapientia rerumque uſu nihil umquam temere facit, attamen dies aliquot ad deliberandum poſtulaſti. Quorſum ſpectabat

cun-

cünctatio iſta, quæ nos ancipiti metu ſuſpenſos aliquandiu tenuit? Videlicet ab illo ipſo, qui te vocabat, jam didiceras, ut eſt in divino ejus Opere de Beatific. & Canonizat. l. 3. c. 31. Epiſcopale munus nec quæri debere, nec omnino deſiderari, atque adeo ne promto quidem ac libenti animo recipi, niſi quatenus ad opus laboremque refertur. Neque tamen ignorabas, quanti eſſet, quod tibi offerebatur. Liceat enim mihi de rebus noſtris paullo liberius gloriari. Urbs hæc, ſi antiquitas & nobilitas quæritur, Trojanos conditores habuit; & illi ipſi, cui nunc paret, conditores dedit: ſi loci opportunitas, inter mare monteſque poſita, & quaquaverſus flumine irrigua, rebus omnibus abundat, quas terra gignit, & hominum induſtria undique importat: ſi ſoli cælique ſalubritas, hoc vero eſt, cujus cauſſa in primis frequentatur, advenientibus quotidie multis, ut Patavini aeris aſpiratione, quaſi medicamento aliquo delibuti ac perpurgati, priſtinæ ſaluti reddantur. Quod ſi Lycea maxime & San-

ctorum virorum Reliquiæ miraculorum fama celebratæ loca nobilitant, quæ urbs in Italia eſt, quæ noſtræ anteferri jure poſſit? Fuere alibi Academiæ ad invidiam uſque floridiſſimæ; fuere templa miraculis illuſtria, hominumque ad ea peregrinationibus frequentata: ſed fato rerum humanarum ita intercidere, ut jam veteris gloriæ veſtigium aliquod vix retineant. Contra autem ſtant adhuc decora noſtra ad ſæculum jam quintum propagata; adhuc Patavini Gymnaſii ſplendor ac dignitas Italiæ prælucet; adhuc Antonii Patavini gloria in admiratione eſt, atque ex omnibus terræ partibus peregrinos trahit. Amplitudini Civitatis amplitudo reſpondet Epiſcopatus, qui ab ipſis Apoſtolorum temporibus initia duxit per Proſdocimum Petri diſcipulum, niſi nos rerum noſtrarum monumenta fallunt. Ditio ejus longe lateque extenſa in ipſos vicinarum provinciarum fines; Canonicorum collegia in eo plura ad Oppidorum ſplendorem inſignia, urbanum vero præcipue clarum, nec hujus modo, ſed multa-

tatum præterea regionum facile primum; Seminarium alumnorum frequentia, & omnium rerum bonarum diſciplinis florentiſſimum; Parœciæ, Monaſteria, Sodalitates, Sacrarum Virginum Cœtus, Hoſpitalia, Curotrophia, & multa, & rectiſſime adminiſtrata; poſtremo tantis rebus cum dignitate ſuſtinendis æquale patrimonium. Itaque locus ipſe pro tanta ſui amplitudine ac nobilitate ſatis oſtendit, quos homines poſcat. Ac primi quidem Epiſcopi, quibus pugnandum modo cum infidelitate, modo cum barbarie fuit, in Cœlitum album relati ſunt; reliqui magno ſemper in honore habiti, aliquando etiam Principes ac Moderatores Civitatis conſtituti. Quid quod apud Epiſcopum ipſa hæc tanti nominis Academia rudimenta poſuit; ejuſque præſidio & auſpiciis diutiſſime ſtetit ac floruit? Veteris hujus auctoritatis argumenta adhuc remanent pulchra & honorifica in Magni Cancellarii titulo, quem ita Franciſcus Barbarus interpretatur, ut Scholaſtici ordinis principem ſignificet. Quamobrem apud Epiſcopum Diſciplinarum,

Urſatus an. 1049. & 1058.

rum

rum & Artium Collegia coguntur; Epiſcopus eorum, qui probari cupiunt, examini præeſt; titulos Academicos, omnemque docendi & interpretandi facultatem Epiſcopus impertitur. Enimvero tanta hæc loci decora atque ornamenta, quæ homines admiratione imbuunt & alliciunt, interdum etiam deterrent. Te tamen, Princeps Eminentiſſime, deterrere non debebant, magni animi Virum, ad Epiſcopalia onera ſuſtinenda viribus & ætate florentem, totius Eccleſiaſtici juris peritum, in maximis Romanæ Curiæ rebus diu multum exercitatum, ad pietatis & religionis officia indole quadam tua, veterique inſtituto paratiſſimum. Nolim videri latius vagari, quam conſilii ratio initio ſuſcepti, aut Epiſtolæ modus ferat. Sed niſi rem totam explicuiſſem, nec Tu conjicere poſſes, quinam eſſet noſtrorum animorum ſenſus, cum primum de Te ſermo in hac urbe iniectus eſt, nec alii fortaſſe intelligerent, quid tandem ſit expectationi huic tantæ reſpondere. Ad rem præſentem quod attinet, ſic velim Tibi

per-

perſuadeas, pietatis ac religionis cuſtodiam a litterarum cura ſejungi non poſſe. Siquid autem ex hoc libro, quod me quidem ſperare juvat, delibare volueris, ſtatim cognoſces, ad eorum in primis inſtitutionem ſcriptum fuiſſe, qui in Eccleſiæ Patavinæ ſpem tuis auſpiciis aluntur. Vide igitur, num alio nomine, quam Tuo ornari ac muniri debuerit. Quivis alius, qui Te in ejuſmodi rebus compellet, videri poſſit officioſe facere; mihi aliter facere ne liberum quidem fuit. Ceterum ſi Tu, Princeps Eminentiſſime, factum probas, & jure factum concedis, ego beneficii loco accipio, & quidem longe maximi; cujus gratia nihil umquam prætermittam, quod me in ære tuo eſſe, cum ætati huic noſtræ, tum vero etiam poſteris qui noſtra legent, oſtendere poſſit. Vale.

TY-

TYPOGRAPHUS

DE HAC EDITIONE.

*L*ibrum hunc ad Latinæ eloquentiæ ſtudia incitanda rurſus editurus*, Acroaſes Dialecticas, *quæ olim Orationibus acceſſerant, omittere conſtitui; quod non tam ad copioſe eleganterque dicendum, quam ad acute diſputandum conferre videantur. Quamquam duo hæc ſapientum judicio non valde diſtant; &, ſi recte conjungantur, tum vero mirabile illud ſolet exiſtere, quod tacito quodam ſenſu homines ducit, & vel invitos ſequi cogit. Hinc illæ ſemidoctorum querelæ, placere quædam ac probari, in quibus nihil ipſi vident niſi voculas. Attamen, ut nunc eſt, omittere Dialectica libuit, quibus alius non deerit locus. Et quia Typographo molis etiam habenda ratio, curavi mihi Orationes alias, quas vel Auctor ipſe aliis temporibus dedit, vel eorum adoleſcentum nomine ſunt emiſſæ, qui,*

manu-

manuducente Profeſſore aliquo, Patavinis ſtudiis proludere ſolent. His adjeci Epiſtolas Philologicas, & librorum Præfationes ſuperioribus annis ab eo ſcriptas vel Typographorum gratia, vel juvenum ad ſcholaſticas concertationes prodeuntium, vel aliorum qui eas certis de cauſſis non vulgarunt. Nihil erat, quod ille quidem concedere minus vellet, quam genus hoc lucubrationum; ſed nihil item, quod a me vehementius expeteretur. Nam hic revera locus eſt, ubi qui in dicendo non valent, quamvis ceteroquin docti, fere frigent ac deficiunt, ob id ipſum difficilis, quia quotidie teritur. Oportet igitur exempla eſſe quamplurima, quibus regantur ingenia, & quodammodo alantur. Cave tamen putes, me omnia, quæ huc ſpectant, collegiſſe. Explere enim multorum deſideria volui, ſed ſimul illud curavi, ne fatigarem ſatietate. Vale.

TA.

TABULA SYNOPTICA.

PARS I.

I.	Oratio ad Grammaticam.	pag. 1
	Commentariolum de ortu, interitu, & inſtauratione linguæ latinæ.	19
II.	Oratio ad Humanitatem.	44
III.	Ad Rhetoricam.	60
IV.	Ad Philoſophiam.	77
V.	Ad Theologiam.	96
VI.	Ad S. Scripturam.	113
VII.	Ad Juriſprudentiam.	131
VIII.	Ad Hiſtoriam.	149
IX.	Ad Ethica.	166
X.	Ad Mathematicam.	186
XI.	In Funere Card. Cornelii.	204
	De ejuſdem Card. Cornelii Vita.	215
XII.	In Funere Al. Piſani Ducis Venet.	218
XIII.	Ad Dialecticam.	232
XIV.	De Rhetoricæ & Dialecticæ differentia.	253
XV.	Ad inſtauranda Artium ſtudia.	270
XVI.	Ad inſtauranda Artium ſtudia.	283
XVII.	Ad inſtauranda Juriſprudentiæ ſtudia.	294
XVIII.	Ad inſtauranda Artium ſtudia.	303
XIX.	Ad inſtauranda Artium ſtudia.	313

PARS

Digitized by Google

P A R S. I I.

	Præfationes librorum.	326
	Epiſtola Philologica I. de Vita Philippi A Turre Epiſcopi Adrienſis.	390
II.	*De Actione Oratoria.*	398
III.	*De voce* Mehercule.	404
IV.	*De Petro Bembo.*	408
V.	*De voce* Ἀγχέμαχος.	410
VI.	*De voce* Nepos.	413
VII.	*De vocibus* Artopta, Locare, & Nota.	421
VIII.	*De Latinis tranſitionum formulis.*	427
IX.	*De vocibus* Admodum, & Aborior.	432
X.	*De Livii Patavinitate.*	436
	Academicæ Commiſſiones ad uſum Seminarii Patavini.	440
	Scholaſticæ Diſputationes ad uſum Seminarii Patavini.	508

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. Fr. *Antonio Ambrogi Inquiſitore del S. Off. di Padova*, nel Libro intitolato: *Jacobi Facciolati Orationes, & alia ad dicendi artem pertinentia*, non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Gio: Manfrè Stampatore di Venezia*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli Ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Data li 9. Aprile 1744.

(Daniel Bragadin Cav. Proc. Rif.

Reg. a car. 30. al num. 195.

Michel Angelo Marino Segretario.

Adi 17. Aprile 1744. Reg. nel Mag. Ecc. degli Eſecutori contro la Beſtemmia.

Alviſe Legrenzi Segretario.

PARS

PARS I.

Quæ complectitur

ORATIONES XIX.

ORATIO I.

AD GRAMMATICAM

Habita in Seminario Patavino coram

GEORGIO CARD. CORNELIO.

Latina lingua non eſt ex Grammaticorum libris comparanda.

QUoties ex hoc ornatiſſimo loco publice dico, ita delector præſentia veſtra, & celebritate hac litteratorum hominum tanta, ut ſatis amplum mihi videar, non unius modo orationis, ſed ingentium laborum fructum collegiſſe. Unum enim dicere, tacentibus omnibus, cum eſt ubique glorioſum, tum vero ibi maxime, ubi qui audiunt & frequentiſſimi ſint, & rebus omnibus ad ſubtiliter graviterque judicandum in-

ſtructiſſimi. Non tam hercule olim illuſtre fuit, florente republica, Romæ dicere, ſive in foro, ſive in curia, ubi nullo delectu habito, promiſcue omnes ſubſellia occupabant; quam eſt hoc tempore, hoc in loco, unde lectiſſimum quemque ex omni litteratiſſimæ Civitatis ordine circumſpicio, Theologos, Philoſophos, Medicos, Mathematicos, Juriſperitos, atque horum ſane plurimos, qui eloquentiæ laudem cum ſua quiſque arte conjungunt. Videte, quæſo, Auditores, in veſtro beneficio quantopere mihi placeam. Ego equidem litterarum ſplendorem ac dignitatem cum Magiſtratuum imperio & majeſtate minime comparo: ſed tamen cum veteres Romanorum ſupplicationes, ovationes, triumphos in mentem revoco, plane non tanti facio, ut ampliſſimæ huic mihique jucundiſſimæ dicendi exercitationi præponam. Nullus enim hic plebi locus eſt, nullus feminellis, inſanæ clientium turbæ ad plauſus & acclamationes plane nullus; ſed & viri totius Civitatis principes ad dignitatem, & Patres omnium ordinum graviſſimi ad honeſtatem, & Doctores Collegiorum omnium ſapientiſſimi ad judicium, & ingenui adoleſcentes ad gratiam & celebritatem convenerunt: quorum lætæ frontes, & ſecunda admurmuratio dicentem poteſt mirum in modum erigere, ac beatum prorſus efficere. Verum felicitas hæc humanarum omnium, ut mihi quidem videtur, longe maxima, quam eſt infinitis prope difficultatibus ac periculis circumſepta! Cujus eſt, bone Deus, tanta ingenii vis ac fecunditas ad res præclariſſimas inveniendas, diſtribuendas, ornandas, ut ne leviter quidem ul-

la in parte deficiat, nuſquam incurrat, diſpliceat nemini? Sunt enim eodem tempore præſtanda multa, diverſa, ac prope contraria; nec ſolum laborandum quomodo dicas, ſed in primis qua de re dicas: ut ſi ſemel in re proponenda alicujus animum offendas, eum deinceps habeas in tota oratione averſum. Eſt qui nihil velit audire, niſi vetuſtum; quoſdam gratia tantum novitatis conciliat; alii Græcas Latinaſque eruditiones poſtulant; amplificatione alii delectantur: eoque ſunt ſinguli acumine ingenii, quibus ut imponas, nulla arte conſequaris. Hæc me reputantem, ac ſæpe antea expertum juſſere denique libertatem illam abdicare, quæ ſolet ceteroquin ex hoc ſuggeſto dicentibus concedi omnibus, ut de re qualibet ſuo quiſque arbitratu verba faciant. Quare quem mihi ordinem ipſa ſtudiorum ratio ac natura præſcribit, eum in poſterum religioſe ſervabo, ut hoc quidem tempore de Grammatica, tum de Humanitate, poſt de Rhetorica, deinde de Philoſophia, poſtremo de reliquis diſciplinis, ut quæque ſolet addiſci, orationem habeam, & quod de ſingulis ſentio, id quotannis exponam. Ita mihi boni Superi tantum vitæ concedant ac virium, ut curriculum hoc primum conficiam, deinde non improſpere; libenter tum demum ceſſurus aliis provinciam, cum laboribus & ætate confectus vel fato fungar, vel in otio honeſto conquieſcam. Interim de Grammaticis ſtudiis, quibus ſolet ætas prima occupari, non raro etiam altera, aliquando & poſtrema, quid mihi videatur, habete; & qua ſoletis benignitate, diligenter attendite.

Etſi omnes artes ac diſciplinas in dies amplificari tam eſt rei litterariæ glorioſum atque utile, quam Reipub. augeri opibus & imperio; tamen quod Reipub. accidit, ut nimia creſcendi libidine non raro decreſcat, idem ſolet in hoc litterarum quaſi regno evenire. Nihil ego de Platonicæ Philoſophiæ, nihil de Peripateticæ fatis, variaque fortuna diſputo, quarum utraque tum demum vel corruit, vel certe plurimum detrimenti cepit, cum impotenti ſectatorum ſtudio altiſſime evecta, in præcipiti ſtetit, ac mole ſua laboravit. Unum illud Latinitatis tradendæ artificium urgeo, quod Grammaticen communiter appellant; opus ſuapte natura exiguum ac tenue, ſed immodica hominum induſtria adeo amplificatum, ut volenti omnia percurrere nihil ſit niſi Grammaticum tota vita legendum. Conatus hos præſtantium virorum, ſi eo ſpectant, ut Latini ſermonis diligens quædam hiſtoria extet, non ſolum non reprehendo, ſed etiam laudo: ſin vero nobis Latinitatis diſcendæ gratia oſtentantur, longiſſime abjicio, nulliuſque eſſe momenti, nullius utilitatis contendo. Prima enim illa Guarini Veronenſis rudimenta ut corrigerent & illuſtrarent, boni præceptores depravarunt; eoque res demum deducta eſt, ut qui velit Latine ſcire, hunc ſibi a Grammaticorum inſidiis cavere maxime oporteat. Quod ut evincam, cum mihi neceſſe ſit de Grammaticorum tricis & ambagibus aliquanto diſputare liberius, quæſo vos, Auditores, ne me honeſtiſſimo generi hominum infenſum putetis, qui & natura ipſa ad benevolentiam comparatus, omnem invidiæ ſuſpicionem diligentiſſime fugio, & pro ſuſce-

ſce-

ſcepto vitæ inſtituto eorum in primis amore delector, qui de litteris benemereri pro virili parte conantur. Sunt enim eorum lucubrationes etſi ad recte loquendum non neceſſariæ, tamen ad cognoſcendum non illiberales: neque ego (ita me Dii ament) induſtriam hanc magna cum eruditione conjunctam contemno; ſed parum admodum ad Latinæ locutionis uſum valere dico. Et ſane, ubi puer ſingulas nominum ac verborum declinationes memoriæ mandavit, paucaſque illas in univerſum regulas probe tenet, quibus tamquam cardinibus tota vertitur Latina lingua; quid eſt, cur ſtatim non ad Claſſicum Scriptorem ducatur, quem ſine intermiſſione verſet, memoriæ tradat, habeatque veluti unum ex familia, quicum magiſtri ope & auxilio familiariſſime loquatur ac vivat? Cum enim ille potiſſimam diei partem in ſcholis traducat, quid in cauſſa eſſe dicamus, ut perpetua rerum Latinarum tractatione Latine tamen minime diſcat; domi vero minore multo exercitatione minuſque accurata a parentibus, a nutricibus, a vernis domeſticam linguam aſſequatur? Ego certe ita mihi perſuadeo, tenellos anguſtoſque puerorum animos immenſa illa regularum, appendicum, ſcholiorum farragine terreri atque opprimi, ut ne reſpirare quidem poſſint, nedum ſe explicare, Latineque interrogando ac reſpondendo naviter audere. Quemadmodum enim ſubitarius miles ſi in confertiſſimam hoſtium aciem ſtatim compellatur, periculi magnitudine atque inſolentia deſpondet animum, ſuique prorſus oblitus vix telum expedit; ita litterariæ palæſtræ tirunculi ingentes Grammaticorum com-

mentationes aggredi juſſi, cogitatione ipſa difficultatis ac laboris exanimantur, ſpemque omnem evadendi ſtatim abjiciunt. Hinc ſcholæ tædium, hinc quæſiti ſæpe morbi, hinc impatiens vacationum deſiderium, hinc denique commenta illa callidiſſime excogitata ad otium & ignaviam, ſi fieri poteſt, impune fovendam. Hæc ego ſi probem, ad nuces profecto redire videar, & pueris ſimilia facere: ſed tamen quoties animo colligo exſucca illa, frugiſque omnis ac delectationis expertia Grammaticorum præcepta, quibus tot annos impalleſcere vivida ingenia coguntur, quadam quaſi miſeratione commoveor, juſtoque dolori libentiſſime parco. Quotus enim quiſque veſtrum (juvat præterita repetere, & memoriam pueritiæ renovare ultimam) ita fuit ad omnes litterarum labores recte compoſitus, ut ante cœperit æquo animo frequentare ſcholas, ac domeſtico carere otio, quam poſitis Grammaticis, Latinos Scriptores tractaret, eorumque lectione & imitatione Latine aliquid conaretur? Ego ſane, ut de me dicam, obruebar infinita illa atque implicatiſſima regularum ſtrue; nec pluribus votis adverſa tempeſtate jactati nautæ portum deſiderant, quam ego inde me ut expedirem, & improbi laboris terminum aliquando contingerem, Deorum hominumque opem implorabam. Ut autem ad amœniora paullo tranſivi, cœpique ex oratoribus ac poetis delibare aliquid, tum vero quaſi in novum orbem repente translatus tanto animi ardore Latinæ linguæ ſtudium arripui, ut ludorum ac vacationis oblitus, magno etiam ſæpe cum valetudinis incommodo libris diu noctu-

que

que inhærerem. Quod ſi ardentiſſimæ illi proficiendi voluntati aliquando reſpondiſſet ingenium, ut certe (magno cum dolore dico) numquam reſpondit; nec vos hoc tempore plebejo dicendi genere moleſtiſſime detinerem, nec ullus eſſet hac ætate Latinus Orator, cui de orationis nitore, numero, perſpicuitate ullo pacto concederem. Nunc vero in magna virium infirmitate ſiquid valeo, qui valeo ſane minimum, totum Ciceroni, Terentio, Livio, Cæſari, Virgilio, Horatio, ceteriſque ejus ætatis Scriptoribus elegantiſſimis debeo. Nihil a me repetundarum jure poſtulet Priſcianus, nihil Donatus vindicet, nihil Valla, nihil Sanctius, nihil ille ipſe, deliciæ quondam noſtræ, Emanuel Alvarus, quos omnes una cum crepundiis vel abjeci, vel depoſui; nec ex eo umquam in manus ſumſi, niſi per hoſce dies, ut huic Orationi materiam compararem. Excidere jamdiu animo eorum monita, excidere leges, nihilque mihi poteſt ad ſtilum retardandum contingere infeſtius, quam triſtis quædam eorum recordatio ac metus, unde ſolent arida omnia, ſicca, exanguia proficiſci. Quid enim eſt aliud Grammatice loqui, quam omnino Latine non loqui, ſi credimus Præceptori maximo Quintiliano? Nam ut omnia Grammatici vere dicant, utrum aliud efficiunt, niſi ut ſine barbariſmis, ſine ſolœciſmis ſit oratio? In quo ſi tota laus conſiſtit Latinitatis, jam ne ipſe quidem Cicero Latinus eſt, cujus libri, ſi ad Grammaticorum cavillationes exigantur, ſolœciſmis non carent. Neque vero id ignorant, ſed quæ in aliis magnopere damnant, hæc in Cicerone, mutato nomine, fi-

Inſtit. l. 1. c. 6.

guras appellant, & veluti lumina variandæ orationi accommodata valde commendant. Nituntur enim omnes Latinum ſermonem certis complecti legibus, quibus deinde contraria multa apud Latinos Auctores cum inveniant, ad ſchemata, metaplaſmos, antiptoſes, archaiſmos, helleniſmos, & id genus alia magnifica figurarum nomina confugiunt, quorum ope non quidem eorum famam tueantur, qui ſine piaculo reprehendi non poſſunt, ſed nobis illudant, ne Grammatica præcepta cum illis ipſis pugnare Scriptoribus, unde ſumuntur, intelligamus. Fuit olim Latina lingua, quemadmodum ceteræ, juris plane ſui, ex colluvione multarum gentium Romæ nata, populari convictu, communique rerum tractatione aucta, denique uſu ipſo, & ſorte quadam inveniendi ligandique verba, non ratione & conſilio ad hanc copiam propagata, numeriſque ſuis abſoluta. Hanc proinde præceptis coercere totam, perinde eſt, ac de ſcientia, non de lingua diſputare: quod Varro ipſe, analogiæ ceteroquin exactor Gell. l. 2. c. 25. moleſtiſſimus, aliquando cum didiciſſet, nullam eſſe obſervationem ſimilium docuit, & in omnibus pæne verbis unam conſuetudinem dominari. Id vero quam mirum videri debuit Alvaro noſtro, qui de ſola nominum, verborum, ac participiorum conſtructione quingentas ferme regulas non ſine multis præterea obſervationibus concinnavit! Fuit ille certe magno ingenio, magna induſtria, magna Latini ſermonis peritia, cui ego de re tota libenter concedam, ſi ſuas regulas non dicam omnes, non plurimas, non aliquas, ſed principem illam, ac ceterarum caput de verbo

bo *Amo* adverſus irruentem undique inimicorum impetum defendat, ſartamque tectam ab omni detrimento conſervet. Quid enim primum decernis, Emanuel, de verbo *Amo*? Num eſſe activum, & inter activa familiam ducere? At Auſonius ad neutra rejecit: *Ut apud Deum fieri amat*. Quid tum? Num eſſe primi ordinis, nec alium poſtulare caſum, niſi quartum? At eſt qui ſecundi faciat, eique genitivum apponat: *Nolo Thaidem amare tanti*. Quid poſtea? Vis ne eſſe primi & ſecundi? At Cicero ad quartum refert: *Si quicquam me amas*. Quid deinde? Eſſe etiam quarti? At idem in ſextum conjicit: *De rauduſculo multum te amo*. Pro pudor! Ejus rei artem efficimus ac venditamus, cujus fundamenta prima tam facile corruunt. Novi equidem, & qui analogiam ſumma ope defenderent, ab ipſa florentis Romæ ætate fuiſſe nonnullos: ſed nemo tamen cum hac noſtrorum Grammaticorum turba comparandus, qui ut nihil intentatum relinquant, ab ipſo mundi exordio, & vetuſtiſſima Hebræorum lingua Romanarum vocum cauſſas, ſimilitudinem, & originem petunt, petituri altius vel ab Arcadibus, ſi Arcades, quod Poetæ eorum jactare conſueverunt, ante lunam orti fuiſſent. Nihil novi affero apud eos, quibus eſt aliquis cum Martinio, cum Becmanno, cum Voſſio uſus. Cum his autem? Imo etiam cum viris noſtræ hujus ætatis præſtantiſſimis, qui abrepti ſæculi more, graviſſimum certamen de voculæ neſcio cujus origine nuper inſtituerunt, multaſque ac reconditas eruditiones ex Hebræis codicibus, ex Syriacis, ex Arabicis, ex Græcis ductas in tam leve negotium contulerunt.

In gratiar. Act.

Att. l. 5. ep. 17.

Att. l. 7. ep. 2.

runt. Quod ſi, quam ſunt ingenioſi ad hæc excogitanda, tam eſſent unanimes in tradendis, fortaſſe nos aliquando fefelliſſent. Verum hoc percommode cadit, quod ſibi invicem de rebus omnibus bella movent, ſeque mutuis vulneribus conficiunt: quod ipſum argumento eſt, nihil huic arti ineſſe certi, quæ homines procaces efficit, & novarum rerum nimio plus amatores. In ipſo enim ſtatim Grammaticæ limine nonne de partibus orationis principes in hac arte viri acerbiſſime pugnant? quodque ridiculum eſt, graviſſimos totius antiquitatis Scriptores Ariſtotelem, Platonem, Plutarchum, D. Auguſtinum pro ſe quiſque ſtare jubent? Perge porro. De pronominum cauſſa, numero, ac natura quam dubia, quam varia, quam ſibi contraria decernunt Varro, Probus, Priſcianus, Donatus, Quinctilianus? Hi autem ipſi inter ſe cum caſibus nomina ab officio fuiſſe indita conſentiant, nonne Scaliger tamen negat? Valla caſtigat Priſcianum, quod *ficum* morbum quartæ declinationis fecerit: rurſus in Vallam arma movet Petrus Ramus, quod *ficum* fructum maſculo genere extulerit. Scaligero commune genus peſſime a Græcis ἐπίκοινον, optime a Latinis *promiſcuum* appellari videtur: Sanctius Latinos damnat, Græcos abſolvit. Imperſonalia dicit Alvarus *decet*, *pœnitet*, *pluit*, & ſimilia: nulla eſſe imperſonalia, teſtatus Deos homineſque, Scioppius affirmat. Siquis verborum modos ſtatuat eſſe quatuor, ecce tibi qui quinque, qui ſex, qui octo, qui multo plures inducit. Eſt qui probet *gerundia*, ac *ſupina*: non deeſt, qui pura puta Grammaticorum deliramenta dicat. Alii verbis

Minerva Sanct. l. 1. c. 2.

bis in *or* Præterita tribuunt, alii adimunt. Quibuſdam placent verba Neutra, ac Deponentia, quidam toto Latio exulare jubent. Denique in tanta Scriptorum multitudine neminem unum invenias, qui malit aliorum veſtigiis inſiſtere, quam nova comminiſci, ceteroſque omnes allatrare. Nolo vos, Auditores, per ſingulas partes ducere, omneſque de Orthographia, de Proſodia, de Etymologia, de Syntaxi controverſias hoc loco explicare, ne graviſſimo officio, ne tempore, ne patientia veſtra nimium abuti videar. Percurrite, ſi vacat, quæ ſolent homines libellorum ſuorum initio longiſſime præfari, ubi ceteris, qui ante ſe de re Grammatica ſcripſere, diem dicunt, eorum lucubrationes mendoſas, nugaces, ſordidas, cloacinas (ſit verbo Scioppiano venia) audaciſſime appellant, ſeque ex Deorum immortalium ſede quaſi delapſos, allaturos optima pollicentur. Cumque ſinguli & univerſi eadem recinant, quo ſe vertant miſeri adoleſcentes? cui ſe tamquam duci tradant germana latinitate inſtituendos? Numquid Varroni? At litterarum porcus dicitur a Palæmone. Num Priſciano? At Græcum hominem latinæ Linguæ fucum feciſſe exiſtimat Alvarus. Num Vallæ? At ejus *Elegantias* Ramirezius de Prado inelegantes appellat. Num Donato, num Probo, num Servio, num Chariſio? At hos omnes paſſim labi, & monſtra effutire contendit Scioppius. Num denique Scioppio ipſi? At miſerabilis litterator dicitur ab Hornio, vir deſultoriæ levitatis a Labbeo, canis Grammaticus a Lambecio. Indignamini ad hæc, Auditores: ſed artis, mihi credite, ſeu vitio, ſeu fato quodam fieri ſolet, ut

nec

nec ſua quiſquam afferre poſſit, niſi carpat aliena; nec aliena carpere, niſi modum excedat. Quam indecoræ, quam pudendæ, quam prope inſanæ fuere contentiones illæ Poggii cum Valla, Politiani cum Merula, Scaligeri cum Eraſmo de rebus his minutiſſimis, quaſi de aris & focis? Quam illa ridicula Franciſci Philelphi cum Timotheo quodam Græco, qui de vi ſyllabæ pugnaturi, ea lege in aciem ex compoſito deſcenderunt, ut victus barba mulctaretur! O magnas nugas magno conatu actas! O vos miſeros quicumque ab his tamquam ex tripode de Latinæ linguæ ratione reſponſa petitis! Quos æſtus, quas tenebras vobis offundent Grammaticæ illæ Philoſophicæ, Minervæ, Ariſtarchi, Mercurii, Theſauri, in quibus ad criticam eruditionem multa quidem ſunt acute ac ſubtiliter excogitata, ad locutionis vero Latinæ uſum propemodum nihil! Eſt illuſtre quiddam Latinus ſermo, ingenuum, perſpicuum, tricis & ambagibus carens, quod nemo umquam ex his hominibus pugnaciſſimis conſecutus eſt: nec vero intelligo, ſcriptis ſuis quo pacto fidem concilient, quibus ipſi, quæ præcipiunt, præſtare non poſſunt. Polycletum accepimus ſtatuarum artificem totius Græciæ peritiſſimum non ante celebrem illum recte fingendi Canona in lucem edidiſſe, quam publice propoſita ſtatua, velut artis exemplo, ſuas ipſe regulas egregie præſtando confirmaſſet. Ita ſe mihi Grammatici probent: tum vero fatebor non invitus, Latine loquendi facultatem eorum præceptionibus tamquam canone probandam eſſe. Sed profecto, quod Carneades apud Ciceronem ajebat, oratoriæ artis ſcripto-

lib. 1. de Orat. c. 20.

ptorem ne mediocriter quidem diſertum fuiſſe ullum, idem de Grammaticis affirmare licet, neminem adhuc artem, quam traderet, Latine loquendi ne mediocriter quidem calluiſſe. Non eſt hujus temporis, aut loci, multo vero minus mearum virium, ſingulorum vitia commemorare: verumtamen, ne quid gratis ad invidiam afferre videar, prodeant in medium hinc Terentius Varro, veterum Grammaticorum, hinc Julius Scaliger, noſtrorum ſine controverſia princeps, quorum alter aurea ætate Deorum beneficio natus, Ciceronis æqualis & amicus, ita tamen ſcripſit, ut cum Livio Andronico Romanæ linguæ incunabulis exceptus videatur: alter vero Joſepho filio communi omnium conſenſu primas cedit; illi inquam Joſepho, cujus peregrinitates, barbariſmos, ſolœciſmos nec unos, nec leves Scioppius collegit, & in ſuo *De ſtilo hiſtorico* libro poſteritati mandavit. Tametſi Latinæ linguæ laudem (ut ante dixi) neque totam, neque præcipuam in ſolœciſmis vitandis collocari puto, quod eſt emendate loqui; ſed in ipſa potius plena ac tereti compoſitione verborum, in colore & habitu quodam, ut nihil claudicet, nihil diffluat, nihil fluctuet, ſed tota permiſta & temperata numeris, æquabiliter conſtanterque feratur oratio, quod unum eſt, ſi recte ſentio, Latine loqui. Numeroſa hæc & concinna verborum comprehenſio nulla definiri arte poteſt, nullis Grammaticorum præceptis concludi; cujus vel maximum vitium eſt, ſi de induſtria quæſita ad certas leges operoſe exigatur. In auribus eſt ſingulorum tota, & ad aurium ſenſum judicanda: quod fortaſſe olim præſtare non fuit valde diffi-

cile

cile audientibus ac loquentibus nihil niſi Latine; at vero his temporibus, niſi quis ſe totum veteribus ſcriptis dedat, & in eorum lectione & imitatione dies noctesque verſetur, nec tolerabile quippiam Latine conabitur, nec niſi inſipienter judicabit. Hinc fatuæ paſſim orationes, in quibus tam eſt perſpicuus Grammaticus labor, ut omnia macra ſint, meticuloſa, hiulca, ſine numero, ſine veneribus, ſine gratiis; quæ tamen auditori miſero laudandæ ſunt, quod nequeat barbariſmos & ſolœciſmos ex Grammaticorum regulis deſignare. O te dementem, M. Tulli, qui cum Varronis de re Grammatica libros haberes, linguæ tamen nitorem ex perpetua Catonis, Plauti, atque in primis Terentii lectione hauriendum tibi exiſtimabas. Te levem, Demoſthenes, qui Thucydidis hiſtorias cum ſæpe legiſſes, octies inſuper deſcripſiſti. Tantumne tibi a foro, & a curia ſupererat otii, ut non te potius Grammatico homini traderes, unde Atticam illam ſermonis elegantiam ocyus arriperes? Itane igitur, Auditores? Ne vivam, ſiquis ex noſtris, qui ſe Tullianos profitentur, unam Tullii Orationem aut ſemel in vita deſcripſit, aut octies lectitavit. Vel igitur Cicero, in quo eſſet Latini ſermonis ratio, Demoſthenes, in quo Græci, non ſatis intelligebant; vel nos in Grammatico ludo, aliud agentes, quam oporteat, fruſtra laboramus. Valeant Priſciani, valeant Servii, valeant Donati; vel eos conſulamus eatenus, ut ab aliquo Pomponio Marcello de ſolœciſmo poſtulati reſpondere poſſimus. Ergo (ut extremum aliquid habeat oratio mea, quo tota hujus generis ratio conclu-

Suet. de ill. Gram. c. 22.

da-

datur) traditus mihi ad inſtitutionem adoleſcens norit, linguam eſſe quamdam, quæ Latina dicatur, Italicæ parentem, eique magna parte ſimilem. Hujus ſciat eſſe nomina, eſſe verba; nominumque ac verborum Ordines certis obſtringi legibus, quæ ſint memoriter ante omnia diſcendæ: ſumma Conſtructionis capita altiſſime infigat animo, calleatque probe velut ungues digitoſque ſuos: in Proſodia verſetur aliquanto magis; quod ratio condendi carminis certior eſt magiſque definita, quam ſolutæ orationis: ad extremum paucis ex Etymologia & Orthographia delibatis, Grammaticos longiſſime ablegot; ſibique valde perſuadeat, non Latinum ſermonem ex Grammatica, ſed Grammaticam ex Latino ſermone natam eſſe. Quid ita? Nimirum ut aquas ex ipſo fonte hauriat, hoc eſt Latinos Scriptores legendi ſcribendique exercitatione numquam intermiſſa in ſuccum & ſanguinem ſuum convertat; unde ille exiſtit orationis ambitus ac nitida circumſcriptio, quæ ſupra Grammaticorum vires poſita, auribus longa diſciplina exercitatis judicari poteſt, verbis explicari non poteſt. Id unum in hac palæſtra arduum eſt ac difficile, quod & liberale ingenium poſtulat, & morum conformationem quamdam ingenio ſimilem, & illam extremo loco diligentiam, quæ ſola in hac arte minimum valet, ceteris tamen adjuncta naturæ præſidiis, Tullianum illud dicendi genus efficere poteſt, quod tantopere commendatur. Hoc ſcilicet ab hominibus non tam miti ſidere natis, aut excultis fruſtra requirimus, qui, ut carmina edant ſæpe optima, orationem tamen, cujus non eſt niſi aurium ſenſu defi-

definitus modus ac numerus, oſtendent fortaſſe nullam, quæ Latina dici poſſit. Vos igitur, adoleſcentes, quibus in Italia natis atque altis illud inſuper accedit, quod in Italiæ parte nobiliſſima, & ad animi cultum opportuniſſima erudimini, pergite ſtrenue in hoc curriculo, ut majorum veſtrorum laudem retineatis. De bellica Italorum virtute nihil ſane auſim pronunciare: ſed litteras quidem certe non amiſimus. Commigrant ad nos quotidie callidi homines pecunia inſtructiſſimi, & præclaram illam Muſarum ſupellectilem, optima volumina nobis abripiunt: artes etiam ac diſciplinas paullatim abducturi alio, niſi ſtudio ac diligentia reſiſtitis. Veſtrum eſt communis patriæ famam ac ſplendorem ex tanto periculo eripere, veſtrum luctuoſam calamitatem ab hoc ſolo, a nobis, a vobis ipſis prohibere; ut omnes intelligant Romanum imperium Italis auferri potuiſſe, Romanas litteras non poſſe. In vos conjecere oculos, vos hortantur atque impellunt parentes pro familiæ honeſtate, cives pro Reip. gloria, magiſtri pro ſcholæ fama, ſed in primis Antiſtes Eminentiſſimus pro Religionis cauſſa, quæ cum litterarum cauſſa conjunctiſſima eſt.

EPI-

EPISTOLA

Præpoſita editioni primæ hujus Orationis.

ORationem hanc cum haberem, non defuerunt, qui crederent, me nova moliri, ac de Grammaticis ſtudiis hoc in loco mutandis cogitare. Id me coegit orationem ipſam typis committere, totamque conſilii mei rationem & cauſſam patefacere. Nec igitur is ego ſum, ut tantum poſſim; nec ſi maxime poſſem, rerum noſtrarum conditio quippiam de veteri inſtituto mutari pateretur. Pueri enim fere omnes, qui huc accedunt, Grammaticen attigerunt; nec juvat curriculi partem emenſos, nova propoſita via, rurſum ad carceres revocare. Prætérquamquod nihil umquam tanti erit, ut me ab ea docendi conſuetudine avocet, quam diligentiſſimi Societatis Patres ubique tenent, Emanuele Alvaro duce. Cum enim acutiſſimo ingenio Viri juventutis recte inſtituendæ vias omnes ac rationes ſcrutati, unam denique illam invenerint, quam Italia omnis amplexa eſt, quid nos in tanta virium imbecillitate novi conemur? Satis erit, ſi ductores ſapientiſſimos, quantum labore & ſolertia poſſumus, prope ſequamur; deſperantes poſt tot tantoſque conatus inveniri poſſe meliora. Quid igitur, inquis, in oratione iſtac tua de Grammaticis blateras? Ego vero nihil dixi, niſi exercendi ſtili gratia: in quo ſi quid peccatum eſt, cur non illi peccarunt, qui injuſtitiam, qui muſcam, qui quartanam, qui aſinum laudaverunt? Non eſt ſane idem in civili hominum convictu reprehendere aliquid, & laudare; in Academicis exercitationibus eſt prorſus idem.

dem. Quod ſi cui forte aliud agens perſuaſi, aut perſuaſiſſe videor, Latinam linguam non ex infinitis Grammaticorum præceptis, ſed ex veterum librorum lectione & imitatione comparandam eſſe, nolo ego illum tamquam in media arena deſtituere. Itaque ejus cauſſa Commentariolum de Latinis Scriptoribus Orationi adjungo, ut qui ſint ad legendum & imitandum probatiſſimi, ex ſingulorum claſſibus facile intelligat. Duæ porro cum ſint diviſiones celeberrimæ, quarum una a quadruplici hominis ætate, altera a metallorum gradibus peti ſolet, nolui tibi omnes Grammaticorum pugnas de illis narrando, immenſæ lectionis tædium afferre; ſed quod optimum duxi, in prima fere Andream Borrichium, in ſecunda Olaum, viros clariſſimos ſecutus ſum. Utrum vero aliquid præſtiterim, præter deſcribendi laborem, malo te ipſum judicare. Verum cui hæc? Non illis certe, qui librorum procemia cum legerint, ſatis habent; magnoque ſupercilio in triviis & compitis de re tota diſceptant: ſed unis illis, qui & patienter legunt, & ſapienter judicant, & humaniter monent. Horum aliquem ſi nactus fuero, de graculorum vocibus non laborabo. Vale.

COM-

COMMENTARIOLUM

De Ortu, Interitu, & Inſtauratione

LINGUÆ LATINÆ,

Ac de ejus Scriptoribus ad ſæculum uſque XVII.

QUemadmodum aperto Romæ aſylo, dataque victis hoſtibus liberaliſſime civitate, diſpari genere homines in unam gentem coaluerunt, ita linguæ variæ ac diſſimiles, inter ſe commiſtæ unam illam pepererunt, quæ Romana ab urbis, Latina a regionis nomine appellata eſt. Sed quia primi Urbis incolæ Græci generis fuere; & Romulus ipſe de rebus ſuis, & Numa de diſciplina ſapientiæ Græce ſcribentes, ſermonem hunc in primis populo commendarunt; hinc magna conſecuta eſt ſimilitudo inter utriuſque Gentis litteras, & litterarum ſonum, atque adeo inter verba ipſa, & verborum conſtructionem. Quocirca Quinctilianus l. 1. c. 5. *Hæc*, inquit, *diviſio mea ad Græcum ſermonem præcipue pertinet: nam maxima ex parte Romanus inde converſus eſt*. Adde, quod per ſæcula quinque, & eo amplius, vel nullæ, vel perraræ fuere Romæ litteræ præter Grajas: cumque Romanus ſermo ad eam copiam & elegantiam perveniſſe viſus eſt, ut ad artes ac diſciplinas transferri poſſet, neſcio qua ta-

men ſemper verecundia Græcæ linguæ tamquam parenti honorem detulit; & a victa debellataque provincia Populus Romanus gentium dominus leges dicendi ſcribendique accipere non recuſavit. Hor. l. 2. ep. 1. *Græcia capta ferum victorem cepit, & artes intulit agreſti Latio*. Quod cum reputo, vix mihi perſuadeo fuiſſe ullum, aut eſſe, aut vero umquam eſſe poſſe, qui Græca ſtudia in homine Latino non probet.

Ex iis, qui Latinæ linguæ tempora in certas ætates velut hominis vitam diſtribuunt, illi nobis videntur probandi maxime, qui Infantiam ejus ad annum Urbis conditæ DXIV. coſſ. C. Clodio & M. Tuditano, perducunt; quo anno Livius Andronicus fabulam dedit, ut tradit Cicero in Bruto c. 18. & lib. 1. Tuſcul. c. 1. Etſi enim & Salios Sacerdotes Numa conſtituit, qui armatos Deos canerent, & Pontifices, qui Romanarum rerum annales conficerent; rudia tamen & incondita fuere omnia, qualia novi Imperii ſtatus, perpetuis bellis poſt Numam petitus patiebatur. Ejus ævi monumenta partim, incenſa a Gallis Urbe anno CCCLXVI. periere; partim vetuſtate ipſa abſumta ſunt; præter legum fragmenta pauca, quorum ſpecimen velut prima balbutientis Romæ verba præbemus.

Lex Romuli, ſeu Tatii Collegæ ejus, ſeu Tullii ſexti Romanorum Regis apud Feſtum in voce PLORARE.

Sei parentem puer verberit, aſt oloe plorasit, puer Deiveis parentom ſacer eſtod. Sei nuros... ſacra Deiveis.... eſtod.

Hoc

Hoc eſt

Si parentem puer verberet, at ille ploret, puer ſacer eſto Divis parentum, h. e. eis tamquam hoſtia mactari poſſit. *Si nurus ſocerum verberet, ſacra Divis ejus eſto.*

Anno ab Urbe condita CCLXI. cujus ætatis ſermonem *horridum* appellat T. Livius l. 2. c. 32. Lex prima Tribunicia apud Feſtum in voce SACER ex emendatione partim Scaligeri, partim F. Urſini.

Quei aliuta facſit, cum pequnia familiaque ſacer eſtod. Sei quis em ociſit, pariceida nec eſtod.

Hoc eſt

Qui aliter fecerit, cum pecunia & familia ſacer eſto. Si quis eum occiderit, parricida ne eſto.

Anno ab Urbe condita CCCIV. Ex XII Tabulis lex prima de Jure privato ex optimis monumentis concinnata.

Sein ious vocat, atque eat. Neít, endocapito anteſtarier. Si calvitor, pedemve ſtruit, manom endoiacito. Si morbos aevitaſve vitiom eſcit, quein ious vocat, iumentom dato. Sei nolet, arceram nei ſternito.

Hoc eſt

Si in jus aliquis vocat, ſtatim vocatus eat. Ni it, incipiat vocans teſtes appellare. Si fruſtratur, pedemve fugiendo refert, manum illi iniicito. Si morbus vel ætas impedimento ſit, quominus ire poſſit, qui in ius vocat, iumentum illi dato. Si nolit iumentum accipere, lecticam illi ne parato.

Novi ſane, viros præſtantiſſimos & leges Regias;

& Tribunicias, & ex XII Tabulis multo nitidiores edidiſſe, ut ſæculo pæne aureo ſcriptæ videantur; nihil veritos affirmare, ſe illas ex antiquiſſimis tabulis deſcripſiſſe. Verum ſit earum fides penes ipſos. Ego enim Scriptores ſecutus vel pares, vel prope pares, non ſolum elegantiora monumenta illitteratiſſimæ antiquitati convenire non puto, ſed ne illa quidem ipſa, quæ modo attuli, ſatis mihi rudia & obſcura videntur, ut in ea jurare paratus ſim. Quod ut confirmem, non Ciceronem appellabo, non Quinctilianum, non Feſtum, non Gellium, non Polybium, qui ejus ætatis ſtilum ita inconditum & obſcurum dixerunt, ut quædam vix peritiſſimi interpretes intelligerent; ſed inſcriptionem afferam ævi multo poſterioris, & ad linguæ adoleſcentiam proxime accedentis, quæ tamen ruditate verborum allata monumenta, niſi fallor, longiſſime ſuperat: ut ſi quis velit utraque tueri, eum neceſſe ſit affirmare, linguam Latinam ad annos uſque CCCCXCIV non modo nihil profeciſſe, ſed etiam declinaſſe.

Inſcriptio L. Scipionis, qui anno ab Urbe condita CCCCXCIV. Conſul fuit, effoſſa ad Portam Capenam, ut ferunt.

HONC. OINO. PLOIRVME. CONSENTIONT. R
DVONORO. OPTVMO. FVISE. VIRO
LVCIOM. SCIPIONE. FILIOS. BARBATI
CONSOL. CENSOR. AIDILIS. HIC. FVETA
HEC. CEPIT. CORSICA. ALERIAQVE. VRBE
DEDET. TEMPESTATEBVS. AIDE. MERETO

Hoc eſt

Hunc unum plurimi conſentiunt Romæ
Bonorum optimum fuiſſe virum

Lu-

Lucium Scipionem. Filius Barbati,
Conſul, Cenſor, Ædilis hic fuit.
Hic cepit Corſicam, Aleriamque Urbem.
Dedit Tempeſtatibus ædem merito.

Paullo antiquius eſt monumentum Duilio poſitum in baſi Columnæ Roſtratæ, quod ingenioſe admodum reſtituit & illuſtravit Ciacconius. Affertur in Græviana Flori editione, in Tractatu valde erudito de puerit. Linguæ Latinæ clariſs. Funccii, & inter Gruteri Inſcriptiones pag. ccccIV. n. I. Sed cum ejus fides ex toto non conſtet, ego omittere malui.

Per hæc & ſimilia lingua Latina tranſegit pueritiam ſuam.

Inde cœpit adoleſcere per *Livium Andronicum*, per *Nævium*, *Cethegum*, *Ennium*, *Cæcilium*, *Catonem*, *Pacuvium*, *Plautum*, *Accium*, *Afranium*, *Lucilium*, *Terentium*, alioſque præterea non paucos, quos inter eminet Plautus, ac Terentius. *Livius* itaque *Andronicus* primus fuit Romanorum Poeta, qui anno ab Urbe condita DXIV. fabulas dedit, non tamen dignas, quæ iterum legerentur, ut ait Cicero in Brut. c. 18. Primus Orator fuit *Cethegus*, ut ex Ennii teſtimonio ſcripſit idem Cicero. Primus hiſtoricus *Nævius*, qui bellum Punicum primum verſibus jambicis deſcripſit: quam autem luculente, non erit, opinor, difficile ex hoc ejus Operis initio colligere.

Quei terrai Latiai hemones tuſerunt
Vires fraudeſque Poinicas, fabor.

Hoc eſt

Qui terræ Latiæ homines contuderint

Vires fraudeſque Punicas, fabor.
Quanto politius Ennius, qui carmine heroico paucis poſt annis idem bellum eſt perſecutus!
Horrida Romuleum certamina pango duellum.

Hic tamen ipſe cum Catone & Pacuvio ad infantiam Latini ſermonis relatus eſt a Scaligero, Becmanno, Giſanio, & præterea multis: ſed injuria, ut diſerte oſtendit Andreas Borrichius in ſuis Vindiciis.

Adoleſcentiam excepit Virilis ætas, hoc eſt abſoluta illa & conſtans Latinæ linguæ elegantia, gravitas, pulchritudo: ſed, ut fere ſolent maxima bona, cito intercidit, & in ſenium prolapſa eſt. A Cicerone enim cum cœpiſſet, ideſt ab extremis Romanæ libertatis temporibus, vix ad tertium Imperatorem pervenit. Sed profecto viſa eſt mirabili quodam ingeniorum fœtu numeri damna compenſare, cum *Ciceronem* tulit, *Virgilium*, *Horatium*, *T. Livium*, *Cæſarem*, *Nepotem*, *Catullum*; *Ovidium*, litterarum lumina non ad eam ſolum ætatem, ſed ad omnem poſteritatem illuſtrandam. Adde huc *Salluſtium*, *Varronem*, *Lucretium*, *Vitruvium*, *Manilium*, *Tibullum*, *Propertium*, *Hirtium*, *Gratium*, *Cornificium*, *Phædrum*, & inſuper multos, quorum vel fragmenta, vel ſola nomina ad nos pervenerunt. Priores tamen tres ſæculi ſui locutionem dedignati, κακοζηλίᾳ neſcio qua rudem antiquitatem ſuis ſcriptis repararunt, ut potius ad linguæ adoleſcentiam videantur rejiciendi. Cujuſmodi ingenia ne noſtræ quidem ætati deſunt, qua viris ceteroquin ſatis doctis nihil Italicum ſapit, niſi ſit ex *Dante* petitum, aut *Paſſavantio*, aut horum æqualibus,

hoc

hoc eſt ab ipſis Italicæ linguæ incunabulis.

Jam vero imperante Tiberio, cœperant Romani veteris obliti libertatis demittere animum, & ſimilia facere ac loqui fortunæ ſuæ. Hinc ſermonis gravitas & majeſtas in adulatoriam ac pæne ſervilem formam degenerare, vireſque ſenſim amittendo ad ſenium properare. Ecce tibi ſtatim *Vellejus*, *Juvenalis*, *Martialis*, *Perſius*, *Florus*, *Quinctilianus*, *Suetonius*, *Celſus*, *Valerius Maximus*, uterque *Seneca*, uterque *Plinius*, *Tacitus*, *Pomponius Mela*, *Aſconius Pedianus*, *Scribonius Largus*, *Petronius*, *Columella*, *Silius Italicus*, *Valerius Flaccus*, *Statius*, *Juſtinus*, *Frontinus*, *Apulejus*, ceterique ad alterum uſque Antoninum Imperatorem Latini ſcriptores.

Hic vero ad ſummam ſenectutem perveniſſe Romanus ſermo viſus eſt, nihilque poſtea dignum peperiſſe, quod ad imitandum proponeretur.

Sunt qui ad Gordianum uſque, non deſunt qui etiam ad Conſtantinum Latinæ Linguæ ætatem producant. Sed minorem ſane nobiliſſimæ linguæ injuriam facit, qui eam interiiſſe, quam qui lutulenter vixiſſe putat. Juvat nihilominus eos ſcriptores commemorare, qui Antoninos ſubſecuti conati ſunt aliquid; & vel natura, vel imitatione præſtiterunt. Familiam ducit *Q. Curtius*, dignus meliore ævo, ſive hoc, ſive alio vixerit: proxime ſequuntur *Gellius*, *Palladius*, *Tertullianus*, *Cenſorinus*, *Spartianus*, *Capitolinus*, *Lampridius*, *Arnobius*, *Minutius Felix*, *Lactantius*, *Marcellinus*, *Aurelius Victor*, *Eutropius*, *Auſonius*, *Prudentius*, *Macrobius*, *Servius*, *Claudianus*, *Vegetius*,

tius, *Solinus*, *Eumenius*, *Nazarius*, *Pacatus*, multique non contemnendi Juriſconſulti. Huc adde Auctores finium regundorum, Medicos, Rhetoras, & Grammaticos veteres. Adde *Juvencum*, *Auguſtinum*, *Ambroſium*, *Oroſium*, *Sidonium Apollinarem*, *Boethium*, *Martianum Capellam*, *Priſcianum*, *Caſſiodorum*, *Jornandem*, *Venantium Fortunatum*, *Corippum*, *Iſidorum*, & paucos præterea, quos non eſt operæ pretium referre.

Tacuere deinde litteræ, non Latinæ modo, ſed omnes fere uſque ad ſæculi XIV. initium, cum excitatæ ſunt ab immortalibus viris *Albertino Muſato*, *Franciſco Petrarcha*, *Joanne Boccaccio*, *Lombardo Serico*. Ac Muſatus quidem, ut ſcribit Scardeonius lib. 2. claſſ. x. *primus fuit*, *qui viſus eſt Latinas Muſas jampridem extorres*, *& bonas litteras jamdiu ſopitas ab exilio reſtituere*, *& a veterno aliquantiſper excitare*, *atque a fœda illa barbarie in Italiam revocare*; *utpote qui aliquanto prior ætate Petrarcha*, *in his ſtudiis plurimum laboravit* &c. Ex eo tempore cœpit rurſus vires ſumere Latinitas quodammodo renata; jamque ſæculo quintodecimo ad floridam ætatem properabat per *Laurentium Vallam*, *Franciſcum Philelphum*, *Poggium*, *Faccium*, *Vergerium*, *Ambroſium Camaldulenſem*, utrumque *Barbarum*, *Leonardum Aretinum*, *Guarinum Veronenſem*, *Blondum*, *Perottum*, & præterea multos. At vero ſæculo XVI. ita florere viſa eſt in *Bembo*, *Paleario*, *Mureto*, *Manutio*, *Sigonio*, *Sadoleto*, *Naugerio*, *Riccio*, *Amaſæo*, *Luiſino*, *Alcionio*, & aliis, ut ad auream illam Auguſti ætatem proxime acceſſerit. Etſi autem elapſo proxime ſæculo rurſus cœperat declinare,

nare,

nare, non quidem, ut ante, magiſtrorum inopia, ſed nimia quadam copia in ejus interitum ſtudiorum ſimilitudine conjurata; tamen hoc tempore, implorata undique ope, reſpirare videtur, & in priſtinæ dignitatis ſpem aſſurgere.

LINGUÆ LATINÆ
ÆTATES,

Aurea, *Argentea*, *Ænea*, *Ferrea*, & *Lutea*.

ANtequam adoleſcentes, quos inſtituimus, ad hanc tabulam accedant, velim animadvertant, non omnes ætatis aureæ Scriptores eſſe aureos, & imitatione digniſſimos. Sunt enim hic etiam, ut in aliis rebus, mala miſta bonis. Itaque in uno primum *Cicerone* diu multumque verſentur; deinde *Terentium*, *Cæſarem*, *Virgilium*, *Horatium* ſibi adſciſcant; demum *Nepotem*, *Livium*, *Catullum*, & ad carminis facilitatem comparandam *Ovidium*, *Tibullum*, *Propertium* in manus ſumant. A ceteris abſtineant, donec ipſi per ſe judicare poſſint, tanto ſingulos eſſe meliores, quanto ad hæc latinitatis exempla propius accedunt. Quoſdam vero numquam attingant, niſi ad eruditionem: ego enim pleroſque affero, non quia probem, ſed quia volenti per ſæcula omnia diſcurrere, nihil melius ſe ſe offert. In ſæculis XV. & XVI. plura ſane nomina cenſeri poterant: ſed ego legentibus, non bibliothecam conficientibus ſcribere inſtitui.

LA-

LATINI SCRIPTORES

in ſuas ætates diſtributi.

ÆTAS AUREA

Incipit ab anno Urbis conditæ DXIV. Deſinit in annum Urbis conditæ DCCLXVII. qui eſt æræ Chriſtianæ XIV.

Horum non extant niſi fragmenta.
- *Livius Andronicus.*
- *C. Nævius.*
- *Statius Cæcilius.*
- *Q. Ennius.*
- *M. Pacuvius.*
- *L. Accius.*
- *C. Lucilius.*
- *Sex. Turpilius.*
- *L. Afranius.*
- *L. Cornelius Siſenna.*
- *P. Nigidius Figulus.*
- *C. Decius Laberius.*
- *Verrius Flaccus.*

M. Porcius Cato.
M. Accius Plautus.
M. Terentius Afer.
T. Lucretius Carus.
C. Valerius Catullus.
P. Syrus.
C. Julius Cæſar.
Cornelius Nepos.
M. Tullius Cicero.

Sex.

Sex. Aurelius Propertius.
C. Salluſtius Criſpus.
M. Terentius Varro.
Albius Tibullus.
P. Virgilius Maro.
T. Livius.
M. Manilius.
M. Vitruvius.
P. Ovidius.
Horatius Flaccus.
Pedo Albinovanus.
Gratius Faliſcus.
T. Phædrus.
C. Cornelius Gallus, cujus eſt Ciris.
C. Cornificius, cui tribuunt libros quatuor Rhetoricorum ad Herennium.
Aulus Hirtius, vel Oppius, quorum alteruter Cæſaris Commentarios ſupplevit.
P. Cornelius Severus, ad quem referunt Carmen de Ætna.

Juriſconſulti, quorum fragmenta in Digeſtis. { *Q. Mutius Scævola.* *Alfenus Varus.* *M. Antiſtius Labeo.* *Maſurius Sabinus.*

Supra ceteros eminent TERENTIUS, CATULLUS, CAESAR, NEPOS, CICERO, VIRGILIUS, HORATIUS, OVIDIUS, T. LIVIUS, SALLUSTIUS: ſed hic quidem verborum novator eſt, ut ait Gellius lib. I. c. 15. ideoque non omnibus ingeniis aptus.

ÆTAS

ÆTAS ARGENTEA

Incipit ab æræ Chriſtianæ anno XIV. Deſinit in annum CXVII.

Cornelius Celſus.
P. Vellejus Paterculus.
L. Junius Columella.
Pomponius Mela.
A. Perſius Flaccus.
Q. Aſconius Pedianus.
M. Annæus Seneca.
L. Annæus Seneca.
M. Annæus Lucanus.
T. Petronius Arbiter.
C. Plinius Secundus.
C. Silius Italicus.
C. Valerius Flaccus.
C. Julius Solinus.
D. Junius Juvenalis.
P. Papirius Statius.
M. Valerius Martialis.
M. Fabius Quinctilianus.
Sex. Julius Frontinus.
C. Cornelius Tacitus.
C. Plinius Cæcilius Secundus.
L. Annæus Florus.
C. Suetonius Tranquillus.

Ætatis nonprorſus certæ:
Q. Curtius Rufus.
Val. Probus Grammat.
Scribonius.
Sulpitia.
L. Feneſtellæ annal. fragmenta.

Supra

Suprà ceteros eminent CELSUS, VELLEJUS, SENECAE, PLINII, SUETONIUS, JUVENALIS, QUINCTILIANUS, FLORUS, CURTIUS.

ÆTAS ÆNEA

Incipit ab æræ Chriſtianæ anno CXVII.
Deſinit in annum CCCC.

Juriſconſulti, quorum fragmenta in Digeſtis.

Licinius Proculus.
Neratius Priſcus.
P. Juvencius Celſus.
Priſcus Jabolenus.
Domitius Ulpianus.
Herennius Modeſtinus.
Salvius Julianus.
J. Cajus.
Calliſtratus.
Æmilius Papinianus.
Julius Paullus.
Sex. Pomponius.
Venulejus Saturninus.
Ælius Martianus.
Ælius Gallus, & alii.

Ætatis non omnino certæ.

Valerius Maximus.
Juſtinus.
Terentianus Maurus.
Minucius Felix.
Soſipater Chariſius.
Fl. Avianus. Al. Avienus.

A. Gellius.
L. Apulejus.
Q. Septimius Tertullianus.
Q. Serenus Sammonicus.
Cenſorinus.
Cæcilius Cyprianus.
T. Julius Calpurnius.
M. Aurelius Nemeſianus.
Ælius Spartianus.
Julius Capitolinus.
Ælius Lampridius.
Vulcatius Gallicanus.
Trebellius Pollio.
Flavius Vopiſcus.
Cœlius Aurelianus.
Flavius Eutropius.
Rhemnius Fannius.
Arnobius Afer.
L. Cœlius Lactantius.
Ælius Donatus.
Commodianus.
C. Vettus Juvencus.
Julius Firmicus.
D. Hilarius.
Fab. Marius Victorinus.
Sex. Rufus, ſeu Rufus Feſtus Hiſtoricus.
Ammianus Marcellinus.
Fl. Vegetius Renatus.
Aurelius Theodorus Macrobius.
Q. Aurelius Symmachus.
Dec. Magnus Auſonius.
Sex. Aurelius Victor.
D. Ambroſius.

Aur.

Aur. Prudentius Clemens.
Cl. Claudianus.
Marcellus Empiricus.
Proba Falconia.

Supra ceteros eminent JUSTINUS, TERENTIANUS, VICTOR, LACTANTIUS, CLAUDIANUS.

Auctores ætatis incertæ

Hic collocandi videntur: tametſi aliquis eorum, ſi ratio ſtili habeatur, quocumque tandem tempore vixerit, in ſuperioribus ætatibus cum dignitate ſtare poſſit; aliquis vero etiam infra luteos detrudendus videatur.

Palladius Rutilius.
Æmilius Macer.
Meſſala Corvinus.
Vibius Sequeſter.
Jul. Exſuperantius.
Jul. Obſequens.
L. Ampelius.
Apicius Cœlius.
Sex. Pompejus Feſtus.
Chalcidius.
Zeno Epiſcopus.
Probus Auctor Notarum.
Fulgentius Planciades.
Hygini Fabulæ, & Aſtronomicon.
C. Cæſaris Germanici Aratea, quæ alii ad Auguſti, alii ad Domitiani ætatem referant.
P. Victor de Regionibus Urbis Romæ.

Digitized by Google

Vegetius de re Veterinaria.

Auctores Priapeorum.

Auctores Catalectorum, quæ Virgilio, & Ovidio tribui ſolent.

Auctor Orationis Salluſtii in Ciceronem, & Ciceronis in Salluſtium: item illius Antequam Cicero iret in exilium.

Auctor Epiſtolæ ad Octavium, quæ Ciceroni tribuitur.

Auctor Panegyrici in Piſonem, qui videtur aliis Statius, aliis Lucanus.

Declamationes, quæ tribuuntur Quinctiliano; item quæ Porcio Latroni; item quæ Calpurnio Flacco.

Interpres Irenæi.

Interpres Daretis Phrygii, & Dictyos Cretenſis.

Catonis Diſticha moralia.

Scholiaſtæ veteres.

Grammatici antiqui.

Rhetores antiqui.

Medici antiqui.

Rei agrariæ Scriptores.

Catalecta Petroniana, & Errores Venerei, qui cum Petronio edi ſolent.

Pervigilium Veneris cum variis opuſculis, qui inſcribuntur Baudii Amores.

Poematia, & Epigrammata vetera a Pithœo, & Almelovenio collecta.

Fragmenta Hiſtoricorum collecta ab Auguſtino, & Riccobono.

Monumentum Ancyranum, & inſuper Monumenta varia antiqua, a Georgio Fabricio col-

collecta.
Faſti Conſulares.
Inſcriptiones Veteres.
Legum antiquarum fragmenta.
Notitia dignitatum utriuſque Imperii &c.

ÆTAS FERREA, & LUTEA

Incipit ab æræ Chriſtianæ anno CCCC.
Definit in Sæculum IX.

Sæculi V.
Cl. Rutilius Numatianus.
Servius Honoratus.
Rutilius Numatianus.
D. Hieronymus.
D. Auguſtinus.
D. Damaſus.
Rufinus.
Sulpicius Severus.
Paulus Oroſius.
Cœlius Sedulius.
Paulinus Nolanus.
Codex Theodoſianus.
Dracontius.
Salvianus.
Petrus Chryſologus.
Proſper Aquitanicus.
Martianus Capella.
Paulinus Petrocorius.
Claudianus Mamertus.
Sidonius Apollinaris.
Latinus Pacatus.
Claudius Mamertinus.

Nazarius.
Eumenius.

Sæculi VI.
D. Fulgentius.
Alcimus Avitus.
Orientius.
Ennodius.
Manl. Severinus Boethius.
L. Maximianus.
Priſcianus Grammaticus.
Nonius Marcellus.
Diomedes.
Juſtiniani Inſtitutiones.
Juſtiniani Codex.
Arator.
Jornandes.
M. Aurelius Caſſiodorus.
Creſconius Corippus.
Venantius Fortunatus.
Gregorius Magnus.
Gregorius Turonenſis.

Sæculi VII.
Iſidorus Hiſpalenſis.
Eugenius Toletanus.
Drepanius Florus.
Marculphus.
Anonymus Ravennas.

Sæculi VIII.
Aldhelmus, ſeu Adelhelmus.
Beda.
Flaccus Alcuinus.
Paulus Diaconus.

Ra-

Sæculi VIIII.

Rabanus Maurus.
Freculphus.
Eginhardus.
Strabus Gallus.
Aimonius.
Theodulphus Aurelianenſis.

LINGUA LATINA JACENTE

Sæculo X.

Laitprandus.
Odo Severus.
Flodoardus.
Rhegino.
Witichindus.

Sæculo XI.

Haymo.
Rodulphus.
Hermannus.
Lambertus.
Medici Salernitani.
Marbodæus.
Conſtantinus Afer.
Petrus Damiani.
Marianus Scotus.
Raimundus.
Villeramus.
Baldericus.

Digitized by Google

Sæculo XII.

Guntherus.
Sigebertus.
Joannes Saresberienſis.
Otto Friſingenſis.
Saxo Grammaticus.
Hildebertus.
Helmoldus.
Gratianus.
Hugo.
Petrus Abaillardus.
S. Bernardus.
Petrus de Riga.
Guillelmus Tyrius.
Petrus Blecenſis.
Joſephus Devonius.

Sæculo XIII.

Phil. Gualterus.
Conradus Abbas Urſp.
Matthæus Pariſienſis.
Vincentius Bellovacenſis.
Martinus Polonus.
Albertus Magnus.
S. Thomas Aquinas.
S. Bonaventura.

Sæculo XIV.

Joannes Scotus.

Ala-

Digitized by Google

Alanus de Inſulis.
Matthæus Vindocinenſis.
Robertus Beſtonus.
Gualterus Burlæus.
Danthes Aligherius.

LINGUA LATINA INSTAURATA

Sæculo XIV.

Albertinus Muſatus.
Franciſcus Petrarcha.
Joannes Boccaccius.
Lombardus Sericus, & alii.

Sæculo XV.

Poggius Bracciolinus.
Georgius Trapezuntius.
Laurentius Valla.
Bartholomæus Faccius.
Flavius Blondus.
Franciſcus Philelphus.
Beſſario Card.
Theodorus Gaza.
Æneas Sylvius.
Nicolaus Perottus.
Rodolphus Agricola.
Bartholomæus Platina.
Franciſcus Barbarus.
Hermolaus Barbarus.
Marſilius Ficinus.
Nicolaus Leonicenus.
Pomponius Lætus.

Jovianus Pontanus.
Angelus Politianus.
P. Paulus Vergerius.
Ambroſius Camaldulenſis.
Leonardus Aretinus.
Guarinus Veronenſis.
M. Antonius Sabellicus.
Matthæus Palmerius.
Franciſcus Contarenus.
Jo. Antonius Campanus.
Joannes Tortellius.
Benedictus Accoltius.
Janotius Manettus.
Leonardus Juſtinianus.
Antonius Panormita.
Baptiſta Albertus.
Baptiſta Mantuanus.
Jo. Andreas Laſcaris.
Joannes Auriſpa.
Georgius Merula.
Palladius Fuſcus.
Bartholomæus Scala.
Jacobus Antiquarius.
Colutius Salutatus.
Victorinus Feltrenſis.
Gabriel Altilius.
Porcellius, & alii.

Sæculo XVI.

Jacobus Sannazarius.
Ludovicus Vives.
Cælius Rhodiginus.

Tho-

Thomas Linacer.
Petrus Alcionius.
Petrus Bembus.
Aonius Palearius.
M. Antonius Flaminius.
Joannes Cotta.
Chriſtophorus Longolius.
Janus Parrhaſius.
Andreas Naugerius.
Bartholomæus Riccius.
Jacobus Sadoletus.
Balthaſſar Caſtilio.
Honoratus Faſcitellus.
Marius Molſa.
Marius Corradus.
Sebaſtianus Corradus.
Vincentius Madius.
Jo. Baptiſta Egnatius.
Romulus Amaſæus.
Lazarus Bonamicus.
Gabriel Faernus.
Joannes Sturmius.
Pierius Valerianus.
Thomas Morus.
Gulielmus Budæus.
Melchior Canus.
Bernardinus Scardeonius.
Lilius Gyraldus.
Michael Brutus.
Hieronymus Fracaſtorius.
Henricus Glareanus.
Andreas Alciatus.
Scaliger pater, & filius.

Joan-

Joannes Fernelius.
Scipio Capicius.
Gaſpar Contarenus.
Nonius Pintianus.
Reginaldus Polus.
Paulus Jovius.
Robertus Stephanus.
Joannes de Caſa.
Joannes Brodæus.
Antonius Goveanus.
Petrus Victorius.
Hieronymus Vidas.
Adrianus Turnebus.
Franciſcus Robortellus.
Dionyſius Lambinus.
Paullus Manutius.
Franciſcus Luiſinus.
Jo. Baptiſta Pigna.
Onuphrius Panvinus.
Hubertus Folieta.
Antonius Auguſtinus.
Gulielmus Canterus.
Petrus Ciacconius.
Carolus Sigonius.
M. Antonius Muretus.
Fulvius Urſinus.
Barnabas Briſſonius.
Henricus Stephanus.
Lævinus Torrentius.
Douſa pater, & filius.
Joannes Paſſeratius.
Ubertus Giſanius.
Matthæus Raderus.

Hora-

Horatius Turſellinus.
Petrus Perpinianus.
Andreas Schottus.
Jovita Rapicius.
Jo. Petrus Maphejus.
Bartholomæus Latomius.
M. Antonius Majoragius.
Marius Nizolius.
Gregorius Corteſius.
Andreas Maurocenus, & alii.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO II.

AD HUMANITATEM.

Pueris ad Latinam eloquentiam informandis nocet librorum copia.

QUi Grammaticorum inſidias hoc ipſo ex loco deprehendere præterito anno conatus ſum; &, ſi recte ſentio, deprehendi; non ſatis videor commiſſæ nobis juventuti conſuluiſſe, niſi ad Humanitatis ſtudia progredientem manu veluti ducam, numquam ab ejus latere, niſi univerſo confecto curriculo, diſceſſurus. Quamvis autem ingens præſtantiſſimorum hominum numerus, qui óptime docent, & ſcribunt optima, nihil reliqui fecerit, quod ad alendos puerorum animos pertineret; ſuus tamen eſt & copiæ morbus, nec tam ſæpe animal humorum inopia, quam nimia quadam redundantia conficitur. Neque vero mihi tantum tribuo, ut putem poſſe me, qui nihil ferme poſſum, utra peccetur in parte, remedium adhibere; ſed tamen ſiquid eſt a nobis in commune ſcholarum bonum conferendum, quemadmodum ſuſcepti muneris ratio non poſtulat modo, ſed etiam flagitat, multo quidem mihi videtur eſſe facilius detrahere inventis ſupervacanea, quam addere neceſſaria. Nam ſerere arbores, diſponere, lætificare non eſt niſi agricolæ peritiſſimi; ſtolones amputare, & inutilem fruticationem cohibere hominis eſt in re ruſtica vel mediocriter exercitati. Ut igitur de Grammaticis cum agerem, ſatius duxi pro virium mearum infirmitate ablegare præcepta multa, quam nova excogitare, ita Hu-

Humanitati non quid adjiciam, hodierna luce laboro, ſed quid potiſſimum inani propagatione ſubortum ſine invidia præcidam. Quoniam vero delicatiſſimis hujus ætatis auribus nihil libere dicendum eſt, nihil ex vetere illo Romani ſermonis ingenio, quod a principis terrarum populi gravitate profectum, tum denique in hanc barbariem degeneravit, cum ad blanditias & adulationes traductum eſt, ea nomina tacebo lubens, quæ jamdiu tacito animi ſenſu devovi, & in ultimas barbarorum oras amandavi. Non eſt tutum, Auditores, mihi credite, non eſt tutum quibuſdam ſcriptoribus diem dicere, & ſi qua peccarunt, ne multis noceant, fortiter conſtanterque patefacere. Nemo eſt eorum tam lutulentus, nemo tam deſertus & abjectus, quin plebem aliquam, plebiſque Tribunum inveniat, cujus voce ac pæne armis per ſummam legum & actoris injuriam judicio eripiatur. Fruantur, per me licet, fortuna ſua; regnent in ſcholis; imponant diſcipulis ac magiſtris; legantur, recitentur, deſcribantur: non eſt ut hominum benevolentiam amittere velim, ſimultateſque graviſſimas tam levi de cauſſa ſubire. Quod unum arbitror ſine periculo fieri poſſe, dicam in univerſum, acriterque contendam, pueris ad Latinam eloquentiam informandis librorum copiam in primis officere: proinde non eſſe conditione ulla permittendum, ut extra principes Latinitatis Auctores evagentur. Utinam Patavinis parentibus eam prolem Superi donent, quæ vel a teneris librorum ſtudio teneatur, quod omen eſt in reliquas ætates ſane præclarum: ſed utinam etiam magiſtris omnibus eam men-

mentem injiciant, ut pueris ad inſtituendum ſibi traditis librorum multitudinem mature laudent, ſero concedant. Id ego noſtris ſolemni more quotannis denunciabo, ſi modo a vobis in præſens obtinere potuero, quemadmodum ſpero, ut quæ ex animo dico, & confirmare aggredior, ſuffragio veſtro comprobetis.

Si quid ego mihi non breviſſimi temporis experientia comparavi, ut de primæ ætatis ſtudiis judicare poſſim, in duo ferme genera diſtribuo: primum eſt eorum, qui Grammaticæ curſum vix emenſi, ac litterarum veluti dulcedine prægustata, libros undique impenſe conquirunt, iiſque ſe totos dedunt; alterum eorum, qui invita Minerva nati, librorum genus omne, non ſecus atque ovis lupum, averſantur. Medium enim ætas illa prudentia omni deſtituta nihil agnoſcit. Utrumque ſane vitium eſt: ſed alterum illud, quod ex Muſarum odio naſcitur, inſanabile; primum vero etiam optandum, modo adſit peritiſſimus docendi artifex, qui frenos adhibeat, qualis fuit Iſocrates in Theopompi concitatione temperanda. Quod ſiquis ex iſtis librorum amatoribus in eum magiſtrum incidat, qui per ſe currenti ſtimulos addat, cujuſmodi ſunt ubique multi, pejore futurus eſt conditione, quam qui in ipſo Grammaticæ limine libros omnes ejuravit. Quandoquidem hic ſibi uni detrimento eſt; ille multos mortales inficiet, & in erroris communionem doctrinæ fama perducet. Si enim, ut Callimachus ajebat, *μέγα βιβλίον ἴσον μεγάλῳ κακῷ*, quid illum ex multis, magniſque libris colligere putatis, Auditores, qui ſimul ætate, ſimul judicio infirmus nondum ſatis

Cic. 3. de Orat. c. 9.

Apud Athenæum l. 3. c. 1.

ſatis æra lupinis diſtinguit? Ipſa profecto memoria, qua ſolet pueritia valere plurimum, ipſa, inquam, memoria facile omnia ſine ordine ac ſine delectu recipiendo nocebit: ſi modo non ſcitulum blateronem, ſed Oratorem inſtituimus. Cum enim hominis animus ex earum rerum contemplatione, quæ in memoria reconduntur, duci fere ſoleat ad parienda ſimilia, nonne ille confuſa pariat ac perturbata neceſſe eſt, cujus memoria non theſaurus, ut a Tullio dicitur, ſed tale quiddam ſit, quale Poetæ finxere chaos? Sit oratio ſublimis & exaggerata, ſit vera, ſit gravis, ſit callida, ſit verborum ac ſententiarum floribus refertiſſima; ſi caret perſpicuitate, quæ prima eſt dicendi virtus, nec in animos hominum penetrabit, nec artificio capiet, nec rationibus vincet, nec affectibus permovebit. Atque ego perinde loquor, quaſi puer multa legendo, multa diſcat tum bona, tum mala, quod nequeat ex imbecillitate judicii delectum adhibere. Nimis equidem egi liberaliter, nimio plus conceſſi, quam oporteret. Pejora undique arripiet, probabit, exſcribet, memoriæ mandabit, & ut in vacua rebus mente altiſſime infixa, quamdiu vivet, retinebit. Amat enim ætas illa convenientia ſibi, vana, levia, ludicra, in verbis novitatem, in ſententiis fucum, in tota oratione tumorem & audaciam. Jacet Cicero, ſi cum Seneca compares; ſerpit Virgilius, ſi conferas cum Statio; friget Catullus, ſi Martiali opponas: uno verbo non rem & veritatem, ſed colores & pigmenta conſectatur. Quid vero ſi in fabulas illas forte incurrat, quas vulgo Romanenſes appellant? quid ſi in

qua-

quadrata quædam carmina, cubica, retrograda? quid ſi in elogia, anagrammata, acroſticha, ſumma cum Latini ſermonis verecundia non multis abhinc ſæculis in Latium importata? Valeat, inquiet, omnis antiquitas frigida, meticuloſa, ſine animis, ſine ſpiritu, ſine fruge: perierat Latina lingua, niſi cum Romanis periiſſet: nunc demum revixit venuſta, florida, elegans, par famæ ac nomini tanto. Ignorabant veteres illi, quantum liceret hyperbolæ, metaphoræ, allegoriæ: non ita fecundi erant, ut decem antitheta uno ſpiritu funderent: non norant quid eſſet argute dicere, quid ſubtiliter, quid magnifice. Quid autem norant? ſi qui unus ad ſæculi hujus elegantiam accedere maxime viſus eſt, Senecam dico, ejus

l. 1. c. 2. lucubrationes Quinctilianus neſcio quis corruptas in eloquendo, pernicioſiſſimas, & dulcibus vitiis redundantes judicavit. Nolite, quæſo, exiſtimare, Auditores, ad cauſſam iſta confingi. Audivi ego, audivi nobiliſſimum adoleſcentem, qui cum multa ex Barclajo recitaſſet pluribus ante annis memoriæ tradita, & in ſui perniciem arctiſſime cuſtodita, quærenti mihi, utrum aliquid ex Cicerone didiciſſet, ſubiratus reſpondit, aridam illam Ciceronis Latinitatem obſoleviſſe. Magna hæc illius, magna multorum calamitas, non tamen paullo attentius conſideranti valde mira. Quemadmodum enim pueri ex picturis maxime novas & coloratas, ex gemmis rubentes & pellucidas, ex nummis fulgidos & elegantiſſime cuſos; ita ex hoc litterario quaſi theſauro non ſolida & gravia, ſed fucata & ſonantia ſibi decerpunt. Hinc morbus in omnes ætates conſequentes

tes vel nullo umquam remedio, vel ferro atque igni depellendus. At enim eſt, qui in magna librorum multitudine nullum habeat niſi optimum. Gratulor ego illi, qui optima multa in rebus humanis invenire potuit. Eſt quod ad Oraculum Delphicum referamus. Eſto, ſint optimi, ſint probatiſſimi omnes: ipſa enimvero multitudine ſua, copia ipſa rerum optimarum legenti nocebunt. Neque enim tam multa capit anguſtiſſimus pueri animus; non impletur hoc modo, ſed obruitur; reſpuit omnia, niſi ſenſim immittas. Quod ſiquis eximia natura præditus, laboriſque & vigiliarum præter ejus ætatis morem inſigniter patiens cuncta recipiat, quantum inde utilitatis ad eloquentiam redundabit? quantum ſcilicet ad valetudinem ex optimorum ciborum intemperantia. Non ſatis eſt ad morbos vitandos comedere ſaluberrima, niſi opportune, ac temperanter comedas. Porro ſicut inſitus ſtomacho ignis immodico cibo opprimitur, aut etiam extinguitur, ita ingenium nequit, ut ita dicam, nimis multa concoquere, ſed quaſi oppreſſum otiatur, vel cruda & indigeſta in malos humores convertit. Inde ſtrigoſus ille dicendi modus, inconſtans, ſalebroſus, involutus, ut nihil intelligas ſine interprete; inde illa hiſtoriarum, fabularum, ἀποφθεγμάτων perpetua & inordinata congeries in exordio, in confirmatione, in peroratione, nulla rerum, nulla temporis, nulla loci ratione habita, quæ omnia vulgus pulcherrimas eruditiones appellat, ſapientes viri pulcherrima monſtra. Eſt enim, ut aliarum rerum, ita eruditionis modus quidam, ut definiendo, probando,

amplificando erudita identidem fundas ad delectationem, non effundas ad ſatietatem; tamquam ornamenta pulcherrimæ domus, non cumulata, ſed explicata. Verum ſibi temperare nequit, ut maxime nitatur, qui cœpit ab infantia lectitare, & μνημονεύματα conficere. Proponitur huic aliquid ad dicendum, ſive in templo, ſive in Academia. Itur ſtatim ad adverſaria. Quid tum? Non incluſum, aut cogitantem videas, ſed magna corporis animique contentione hac atque illac diſcurrentem, parantem undique libros, bibliothecas pæne ipſas ſedibus convellentem. M. Tulli, quid præbes ex Tuſculanis, quid ex Officiis? Cave diligenter, C. Plini, jam eſt in Hiſtoria tua. Plato, Laerti, Plutarche, præclare vobiſcum agitur, ſi indice caretis, ſin minus, conferte ſymbolam. Jam proceſſit opus; verſiculos numerat; non ſatis eſt: hæret, rodit ungues. Inſtauretur librorum acies; ſuccedant ſacri, Biblia, Concilia, Interpretes, Græci omnes Latinique Patres; nemini parcendum eſt. Quid expectatis, Auditores? Exit, non oratio, ſed Polyanthea. Verum [illegible]mvero non novit ingenia, nec artem novit, [illegible] ab hoc genere hominum aliter poſtulat. Cum enim lectioni a pueritia dedititiſſimi, numquam aſſueverint cogitare ac promere ſua, coguntur deinceps in omni vita aut roſtris abſtinere, aut aliena temere compacta profundere. Careat ſtilo neceſſe eſt, careat dicendi genere ſibi proprio, qui qua ætate maxime formandum erat, legendo tempus trivit, ſive, ut ex ejus ſenſu loquar, eruditioni parandæ operam dedit. Sed quæ, malum, eſt iſta eruditio vel fruſtra, vel intempeſtive

ve

ve ab Oratore quæſita? Numquid non ſatis ad erudiendas vel Muſas ipſas, numquid non ſatis ad fatigandas ingentia illa Gruteriana & Græviana volumina, niſi oratiuncula quælibet ad eruditionem traducatur? Convenere homines judicaturi, ſive ſuadeas, ſive diſſuadeas, ſive laudes, ſive vituperes, ſive accuſes, ſive defendas; teque tuamque cauſſam, non ſi erudita, ſed ſi vera dicas, aut vera dicere videaris, ſecuturi. Nolo hic diſſimulare, Auditores, & eſſe, & me ipſum vidiſſe nonnullos ita laboris patientes, naturaque fecundos, ut cum multa quotidie legant, ſcribere tamen non ſuperſedeant; & utramque conjungant exercitationem. Horum ego ſtilum non nego eſſe aliquem, ſed nego eſſe probabilem, qui optime norim non ad unius hominis, aut ætatis imitationem, ſed ex omnibus promiſcue Latinæ linguæ ſæculis, & ex omni ſcriptorum genere conflatum eſſe; ut cum dicunt, non uno ore, ſed prope multiplici dicere videantur. Non enim poteſt eſſe unus, non conſtans, non æquabilis ſtilus ille, qui multorum librorum lectione trahitur in diverſa; nec oratorem ſapit, quod poetica multa, nec poetam, quod oratoria contineat. Hoc vitium eſt elocutionis maximum, in quod vel ſapientiſſimi viri neceſſitate quadam labuntur; hic κοινισμὸς, quem evitare ne ille quidem potuit ſummus in hac civitate patrum noſtrorum memoria litterarum arbiter Octavius Ferrarius, quem tamen accepimus & pro ſua prudentia ſe probe noviſſe, & pro ingenuitate ſæpe dixiſſe, Humanitatem ſe, non Eloquentiam profiteri. Quippe intelligebat vir immortalitate digniſſimus, publice

docendi munus ab ipſa adoleſcentia ſuſceptum aditum ſibi ad univerſam eruditionem Græcam Latinamque patefeciſſe, ad oratorias ſcriptiones interclusiſſe. Cogebatur enim pro ea, quam inierat, docendi ratione totam verſare antiquitatem, nec ullo umquam certo loco conſiſtere; modo eſſe in Tullio, modo in Apulejo; a Livio deſcendere in Marcellinum, a Catullo in Auſonium, a Virgilio in Claudianum; a Latinis continuo ad Græca tranſire, a Græcis ad Latina; undique autem ea colligere, ſimulque committere, quæ a ſtili ſimilitudine longiſſime abhorrebant. Libuit in rem hanc Ferrarium afferre, tum ut quibuſdam reſponderem, qui locutionem ejus ex orationibus judicantes accuſare ſolent; tum vero maxime, ut tanti viri nomine orationi meæ fidem & auctoritatem conciliarem. Ad noſtros redeo, quos video tanto peccare gravius, quanto minus peccare ſe ſentiunt. Ille enim adoleſcens, ille vir, ille ſenex ex inſtituto multa legebat, iſti ex deſidia. Etenim varia multorum Scriptorum lectio, quid habet laudis, quod non ſit vel cum ignaviſſimis commune? Nemo eſt tam otioſus, nemo tam bardus, modo litteras aliquando attigerit, quin poetas ſaltem, aut hiſtoricos jucundiſſime legat. Hinc ad longiſſimas æſtatis horas fallendas, hinc ad lenienda ſolitudinis tædia, hinc ad ſomnum conciliandum remedia petuntur: ut jam experientia didicerim, eos fere, qui ſe mihi gloriantur multa legere, dulciſſime otiari, ſed laudem ex otio malitioſe quærere. Quos ego tantum abeſt, ut velim confirmata jam ætate ad ſcribendum compellere, ut etiam valde deterream;

ne

ne in vitium incidant, de quo ante dicebamus, hoc eſt in confuſam ſibique diſſimilem dictionem, cujus partes ſingulæ latinæ ſint, genus vero totum barbarum ac pæne monſtroſum. Huc ſi ſpectant eorum conſilia, in eo, quem inſtituerunt vitæ curſum, ſapientiſſimi ſunt, quod nihil audeant ſupra vires: ſin autem laboris metu, quod plerique omnes conſueverunt, abhorrent a pugillaribus, eſt quod illis bonam mentem precemur. Interim vero ſine ulla dubitatione ſtatuamus, legendi jucunditatem ab omni labore vacuam primam eſſe cauſſam, cur adoleſcens libentiſſime legat. Altera aliquanto turpior ſolet eſſe furandi libido, orta procul dubio ex illa rerum ac verborum inopia, quæ nondum progreſſum ad Philoſophica comitatur. Fit enim inde, ut de ſe ipſe deſperans, aliena perquirat; quæ ſiquando callide corraſa, & in rem propoſitam belle deducta magiſter laudet, actum de illo eſt: nihil amplius cogitabit, nihil inveniet; libros compilabit omnes; alia ſumet, alia detorquebit, modo libere, modo furtim, apte, inepte, ut unumquodque implendæ tabulæ idoneum videbitur. Scribatur dica, plagiarius eſt. Neque enim video, cur furti appelletur, qui totam ab uno orationem ſurripuit, parcatur vero illi, qui multorum laciniis uſus eſt, & peſſimum nobis quaſi centonem venditavit. Sed hac ratione nimis plane multi inter oratores irrepſerunt, numeroque ipſo defenduntur; atque adeo honeſtiſſimo imitatorum nomine, probante ac volente populo, gaudent. Ego equidem veteri Romano populo quid liceret in danda hominibus verbiſque Romana civitate,

ſatis intelligo ; quid noſtro huic Patavino , quid Veneto, quid Florentino liceat, prorſus ignoro. Inconditum hoc latinæ dictionis genus probent civitates omnes, probet Italia tota, Gallia, Germania , Hiſpania probet , niſi grande illud nomen , *Senatus Populuſque Romanus* e ſuis , tumulis excitetur , jubeatque ita fieri , intercedo . Etſi autem ſcribendi ratio hæc, ſeu potius deſcribendi ex multorum lectione plerumque oritur , quod minus videantur ablata , quæ a multis, quam quæ ab uno auferuntur ; non tamen negare auſim contingere poſſe , ut ex unius Scriptoris penu tale aliquid educatur. Quod ſi quis in Longolio , viro ceteroquin elegantiſſimo , diligenter animadvertat , non multa fortaſſe inveniet in ejus orationibus membra , quæ non ſint Ciceroni tamquam domino adjudicanda. Sed ille cum cœpiſſet ſuum ſibi formare dicendi genus , immatura morte præreptus, non potuit efficere, ut multis ad latinam eloquentiam exemplo eſſet. Quod vero Bembum , italici latinique ſermonis lumen in omnium ſæculorum oculis ſplendidiſſimum , barbari quidam Tranſalpini in eo accuſare non dubitarunt , concedendum eſt illis , ut de re , quam ignorant, perperam judicent. In quibus tamen Juſtum Lipſium æquiſſimum virum cenſere nolo , qui cum eſſet aliquando non prorſus honorifice de Bembi ſtilo locutus, ſuum ipſe errorem & in epiſtola ſexta Centuriæ ad Italos , & in fine Taciti , & in Defenſione poſthuma ingenue confeſſus eſt, magnique & oratoris & hiſtorici nomen immortali genere laudum exornavit. Si tamen alterutra in parte delinquendum eſt ,

mi-

minus offendit aures, qui uni plus juſto adhæret, quod aliena quidem, ſed inter ſe ſimilia conjungat; quam qui ex multis, ætate ac dicendi forma diverſis, nullo modo cohærentia ſuffuratur. Jam vero ultima cauſſa afferenda eſt, cur adoleſcentes multa legant; quam unam ſi probatis (videte quantum tribuam ſapientiæ veſtræ) cedo ſtatim de re tota, pueroſque noſtros dux ego atque auctor in magnam bibliothecam ſtatim duco. Hoc nihil eſt aliud, quam modus legendi ita velox, ita præceps, ut ſingulis diebus ſingula volumina percurrantur: unde tantum exiſtit ad eloquentiam comparandam adjumenti, quantum ad hiſtoriam ex eorum peregrinationibus, qui citatiſſimis equis per urbes feruntur. In quo ego ætatem illam non reprehendo, quæ impetum ſequitur ac levitatem ſibi propriam; utque ejuſdem loci, ita ejuſdem libri cito ſatietate tenetur. Illos reprehendo, qui levitatem iſtam laudando fovent, putantes magnæ cujuſdam eſſe virtutis multorum Scriptorum nomina recitare: ſiquidem nihil præter nomen tanta velocitate legentibus hærere poteſt. Sentio me, oratione ipſa ducente, ad eos delapſum, qui ſibi perſuadent, & ubique prædicant, hujus ætatis ſtudia, ſtudiorumque famam librorum titulis & indicibus contineri. Iſti ſi ſapiunt, tota concidit oratio mea; in eoque laborandum eſt unice adoleſcenti, ut mature incipiat per bibliothecas curſitare. Itane vero patiemini, Auditores, futilem hanc doctrinæ ſpeciem in ſapientiſſima civitate jactari, ac vobis obtrudi? Impune ergo oratores laudabit, ac reprehendet; poetas, & hiſtoricos penſitabit; de

Philoſophis, de Theologis, de Juriſperitis ſententiam feret, qui graviſſimas facultates prima Scriptorum pagina definierit? Eſt aliquid reſpondere poſſe de Plutarchi nomine & patria; quot in libros ejus opera diſtribuantur; quis quonam ſermone verterit; quis primus, quis poſtremus ediderit; quis Anglus, aut Batavus variis lectionibus illuſtraverit: ſed quia interim vacat ingenium, nobiliſſima hominis pars, malim hæc in bibliopola, quam in viro litterato reperire. Video enim quam ſit difficile, hæc omnia præſtare, quæ totam hominis vitam occupant; nec tamen illa omittere, quæ utilius & honeſtius occupare poſſunt. Non eo ſane conſilio pueros nobis veſtros tradidiſtis: non huc ſpectant cogitationes illæ, labores, impenſæ, quas eorum cauſſa libentiſſime ſuſcepiſtis, & ſuſcipere nos una vobiſcum tantopere vultis. Eſt aliquid ſupra librorum titulos, quo contendatur; ſed illud ejuſmodi eſt, ut in tanta legendi celeritate deprehendi non poſſit. Immorari oportet rebus ſingulis, quæ maxime eminent; idem ſubmiſſa voce legere, idem elata; quodque ſemel legeris, iterum ſæpiuſque repetere; & cogitatione vehementiſſima in omnem partem verſare. Si enim lectio ad imitationem inſtituta eſt; imitari vero nihil eſt aliud, quam ſimiles eorum fieri, quos nobis ad imitandum proponimus; certe non curſu, ſed mora longiſſima opus eſt, ut illorum dicendi genus modo in univerſum, modo per partes ſingulas meditantes, in nobis ipſis altiſſime defigamus. Ita ſi legat adoleſcens, vix unum, aut alterum latinæ linguæ Scriptorem ad multam ætatem evolvet;

nec

nec erit nobis a librorum multitudine revocandus. Non alia, credo, cauſſa primi illi attritæ latinitatis ac pæne ſepultæ reparatores tantopere floruerunt, ut uno tempore ſtudium hoc & inchoaſſe videantur, & perfeciſſe, niſi quia pauciſſimos libros habebant, quibus ſe addicerent, vel nondum editis tot voluminibus, vel nondum ſatis librariorum opera propagatis. Nunc vero quanta undique ſuccrevit librorum ſeges! quam multæ, atque operoſæ officinæ! quot publicæ privatæque bibliothecæ, non modo ad litterarum ſtudia, ſed quod oſtentationis eſt non ferendæ, ad parietum quoque ornamentum! Quæ copia multo quidem major, quam a nobis explicari poſſit, vel faſtidium parit, vel levem illam legendi curam, quæ ſine ullo eloquentiæ fructu, atque adeo cum detrimento plerumque expletur. Cavete, Adoleſcentes, magna animi proviſione cavete. Inſidiæ vobis ubique parantur, eoque periculoſiores, quod parantur ab amicis. Nolite animum pravis libris vitiare, nolite turbare multis. Habete rationem ætatis, habete ſtudiorum, habete etiam aliquam voluntatis in vos meæ, quæ nihil me ſinit aut cogitare, aut efficere, quod non ante cognoverim certis exploratiſque argumentis inſtitutioni veſtræ profuturum. Illos ipſos, qui ætate jam ſunt confirmata, *non multa legere, ſed multum*, ex veteri proverbio Plinius jubet: lib. 7. ep. 9. quanto vos minus vagari oportet, atque in varia diſcurrere, qui nunc primum ire aggreſſi, de via ſi paullum deflectitis, tanto magis errabitis, quanto ſolent eſſe aberrationes a ſcopo itineris initio longiores. Unum vobis ſufficere Ciceronem viri

in hac arte peritiſſimi exiſtimarunt. Querebamini. Largius egimus: Cæſarem conceſſimus, Terentium, Nepotem. Non ſatis fuit. Horatium addidimus, Catullum, Virgilium. Pergentibus altius, & Livium, & Curtium, & Ovidium, & alios deinceps præbebimus. Sint alii de ſe ſolliciti: nihil vobis deeſſe poteſt, ubi tam multi veſtra cauſſa laborant; ubi Princeps liberaliſſimus laborare jubet. Quamdiu nos per ætatem ac valetudinem graviſſima onera ſuſtinebimus, quamdiu ille, qui nequit a ſeipſo deſciſcere, ſuſtinentibus benefaciet; non libros, non typos, non præceptores, non alia ſtudiorum veſtrorum adjumenta deſiderabitis.

EPISTOLA

Præpoſita editioni primæ hujus Orationis.

POlitiorum litterarum cognitionem, quod ad hominis naturam ac dignitatem ſupra ceteras artes ac diſciplinas pertineret, veteres Humanitatem appellarunt: nos communem ſecuti ſcholarum noſtrarum uſum, eam dicimus Humanitatem, quæ Rhetorices elementa tradit, hoc eſt recte conficiendæ periodi ornandæque præcepta. Huic proludere cum deberem, eam removi librorum copiam, quæ puerorum ſtilum aut retardare, aut vitiare poterat tanto quidem periculoſius, quanto tectius magna ſpecie boni commendata incautis nocere ſolet. Ubi ætas ac ſtilus confirmata ſunt, non ego homines a legendo deterreo: tametſi Plinius alter, & alter Seneca, tametſi Franciſcus Petrarcha, vir utroque illo præter-

quam

quam annis nihilo minor, cuilibet ætati ad ſolidam bonarum artium gloriam contendenti paucos libros concedunt. Sed alia fortaſſe aliis ſtudiis atque temporibus præcipienda ſunt. Interim ego pueros inſtituo; nec porro pergo, niſi ubi aliquorum vitia a pueritia contracta, pravæque conſuetudines jubent me viros ſeneſque ad exemplum producere, & alia ab aliis ducendo per omnes ætates diſcurrere. Tu, ſi quid rectius habes, noli modeſte petenti denegare, vel danti, quod habet, ſuccenſere. Vale.

ORATIO III.

AD RHETORICAM.

Præcipua Rhetoris cura debet eſſe verborum.

ETſi de primis puerorum ſtudiis cum dicerem, non prorſus timore carebam, quem abjicere totum hoc in loco nemo poteſt, niſi prius verecundiam abjecerit; attamen res ipſa per ſe parva non tantam eloquentiæ vim poſtulare videbatur, nec tantam movere hominum expectationem, ut tamquam in magno diſcrimine exanimarer. Nunc vero longius progreſſus, ad Rhetoricen cum pervenerim, tantumque dicendi genus augere debeam, quanto res, de qua dico, ſublimior eſt; incredibili quodam timore perfundor, nec animum qua ratione confirmem in hac mearum virium imbecillitate omnino reperio. Miſerum eſt enim, ne dicam turpe, de Rhetorica diſputantem nihil afferre poſſe Rhetorica dignum; illamque orationis exilitatem arti ceterarum principi accommodare, quæ, de minutis rebus cum ſermo eſſet, vix toleranda videbatur. Licuit de Grammatica ſive ſummiſſe, ſive temperate dicere, licuit de Humanitate: nunc autem niſi rerum ubertate ac magnitudine, niſi verborum ac ſententiarum ſplendore, niſi vocis & geſtus dignitate oſtendimus eloquentiam ipſam in roſtris eſſe, officio abutimur ac nomine tanto, abutimur celebritate hac, tempore, loco, patientia ve-

ſtra

ſtra plane abutimur. Neque vero tacere licet, ubi facultas hæc noſtra malevolorum obtrectationibus in magnam invidiam adducta, nobiliſſima ſui parte, hoc eſt elocutione periclitatur. Increbuit enim ſermo, latiuſque ad ignaviam fovendam quotidie diſſeminatur, eloquentiæ nervos & gravitatem infringi verborum ornatu, fruſtraque adoleſcentes in elocutione paranda ad multam ætatem laborare. Id ego ſi mihi obtrudi patiar, ſaxeus plane ſim; ſi me tacente, obtrudi aliis, turpiſſime videar mearum partium oblitus. Excuſſo igitur timore omni, ipſaque erectus Scholæ vindicandæ neceſſitate, hoc ipſum contendo in Rhetorica tradenda præcipuum eſſe, quod iſti minimum putant, delectum & collocationem verborum: idque ita contendo, ut niſi penitus in aures veſtras animoſque inſeruero, totum hunc ſtudiorum noſtrorum ordinem improbari velim, meque meoſque omnes ab hoc intento curſu ad litterarum elementa tamquam ad carceres revocari.

Age, congrediamur. Quid eſt quod ægre ferant, nos in verborum cura tantopere occupari? Quoniam, inquiunt, ex tribus eloquentiæ partibus invenire ac diſponere prima ſunt, eloqui vero poſtremum, minimique laboris, minimæque dignitatis. Hic ego non tam doleo, quod in illam artem diſputant, cujus naturam & rationem ignorant, quam quod nomina ipſa rerum non aſſequuntur, ſibique ipſi per ſummam imprudentiam contraria dicunt. Cur enim eloquentiam appellant, cujus eloqui poſtrema pars eſt, cum poſſint ac debeant a principe parte ſuæ facultati nomen

men

men dare? Non decet graviſſimos homines eorum auctoritate moveri, qui cum ſtatuiſſent eloquendi virtutem in oratore ſupra ceteras eminere, non eum inventorem, non compoſitorem, ſed eloquentem appellarunt. Quid non ludum aperiunt? Quid tamdiu ſuam iſtam doctrinam nobis invident? Quid dubitant exire, vetereſque magiſtros, mutatis & rebus, & rerum nominibus, docendi gloria diſcipuliſque ſpoliare? O te beatum, J. Cæſar, ſi tales vel Romæ præceptores, vel Athenis invenire potuiſſes. Profecto non ſcripſiſſes, *verborum delectum originem eſſe eloquentiæ*. Miſeret me tui, M. Tulli, qui tibi perſuades, ac litteris mandas, *inventionem ac diſpoſitionem prudentis hominis eſſe, eloquentiam oratoris*. Non hos audire potuiſti arcana doctrina viros. Tu quoque, M. Fabi, doctore indiges, cujus ea vox eſt, *elocutionis rationem partem operis difficillimam eſſe, idque inter omnes oratores convenire*. Falleris; non convenit inter noſtros. Ego equidem, Auditores, cum diu multumque cogitaſſem, unde tantum eſſet quibuſdam hominibus eloquendi faſtidium, mallemque ratione aliqua excuſare, quam ſtultitiæ tribuere, illud unum inveniebam, quod λογοδαίδαλοι neſcio qui, omiſſa rerum cura, verbis ſe totos dedant, quæſtioneſque graviſſimas molli & effeminato dicendi genere ſine ulla verecundia tractent. Peccant hi quoque ex parte altera, graviſſime peccant, quod debeat eſſe aliquid, ut in rebus omnibus, ita in elocutione ſatis: ſed tamen turpiſſimum eſt, quod Græci dicunt, * κακὰ κακοῖς ἰᾶσθαι, eoque ornamento oratoriam artem ſpoliare, quo ferme uno ab aliis diſtinguitur,

Cicero in orat. c. 19.

apud Cicer. in Bruto. c. 72.

in Orat. c. 14.

lib. 8. in proœm.

* mala malis curare.

tur,

tur, & in ſuo quodam genere collocatur. Qui nimius eſt in ornando, quamvis non ita bonus, tamen orator eſt; nec ſane alia re ulla, niſi verborum copia & elegantia in oratorum numerum perveniſſe Curionem, Oratorum Princeps judicavit. Qui vero invenire poteſt, ſed ornare non poteſt, is diſputator eſt, Dialecticus eſt, quidvis eſt potius quam orator: ut ſi quæras a M. Tullio de Piſiſtrato, de Solone, de Cliſthene, deque aliis omnibus, qui Athenis dixerunt ante Periclem & Thucydidem, neget oratores fuiſſe; non quod Civitati omnium bonarum artium parenti per tot annos defuerit ingenium, ſed quia defuit ingenium ad eloquendum. Poterant illi quidem, quemadmodum Romæ M. Scaurus, & P. Rutilius, res optimas invenire, apteque locare; verumtamen (ut ipſius Ciceronis verbis utar) *non refert videre, quid dicendum ſit, niſi id queas ſolute & ſuaviter dicere*. Eſt enim alia quædam dicendi ratio, diſſerendi alia; nec debent Rhetorica, & Dialectica iiſdem terminis concludi, unaque definiri facultate, quæ ἀντίστροφοι ab Ariſtotele dictæ ſunt. Idem eſt utrique propoſitum, ut quid unaquæque res ſit, definiendo explicet; ut ſeparet ab ambiguis; ut in ſuas partes tribuat; ut genera, ut ſpecies, ut quæ antecedunt, quæque conſequuntur, notare poſſit, & ſingula ſingulis conferendo dijudicare. Utraque interrogat ac reſpondet, probat & improbat, impugnat ac defendit: ſed altera anguſte & exiliter, altera copioſe & ornate; illa diſputatione, noſtra hæc oratione. Quod cum Zeno Stoicorum Princeps oſtendere vellet, manus ſimilitudine utebatur,

Cic. in Brut. c. 59. & 66.

Ib. c. 7.

Ibid. c. 29.

Ibid.

Rhet. l. 1. c. 1.

Cic. in orat. c. 32.

batur, eamdemque contractam dicebat eſſe Dialecticam, explicatam eſſe Rhetoricam. Quam ego multos putiſſimos Dialecticos arguere poſſem, qui olim hac ipſa in urbe habiti ſunt Oratores, non quidem a vobis, qui recte ſapitis, ſed a multis tamen non infimi ordinis hominibus, quod ambiguas quæſtiones ad roſtra afferentes acute ſubtiliterque diſſererent. Sed nolo in eam invidiam recidere, quæ tum mihi conflata eſt, quod eos Oratores non putarem. Prodeat in medium Brutus ille, cui tantum tribuere ſolebat M. Tullius, ut libros de hac arte pulcherrimos ejus maxime cauſſa ſcripſerit, & ad eum inſtituerit: ille, ille, inquam, prodeat in medium, qui ab omni periculo invidiæ tutus affirmare non dubitabit, Stoicos fere omnes & ſuæ civitatis, & Græcos prudentiſſimos fuiſſe in diſputando, ſed eoſdem traductos a diſputando ad dicendum inopes eſſe repertos. Itane igitur ſapientiſſimi viri cum de rerum humanarum contemtu dicerent, de magnitudine animi, de modo, de gravitate, de indolentia, deque aliis hujuſmodi; cumque tam multi eſſent, omneſque ea viderent, quæ in re qualibet optima ſunt, & ad perſuadendum aptiſſima; nemo tamen unus ex iis aut eloqui potuit, aut ſine elocutione placere? Nihil exiſtimo afferri poſſe clarius, nihil certius, ut non ſolum intelligatis, ſed oculis prope ipſis videatis, tantam illam oratoriæ artis magnitudinem ac difficultatem, quanta efficere potuit, ut ex omni memoria temporum ac populorum vetera repetentes nihil rarius, quam præſtantes oratores inveniamus, in una propemodum eſſe elocutione. Hæc oratores facit; hæc

apud Cic. in Brut. c. 31.

hæc illos a ceteris, ipſoſque inter ſe per varia genera, varioſque, ut ita dicam, colores vel ſola, vel pœne ſola diſtinguit. Etenim cum dicimus orationis genus aliud eſſe ſublime, aliud medium, aliud infimum; cumque in his ipſis generibus Aſianos oratores a Laconicis, & Atticos ab utriſque diſtinguimus, non de iis quæ dicuntur, cogitamus, ſed de modo dicendi; non de rebus, ſed de ſtilo, qui unus eſt in magna ſimilitudine rerum pro cujuſque natura & exercitatione diverſus. At enim ſtili nomine non verba ſolum, ſed ſententiæ quoque ſignificantur. Ita videlicet: ſed nulla tamen ſententia illuſtris eſt, nulla Oratore digna ſine apta comprehenſione verborum. Tuæ ſunt omnes, M. Tulli, ſingulares, exquiſitæ, ac prope divinæ ſententiæ: ipſæ tamen illæ & cum dicerentur, ingenti populi Romani admiratione exceptæ, & cum ſcriptæ ſunt, totius Orbis omniumque ætatum conſenſione probatæ, ſi dura & inquinata aut Apuleji, aut Tertulliani, aut Marcellini dictione fœdentur, non ſecus ac pulcherrimæ matronæ obſoletis ſordidiſque veſtibus indutæ, pulchritudinem omnem ac dignitatem amittent. Contra vero nulla eſt tam minuta ſententia, tam nulla vulgaris, quæ Tulliana periodo comprehenſa, Tullianis floribus ornata, Tulliano colore picta, non in aliam ſtatim naturam migret, aureſque hominum & novitate capiat, & ſuavitate detineat. Hoc vero non oratoribus proprium, ſed etiam poetis eſſe commune, cum ipſa probat artis utriuſque cognatio, tum vir acutiſſimi ingenii T. Taſſus animadvertit; qui de Italico Caſæ epigrammate cum diffe-

l. 3. de orat. cap. 6. & in orat. c. 44.

rer et, oſtenderetque præcipua ejus lumina eſſe verborum, ſine ulla dubitatione affirmavit, communes tritaſque ſententias, elocutionis ſplendore illuſtratas, reconditis atque eximiis, ſed luce carentibus & ornatu, longiſſime antecellere. Verum de poetis nihil ad nos: oratores quidem certe niſi huc labores omnes cogitationeſque conferant, ut quæ invenerint, concinne & eleganter efferant, nihil inveniſſe, nihil tenere videbuntur, vacuiſque ſubſelliis verba facient. Sin autem mirabili hac augendarum rerum & ornandarum virtute valuerint, nihil tam modicum de adminiſtranda Rep. dicent, nihil de rerum natura, nihil de juris legumque ſcientia, quin plura & majora ſcire, quam illi ipſi, qui hæc tractant, judicentur. Eſt enim compoſita & expolita oratio inſtrumentis illis non valde diſſimilis, quæ oculis admota ex una quidem parte res minimas in immenſam magnitudinem augeant; ex altera vero maximas ita contrahendo minuunt, ut vix eſſe in rerum natura videantur. Tale ſibi quippiam, niſi fallor, Iſocrates proponebat animo, qui oratoriam artem cum definiret, hoc totum volebat eſſe, facere de parvis magna, de magnis parva: quod cum diceret, perſpicuis ſane verbis ornandi copiam & varietatem ſignificabat. Quæ enim re ipſa parva ſunt, omniumque experientia & confeſſione parva, non aliter fieri magna poſſunt, quam ſi multiplici ratione explicata, & per varia figurarum genera fuſa ita pingantur, ita colorentur, ut auditorum animos menteſque præſtringant. Hæ ſunt præſtigiæ illæ, a quibus ſibi ſuiſque civibus cavebat Cato, qui Carnea-

Plutarc. in Vita Iſocrat.

dem

dem Athenienſium Legatum cum audiſſet ita pro juſtitia dicentem, ut nemo non aſſentiretur, eumdemque rurſus ita, quæ dixerat, impugnantem, ut omnes ſententiam mutarent; ejicite, inquit, hunc hominem, cui nihil perſuadere difficile eſt. In quo ego Catonem, ſi hominis mores damnavit, non reprehendo; ſi eloquentiam, Catonem in Catone requiro. Huc ſpectabant Leontius Gorgias, Traſymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Prodicus Chius, Hippias Eleus, cum *docere ſe profitebantur, quemadmodum cauſſa inferior dicendo fieri ſuperior poſſet*. Ingens ſane promiſſio, & nimium fortaſſe audax; niſi quod tanta eſt elocutionis vis, ut novam quamdam rebus formam inducens, humilibus dignitatem tribuat, parvis magnitudinem, obſcuris lumen, abjectis nobilitatem. Itaque in hoc qui dominatur, vireſque ſuas & facultatem ſentit, glorietur per me licet, ſe vertere poſſe omnia, imponere omnibus, trahere, impellere, concutere, forum curiamque totam permiſcere. Videtis, opinor, Auditores, in quo ea poſita facultas ſit, quæ nobis ad docendum proponitur: neque vero illi non vident, qui adverſus nos diſputant, ſed quod aſſequi non potuerunt, ſatis callide aſpernantur. Verumtamen novimus homines: clament, irrideant, Nizolium, Doletum, Calepinum nobis objiciant; numquam obtinere poterunt, ut deſipiamus. Id antea ſi didiciſſent, unde nos avocare conantur, efficere aliquid fortaſſe poſſent; quia ne eloquentia quidem ipſa oppugnari poteſt ſine eloquentia. At vero ſua illa jejunitate inopiaque ſermonis tantum abeſt, ut quippiam a nobis exprimant, ut modo

Cic. in Brut. cap. 8.

riſum moveant, modo ſtomachum, modo etiam miſerationem. Quid quod etiamſi non tanta eſſet in eloquendo vis, non tanta dignitas, non denique difficultas tanta, quantam ex iis, quæ diximus, quilibet cognoſcere poteſt; nihilo tamen ſecius puerorum ſtudia, nec puerorum tantum, ſed etiam adoleſcentum in verborum judicio & conſtructione diutiſſime teneremus? Eſt enim præceptoris non deſipientis ſequi naturam, & ea ſingulis ætatibus addiſcenda proponere, quæ ſingulis aptiſſima ſint. Valet memoria juventus, ingenio non ſatis valet; quin ea juventuti tradimus, quæ non tam ingenio indigent, quam memoria? Quid Stoa, quid Peripatus, quid Academia ad hanc ætatulam, ad hoc ingeniolum? Ipſum illud Philoſophicum pallium, ora hominum ad rerum graviſſimarum tractationem compoſita, ipſa ſcholæ ſpecies, nomen ipſum ſapientiæ, ſeveritatis pleniſſimum, accedentes perterrebit. Nullus eſt in Philoſophia locus tam planus & facilis, quam qui de moribus inſcribitur & officio: hunc tamen ipſum cum explicaret Ariſtoteles, adoleſcentes procul eſſe jubebat, & aliunde ſibi, quæ diſcerent pro ætatis ſuæ viribus, comparare. Aut igitur nihil eſt, in quo ætatem primam exercere debeamus, aut una eſt verborum cura; quæ, cum tam neceſſaria ſit, quam eſt a nobis multis rationibus confirmatum; cumque tam minuta appareat, ut neque viros deceat, neque ſenes; non poteſt niſi per ſummam ſtultitiam a Rhetoricis ſcholis ablegari. Sed ablegetur, ſi Diis placet, ablegetur: ſuccedant ejus loco ſpinoſæ Dialecticorum ambages, ambiguæ Juriſconſul-

Ethic. l. 1. c. 3.

ſultorum formulæ, retruſæ Philoſophorum ideæ; traducatur per hæc adoleſcentia; veniatur ad roſtra: quid tum? Nonne vides, te populum habere judicem, hoc eſt qua parte minime vales, plurimos homines; qua aliquis es, modo centeſimum quemque, modo nullum? Itaque cum pauciſſimis placeas communione ſtudiorum, pleriſque omnibus inſanire videris. Philoſophica quædam delibas, & feliciter explicas? Euge, Lucretius annuit. De publico privatoque jure ſermonem inſers, ſciteque diſceptas? Euge, Scævola probat. Altius aſſurgis, & ſiderum motus deſcribis non inepte? Euge, Manilius laudat. Interim vero in verbis peccantem ceteri omnes reprehendunt, puerique ipſi, * ὡς ἐξ ἁμάξης λαλῦντες, impune irrident. En, inquiunt, præclarum Oratorem, qui ne illum quidem ſermonem callet, in quo ſe jactat. Audiſti ſolœciſmos? Vidiſti quo ore, quam duro, quam impudenti in magna civitatis luce, velut in umbra ludoque noſtro, ea diceret, quæ nulla poſſet Latini Scriptoris auctoritate confirmare? Ubi illa invenit adverbia *intrinſece*, *extrinſece*, *amodo*, *cœlitus*, *diviſim*, *fuſim*, *juremerito*, *private*, *duriuſcule*, *gnare*, *diverſimode*, *ſeorſim*, *undequaque*, *ſæpeſæpius*? Ubi verba *ablacto*, *abhorreſco*, *eluceſco*, *inſoleſco*, *correſpondeo*, *exardeo*, *elucido*, *frigefacio*, *irrito*, *intertexo*, *obtenebro*, *promano*, *unio*, *ſubintelligo*? Ubi nomina *hiſtoriola*, *hiſtoriuncula*, *extemporaneus*, *gratitudo*, *aptitudo*, *oſtenſio*, *verſutia*, *valor*, *oſcitantia*, *ironicus*, *panicus*, *cælicus*, *promtitudo*, *ſublunaris*, *exuvium*? Ut nihil pudet! Quid illa, inquit alter, quæ ferrea cum ſint, ferreiſque pejora, populo tamquam au-

* Tamquam e plauſtro loquentes.

rea venditavit? *Influxus & ingratitudo* Firmici, *latinior & latiniſſimus* Hieronymi, *incapax* Prudentii, *licite* Oroſii, *proficuus* Caſſiodori, *titillamentum* Fulgentii, *nullatenus* Capellæ, *econtra* Servii, *accino* Diomedis, *adinvicem* Auguſtini, *abjuratio* Iſidori, *certitudo*, *collimo*, *nuſpiam*, *verſio*, *multoties* fortaſſe nullius. A barbaris ad σόλοικα & impropria deſcendunt, ſibique invicem magno cum riſu memorant *erubeſco negligentiæ*, *gratulor tecum*, *ut tu inquis*, *ſiquæ ſtudia*, *materna lingua*, *abs re*, *ſemel & bis*, *ſi fortaſſe*, & ſexcenta. Talia qui ferre libenter poteſt, & fieri puerorum fabula, verborum curam abjiciat: ſed nobis tamen aliquanto verecundioribus nolit eſſe moleſtus. Qui vero ferre non poteſt, mature incipiat de verbis quærere, & in memoriæ theſaurum ad prima quælibet recipienda paratiſſimum ſelecta recondere. Atqui non deſunt, qui ſerius in viam revocati velis remiſque conentur, ſummoque labore & ingenio adoleſcentiæ damna rependant. Non deſunt enimvero, quia non debent ad hanc rerum humanarum pulchritudinem & varietatem nec in natura, nec in civili adminiſtratione, nec in litteris deeſſe monſtra. Sed iſti tamen, ut cetera conſequantur, numquam profecto ita flectent orationem, quin ex orbe univerſo labor appareat ac difficultas, qualis in citharœdo, qui ſero fidibus didicit, obduratoſque ætate digitos pertinaci exercitatione nonnihil mollivit. Et hi quidem noſtri ſunt, ſed longo tamen intervallo noſtri: quippe elocutionem probant, ſed elocutionem ſimilem ſuæ, ne ipſi non optima conſecuti videantur. Nolunt ſermonem nudum & rudem, ſed ſi paullo ſit ornatior,

tior, tamquam muliebrem & effeminatum rejiciunt. Nihil mite laudant, nihil ſuave, nihil fluens; ſed vehementia, concitata, vibrantia; horrida etiam ſæpe & antiqua; trunca & aſpere cadentia; ſtrigoſa, hiulca, rigida, diſſipata. Genus hoc orationis puræ & emendatæ, ſed neque factæ, neque concluſæ libenter arripitur ab adoleſcentibus, tum quod numero caret, in quo tota eſt ducendæ periodi difficultas, tum quod crebris hiatibus inſiſtens, gravitatem habere videtur, leveſque ſententias ſtrepitu ipſo ſuſtinere. Ego equidem hoc malo, quam nullum; cetera, quam hoc. Neminem enim vidi, qui cum poſſet ornate ac numeroſe dicere in hoc præſertim epidictico genere, in quo uno Latina eloquentia a foro curiaque pulſa denique conſtitit, non ita mallet, quam numeros incidere, & per abrupta inæqualiter ferri, ſeu potius ſubſultare. Adde quod Romani ipſi, quorum eloquentia non ad pompam, ſed ad pugnam nutriebatur, non ante ſe foro populique judicio committebant, quam omnes orationis delicias ſibi comparaſſent, vel comparare conati eſſent; non ut iis ubique uterentur, ſed ut, cum res poſtularet, uti poſſent. In ipſo enim judiciorum certamine remittenda eſt aliquando contentio, & judicis animus pacata ſuavique dictione relaxandus; quod perpetuus idemque curſus non euntis, ſed bacchantis eſſe videatur. Ceterum quod verentur, ne concidat oratio, ſiquando motum inhibeant, & moderatius progrediantur, velim eos cum Cicerone aliquanto verſari familiarius. Quis illo ardentior, quis incitatior, cum in Verrem, cum in Clodium,

cum in Catilinam, cum in Piſonem, cum in Antonium invehitur? Quæ vis, quæ actio, qui curſus univerſa torrentis inſtar abripiens? Cum tamen ſatis putat calere animos, impetum cohibet, & ab acerrima contentione ad elegantem expoſitionem, ad lepores, ad facetias tamquam a Tragicis ad Comica repente deſcendit. Inde refectis viribus, rurſus bellicum canit; crebroque mutato dicendi genere urgendo, jocando, irridendo, execrando ad perorationem accedit, in qua præſertim oſtendit, quantum ipſe elegantia valeat & varietate, quantum varietas & elegantia valeat in eloquentia. Si ergo vitioſum eſt ſuaviter & numeroſe dicere, amandetur hinc Cicero, cujus orationes aliquæ ſuaviſſimæ totæ ſunt, ac pæne Iſocraticæ, ceteræ variæ, magnaque ſui parte ad delectationem compoſitæ. Cicero autem? Amandetur eloquentia ipſa, quæ niſi ſplendida eſt, niſi comta, niſi elegans, niſi numeris perfecta & concluſa, eloquentia non eſt, ſed incondita quædam & ingrata loquendi profluentia. Non ignoro, futuros eſſe aliquos, qui totam orationem hanc ad invidiam detorquentes, dicant hoc ipſo die, me rerum inventionem abſtuliſſe oratori, inanem verborum ſonitum reliquiſſe. Sed utcumque dicant, qui omnia referunt ad reprehenſionem: ego illud primum dico, res Oratori neceſſarias eſſe, quia probare neceſſitatis eſt; ſed rebus fidem artificio verborum afferri, verborum artificio derogari: deinde dico, inventionem eſſe veluti ſolum & fundamentum elocutionis; ſed illam ad multas facultates, hanc ad Rhetoricam ſolam pertinere: denique dico, inveniendi facilitatem

tatem

tatem longe melius, quam in prima, in aliis ætatibus comparari poſſe; facilitatem eloquendi niſi in prima & altera comparari non poſſe. Hæc nos in verborum ſtudio detinere ſolent; hæc detineri nolentibus prædicamus. Hæc eadem Ciceronem, hæc Quinctilianum, hæc ceteros dicendi magiſtros impulerunt, ut eloquendi præcepta multo plura ſcriberent, nobiſque diligentius commendarent, quam inveniendi ſimul & diſponendi. Itaque qui contra nos dicunt, non nos quidem adverſarios habent, qui nulli ſumus, ſed viros in hac arte totius antiquitatis peritiſſimos. Quamquam neminem ego eloquentem virum contra dicentem audivi: audivi Theologos, audivi Philoſophos, audivi Juriſperitos, audivi etiam clamatores aliquos, ſed qui vel ingenii tarditate, vel laboris fuga, vel utroque ab hac laude repulſi, nihil ſibi laudandum putarent, niſi quod ipſi præſtare poſſent. Porro cum Theologos nomino, cum Philoſophos, cum Juriſperitos, intelligo ſane quos viros, quantæque auctoritatis! Sed meum eſt nihil cum fraude diſſimulare, veſtrum autem rationum momentis, non hominum opinione moveri. Illi enim quod ſibi imperaverint, preſſe & acute ad veritatem inquirendam diſputare, pati nullo modo poſſunt verborum circuitus, & illam figurarum copiam, quæ in ſenſus irrepit, eoſque tractando ac permovendo, quocumque incubuerit, ſequi jubet. Liceat illis amare ſua; ſed nobis quoque liceat amare noſtra: illi ſubtiliter diſſerant, nos eleganter; illi ſtrictim, nos late; illi ad ſapientes, nos ad populum; illi vera, nos non tam vera, quam vero ſimilia. Quod ſi obtinere poteri-

ri-

rimus ſine pugna, præclaro fœdere juncti, Apollini Muſiſque litabimus: ſin minus, æterna bella ſuſtinere parati ſumus, te duce atque auſpice, Princeps Eminentiſſime, qui magno ingenio præditus optima vides, magna prudentia jubes, magna conſtantia tueris.

E P I S T O L A

Præpoſita editioni primæ hujus Orationis.

SIve fato aliquo fiat, ſive tanta illa deteriorum orationum copia, quæ in lucem quotidie mittuntur, certe fit, ut in ſumma bonarum artium felicitate magnum ſit eloquentiæ faſtidium, nec jam oratorem niſi de verendis Religionis myſteriis dicentem æquo animo toleremus. Hinc & qui libros parant, & qui typis mandant, ita ſibi orationes cavent, ita omnes pæne ominoſas putant, ut non modo oblatas rejiciant, ſed (quod alicubi contigit) ne ſibi offerantur, propoſitis publice monitis, mature diligenterque provideant. Quod ſi quis ea patientia & humanitate eſt, ut donari ſibi aliquam ſinat, non ea conditione accipit, ut artificio diſtincta ſit, non ut electis verbis gravibuſque ſententiis compoſita, non ut æqualiter conſtanterque ingrediens, & in omnia genera prudenter fuſa; ſed ut variarum rerum eruditione exaggerata, ab orationis forma quam longiſſime diſcedat, & quædam quaſi diſputatio talia quærenti ſæculo videatur. Quaſi vero domina illa fori, domina curiæ eloquentia, ceterarum facultatum apud Græcos Latinoſque facile princeps, nugatorium aliquid ſit; nec diutius in re litte-

tera-

teraria ferri debeat, niſi ſuam illam verborum copiam ſplendoremque abjiciat, & in aliam quamdam facultatem evadat. Audivi ego homines, audivi, qui totum eloquendi ſtudium contemnerent: noſque pro ſua quadam bonitate monerent, ne miſeros adoleſcentes tantopere de verbis ſollicitos redderemus. Id me potiſſimum movit, ut elocutionis cauſſam ſuſciperem; & quantum fieri per me poſſet, oſtenderem, nihil tam eſſe ejus ætatis proprium, quæ Rhetoricis vacat, quam diligens ac diuturnum verborum ſtudium. Itaque primum artem ipſam, tum eorum naturam conſidero, quorum mihi ſtudia commendantur; unde partes exiſtunt orationis duæ. Atque in prima quidem elocutionem potiſſimam eſſe oratoris virtutem ex nomine ipſo confirmo; deinde ex Cæſaris, Ciceronis, & Quinctiliani auctoritate; tum quod ſola ſine inventione ſatis bonum oratorem faciat, inventio ſine illa non faciat; poſtea quod eloquentiam ab aliis facultatibus diſtinguat; deinde quod oratorum genera inter ſe diverſa conſtituat; poſtremo quod faciat de parvis magna, de magnis parva, in quo totam eſſe eloquentiæ vim Iſocrates exiſtimavit. In altera vero parte ita urgeo, quod inſtitui, ut nihil magis adoleſcentiæ convenire, quam verborum ſtudium, nihil verborum ſtudio convenire magis, quam adoleſcentiam contendam. Itaque per quamdam ὑποτύπωσιν *ejus ætatis vitia ſubjicio, quæ, verborum cura primis annis omiſſa, ad dicendum accedit; multiſque confirmo, perfectum oratorem eſſe nullum, niſi qui ſtudiorum ſuorum tempora ab ipſa pueritia recte diſtribuit, & ætati cuique propria mature aſſignavit. Hæc ii ſi legent, quos maxime optamus, deſinent, ut ſpero, aliquando illorum ca-*

lami-

lamitatem dolere, quos in hoc ſtudio ferme uno diu multumque occupatos detinemus. Quod ſi non deſinent, pergam nihilominus incudem hanc validiſſime tundere. Neque enim mihi cauſſam, ſed vires ad eorum animos expugnandos defuiſſe putabo. Vale.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO IV.

AD PHILOSOPHIAM.

Nulla eſt adoleſcentibus tradenda Philoſophia, niſi hiſtorica.

QUod eos feciſſe puto, qui primum Abylam & Calpen prætervecti, nova ingredi maria, novaſque regiones quærere auſi ſunt, ut multis ſubinde difficultatibus impediti, aliiſque ex aliis periculis territi, ſuam ipſi levitatem audaciamque incuſarent; id ego hodierna luce facio, qui ex minoribus facultatibus longo mihi uſu familiariſſimis, tamquam ex patrio littore ſolvens, Oceanum ipſum tentare cœpi, & Philoſophicæ provinciæ velificari. Aliud eſt enim de oratiunculæ partibus, ac de naturæ principiis diſputare; aliud ſyllabas metiri, atque orbem terrarum; aliud denique rerum nomina, ac res ipſas, quæ cœlo terraque continentur, ad multorum inſtitutionem definire, diſtinguere, illuſtrare. Nullus hic verborum globulis locus, nullus translationibus, nullus antithetis; exulat elegantia, jacet amplificatio, artificium omne figuræque frigent; quibus juventuti noſtræ aliquando impoſuimus, & in dicendo eſſe aliquid viſi ſumus. Quamquam ſit hoc difficile multis, qui ſe Rhetorico ludo concluſos exiſtimant, umbræque illius terminis tota vita circumſcriptos; mihi vero non debet eſſe arduum, nec inuſitatum, qui ab ipſa adoleſcen-

ſcentia ex loci hujus inſtitutis in omnes diſciplinas excurri; qui Philoſophiam ipſam triennium profeſſus ſum, qui demum ita in oratoria facultate conſtiti, ut non eam Quinctiliani præceptis definiri putarem, ſed infinita quadam artium ac diſciplinarum cognitione comprehendi, quibus pro re nata (quantum quidem popularis artis natura patitur) in foro, in curia, in judiciis uteretur. Accedit, quod ex omnibus diſciplinis nulla eſt tam eloquentiæ conjuncta, quam Philoſophia, quæ ne diſtincta quidem ante Socratem fuit; & cum per illum diſtincta eſt, priſtinæ tamen communionis memoriam adeo retinuit, ut conſecutis inde temporibus Philoſophi præſtantiſſimi nimiæ contemplationis laborem, ſcholæque ſeveritatem dicendi exercitatione temperare conſueverint; & oratores eloquentiſſimi a fori curiæque tempeſtate in Philoſophicas litteras tamquam in portum aliquem ſe ſe recipere. Verum, utcumque eſt, juvat fidem ſolvere tribus abhinc annis vobis obſtrictam; & id, quod ſentio de hujus facultatis ſtudiis, non ex officio ſolum, ſed ex more quodam meo, mihique inſita dicendi libertate ſine ulla trepidatione patefacere. Ego equidem, Auditores, & ab aliis ſæpe quæſivi, & mecum ipſe reputavi, quid cauſſæ eſſet, quod cum adoleſcentes in Philoſophicis ſcholis diutiſſime teneantur, nihil tamen inde niſi præjudicia quædam plerumque colligant, quibus quaſi ſuperſtitione adſtricti ne fieri umquam Philoſophi poſſint, impediantur: cumque & ejus ætatis imbecillitatem, & ſcientiæ naturam, & communem docendi rationem attente conſideraſſem, in eam denique opinionem veni,

Cic. de Orat. l. 3. c. 19. & Quinctil. l. 1. proœ.

ni, ut exiſtimem, conſtanterque defendam, nullam Philoſophiam, ſeu veterem ſive novam, adoleſcentibus tradendam eſſe, niſi hiſtoricam. Hiſtoricam porro cum dico Philoſophiam, differendi ſtudium prorſus excludo, & grandia illa Academicorum, Peripateticorum, Democriticorum nomina adoleſcentibus adimo, quæ conſequi tam mature nequeunt; nec vero umquam conſequentur, ſi immature affectabunt. Hoc ut oſtendam, multa mihi de tota ratione Philoſophiæ, multa de adoleſcentùm ingeniis, nonnulla etiam de magiſtris dicenda erunt; in quibus non vereor, ut æquiſſimos hujus civitatis Profeſſores ne leviſſime quidem offendam, quos extra omnem ingenii aleam multis in rebus perſpecta ſapientia, ordinis dignitas, fortuna loci, & quod longe maximi momenti eſt, Principis judicium conſtituit. Non eadem eſt ratio privatæ, publicæque ſcholæ; quæque nos in hac umbra noſtra anguſtiſſimis definita regionibus vel probanda, vel ſaltem ferenda ducimus, ea ſi in tantam illam lucem hominumque conſpectum afferantur, vel nimis exigua ſunt, vel etiam fortaſſe inepta. Imo ne noſtris quidem ita dico, ut ſtatim majorum inſtituta mutari velim, novamque iniri philoſophandi rationem: quippe mihi ipſe imperavi, nova multa, ſi fieri per me poſſit, excogitare, ſed pauciſſima facere.

Scholarum fere omnium conſuetudine receptum eſt, ut Rhetoricis ſtudiis Philoſophica ſtatim ſuccedant; quod hæc omnibus diſciplinis communia ſint, viamque ad contemplandum, & intelligendum patefaciant. Sive enim Medicus eſſe velis, ſive Theologus, ſive Juriſperitus; ſive demum

ad

ad poeſim, aut eloquentiam redire; facem veluti quamdam facultatibus ceteris præfert Philoſophia, illis ſe omnibus inſerit, magnamque ſui partem pro cujuſque neceſſitate liberaliſſime ſuppeditat. Sed cum philoſophandi rationes multæ ſint, maximeque diverſæ, nulla eſt earum tam diligenter colenda, ſi fructum quærimus inſtitutionis, quam quæ latiſſime patet, & ad quamlibet diſciplinam contendentibus auxilia plurima ferre poteſt. In quo ſi Philoſophos ipſos conſulamus, hanc ſibi quiſque laudem magnis clamoribus ſumet atque arrogabit; ſin autem ratione agamus, facile reperiemus, non vetus philoſophandi genus, aut novum, non Academicum, non Stoicum, non Peripateticum tot tantiſque rebus ſufficere; ſed unum illud, quod omnia cum veterum, tum juniorum Philoſophorum dogmata, ſine ullo partium ſtudio deſcripta & expoſita complectatur. Si enim Theologis Ariſtoteles potiſſimum & Plato, ſi Pythagoras Mathematicis, ſi Moralibus Socrates, ſi Solon & Lycurgus Juriſperitis, ſi Medicis utiles illi ſunt, qui non tam contemplando, quam experiundo philoſophantur; ad omnes iſtorum libros adoleſcentes ducendi ſunt, omniumque doctrinis inſtituendi; ut quocumque tandem ſive neceſſitate, ſive conſilio, ſive etiam caſu aliquo deferantur, munitiſſimi accedant. Neque vero hoc tam eſt infinitum, quam ſibi aliqui fortaſſe fingunt. Ita me Superi ament, ut multo plus operæ ac laboris inſumunt, qui uni ſe Philoſopho dediderunt, ejuſque cogitata omnia per ambages æternaſque lites propoſita addiſcunt, quam qui Philoſophorum

rum

rum omnium opiniones ſimplici narratione concluſas memoriæ mandant. Ut enim principem totius Philoſophiæ locum attingamus, nonne facilius eſt naturæ principia, quæcunque ſunt pro ſectarum varietate inventa, litteriſque tradita, in medium afferre, & ſine ullis controverſiis explicare, quam ſe totum ad unius hominis auctoritatem conferre, cujus dicta innumeris quæſtionibus enucleanda ſint, argumentis munienda, privatis publiciſque experimentis propugnanda? Memini ego, memini, quam multis non diebus, ſed menſibus, quantoque cum tædio ingentia illa volumina aliquando volutarem, in quibus de Ariſtotelica materia, de forma, de privatione tantopere diſputatur; nihilque demum percipitur, niſi hominis unius ſententia, acuta certe quidem & Ariſtotele digna, ſed immenſis difficultatibus involuta, anceps, ambigua, & antiquis oraculis pæne ſimilis. Animadverti ſæpenumero, quam totum illud ſcrutandæ naturæ genus auditoribus identidem oſcitantibus diſpliceret, cum magno verborum apparatu, magnaque animi contentione quærerem, *utrum privatio eſſet aliquid; utrum cum materia & forma componeret totum; utrum totum ipſum a ſuis partibus ſimul ſumtis diſtingueretur; utrum materia poteſtas eſſet; utrum ſola poſſet exiſtere; utrum nihil, an non ens appellari deberet*; & id genus alia alio tempore, & aliis hominibus fortaſſe pulchra. Sed hæc cum more facerem inſtitutoque majorum, nec aliter facere vellem, quam juberer; id tamen inde uſque decrevi, ſiquando mihi dicendi publice copia daretur, totum hoc, quidquid eſt operæ,

F im-

improbare, & hiſtoricum quoddam philoſophandi genus proponere, quod varietate rerum & facilitate juventutem alliceret, & ſine ſatietate detineret. Quanto enim eſt ad docendum liberalius, & ad diſcendum expeditius, ſi dicas, res omnes apud Pythagoreos materia numeriſque conſtare, hoc eſt materia certo partium numero compacta; materia & ideis apud Platonicos, hoc eſt materia per varias divinæ mentis ideas varie diſpoſita; apud Peripateticos materia & forma, hoc eſt materia per ſuas formas abſoluta & perfecta, & in certis rerum generibus collocata? Quod ſi addas infinitum Xenophanis & Meliſſi, chaos Empedoclis & Anaxagoræ, plenum & inane Democriti, frigidum & calidum Parmenidis, terram Heſiodi, aquam Thaletis, aerem Anaximenis, ignem Heracliti; tantumque in ſingulis immoreris, quantum ſatis eſt ad explicationem; jam id effeciſti in parte totius Philoſophiæ difficillima & implicatiſſima, quod omnes debeat adoleſcentes non dicam ingenuos, & ad ſtudia natos, ſed etiam bonarum artium oſores mirifice delectare. Ex quo etiam fieri poteſt, ut illi ipſi, qui conſuetudine potius, aut otio quodam, quam philoſophandi cupiditate Philoſophos audiunt, multiplici hac & expedita cognitione pellecti, aliarum rerum cogitationem deponant, & in hoc ſtudio diutiſſime conſiſtant. Quamquam quis eſt unus ita philoſophandi cupidus, & ad has præſertim Dialecticorum ambages, unde graviſſimæ facultatis initia ducuntur, ita factus, ut eas ſtatim avidiſſime arripiat, & ſine ullo magiſtri artificio perſequatur? Omnes ferme adoleſcentes, quicumque

inge-

ingenio aliquo & induſtria valent (tardis enim & inertibus æque omnia ſolent eſſe moleſta & impervia) omnes, inquam, iſtiuſmodi adoleſcentes a ſuaviſſimo muſarum amplexu inviti divelluntur, ut ad ſeveriſſimos homines Zenonem & Ariſtotelem adducantur; nec mihi adhuc inventus eſt ullus, quin ipſo in limine valde palluerit, tamquam ab amœniſſimis hortis in vepres & dumeta compulſus. Quod ſiqua ratio eſt terroris hujus vel tollendi prorſus, vel minuendi, ut certe non deerit diſſerendi libidinem coercenti, quid eſt cur nolimus auditoribus hilaritatem, & ſcholis frequentiam comparare? Sed hactenus de illis, quorum vitæ ratio dubia eſt, necdum quo tendant, certo conſilio conſtituerunt. Agedum ad illos veniamus, qui politiorum litterarum cupidiſſimi, eo curas omnes ac ſtudia referunt: neque enim omnes tam brevi oratione complecti poſſumus, neque tamen illos omittere debemus, quorum ipſi laudem & gloriam ſequimur, tametſi non aſſequamur. Jam porro cum litterarum & eruditionis nomine veterum ſcriptorum interpretatio præter cetera contineatur, tantumque pateat provincia hæc (nequid ſupra hominis vires ab homine poſtulemus) quantum Græcæ Romanæque litteræ; uter de ſe plura præſtare poterit, & magnam illam eruditi perſonam ſuſtinere, iſne, qui totus ſit Ariſtotelicus, vel Platonicus, vel Democriticus, an vero ille, qui Ariſtotelis, qui Democriti, qui Platonis, qui denique Philoſophorum omnium, quicumque in aliquo numero ſunt, & familiam aliquam ducunt, opiniones teneat, alias ab aliis diſtinguat, & ad auctorem quam-

que ſuum, ubicumque invenerit, referre poſſit? Primus quidem ad pugnandum paratior erit, & ſiquid incidet ex ſchola ſua, Philoſophus etiam judicabitur valde bonus; ſed ubi ſe alia ex aliis ſcholis petita pro Scriptorum varietate offerent, in pleriſque deficiet, ſibique diſſimillimus, nec Philoſophus eſſe videbitur, nec eruditus. Alter vero ad philoſophandum nullo certo genere acer, ſed in omnibus tamen diligenter inſtructus, perpetua quadam, ſibique conſentiente doctrina in omni antiquitate verſabitur, & quidquid occurret ex Philoſophia, cujuſcumque tamdem ſit ætatis, cujuſcumque ſectæ, cujuſcumque hominis, ita pertractabit, ut id potiſſimum profiteri videatur, nec tamen ad loquacitatem & contentionem profiteri. Vix dici poteſt, in poetarum præſertim interpretatione quam multa requirantur ex omni Philoſophica hiſtoria deprompta. Stoici quidam ſunt, quidam Epicurei; ſed neque Academici deſunt, neque Peripatetici, neque Pythagorei, & in uno ſæpe carmine multorum Philoſophorum placita conjunguntur. Accedat huc aliquis ex illis, qui tantopere ſibi placent, quod ſectæ alicujus nomine cenſeantur: hærebit identidem, dubitabit, hallucinabitur, modo librarium negligentiæ, modo Poetam obſcuritatis poſtulabit; & ipſa illa, quæ recte dicet, timide, cunctanter, ambigue, quaſive divinando dicet. Ex hac totius Philoſophicæ eruditionis ignoratione magna quædam Criticis ſcribendi ſeges exorta eſt, qui Homerum præſertim tamquam ineptum fabularum narratorem condemnarunt; quod multiplicis ſapientiæ ſemina, ex vetuſta Ægyptiorum

rum

rum ac Phœnicum diſciplina collecta, fabuliſque concluſa non intelligerent. At enim paucis loquimur; nec tanti eſt in litteraria Rep. Grammaticorum & Rhetorum ordo, ut ſtatim Philoſophicæ inſtitutiones ejus cauſſa mutandæ ſint. Non omnia breviſſimo tempore afferri poſſunt, ut ante dixi: verumtamen ſi numero agenda res eſt, non eruditos modo, ſed univerſam hominum ſocietatem complectar, quibus ad honeſte colloquendum, ſeque mutuis ſermonibus oblectandum tanto magis ſtudium hoc noſtrum plurima cognitione diffuſum prodeſſe oſtendam, quanto pulchrius eſt multis in rebus verſari dicendo poſſe, quam eodem ſemper veſtigio hærere, eademque recoquere. Etenim ſi humanæ vitæ conjunctio nulla re magis, quam honeſta quadam & jucunda ſermonis communione alitur, quid eſt quod hominum conſuetudines & familiaritates magis ornare poſſit, quam collecta hæc ex omni Philoſophiæ genere, de quacumque re, quæ in diſceptationem cadat, dicendi copia & prudentia? Etſi autem non omnis de rebus Philoſophicis controverſia eſt, nulla tamen ceterarum facultatum tam ipſa per ſe conſtat, quin ad veteres Philoſophos, unde omnis profluxit cujuſcumque generis ſcientia, aliquo modo referatur; ut qui ſe hac in parte munierit, nullum doctiſſimorum hominum ſermonem, nullam diſputationem reformidet. Itaque ſi quis eſt, quem potiſſimum velim Philoſophica hiſtoria ad elegantiorem vitæ uſum erudiri, ii certe ſunt, a quibus nobilitas generis, & fortunarum copia nihilo plus ſcientiæ poſtulat, quam quantum ad honeſtas amicitias conciliandas,

& probe colendas politiſſimis moribus ſatis ſit. Nihil enim in amicitia poteſt eſſe inſuavius, quam intemperantia illa ſubtilius diſputandi, & quæſita alternis pæne verbis in uno aliquo genere ſcientiæ opinio: quo tamen morbo omnino carere nequeunt homines iſti moleſtiſſimi, qui non multiplicem, ſed magnam eximiamque cognitionem e ſcholis hauſtam profitentur. Fac enim illos ſibi videri Peripateticos (magnum ſane nomen, & antiquæ gloriæ fama verendum, ac pæne ſacrum, ſi loco & tempore uſurpetur; ridiculum, ſi ad oſtentationem obtrudatur) fac, inquam, eorum aliquem Peripateticum ſibi videri: nullum jam licet inferre ſermonem, quin eodem recidatur. Græcorum Remp. attingis? Græcorum, inquit, Ariſtoteles ſapientiſſimus fuit. Macedonas appellas? Magnum, inquit, Alexandrum inſtituit Ariſtoteles. De Rhetore aliquo mentio eſt? At ille, Rhetorica præcepta Ariſtoteles optime ſcripſit. Ad Philoſophum tranſis? Hic vero magna voce clamat, Philoſophorum princeps eſt Ariſtoteles. Nihil denique nec infra Lunam, neque ſupra nominabis, quin ad Ariſtotelem & Ariſtotelicos libros, velis nolis, citiſſime deducaris. Nimirum nihil præterea novit. Quare nobiliſſimi adoleſcentes, qui ad unam communis vitæ elegantiam, civilemque convictum inſtituuntur, ne quando per hæc, aut ſimilia ridiculi fiant, non tam ut multum diſcant, curare debent, quam ut multa. Ergo, inquiet aliquis, adoleſcentes illi, qui Philoſophi futuri ſunt, totiuſque gloriæ, aut etiam vitæ ſpem in hoc ſtudio collocarunt, certis ſe claudere finibus debent, parteſque illas mature elige-

eligere, quas deinde ſine ulla aberratione ſequantur. Equidem non diffiteor, in re ceteroquin valde plana id unum eſſe ſcopuloſum atque difficile, quod hiſtorica Philoſophia ſatis ornare videatur ad alia pergentes, non ſatis munire philoſophantes. Videte, Auditores, quam nihil diſſimulem: ſed ſimul illud pro veſtra ſapientia cogitate, quam nihil meæ cauſſæ diffidam, qui locum maxime lubricum extrema oratione perſequor, & quod ex arte declinare debueram, vel leviter attingere, id totum explico, veſtriſque cogitationibus ac prope oculis, quantum quantum eſt, ingenue ſubjicio. Age igitur, habete quid ſentiam. Mitto, quanto illi ornamento ſit, qui ſe Philoſophum putat, omnium Philoſophorum hiſtoriam a primo illo inventore Thalete (quantum quidem antiquiſſimarum rerum memoria concedit) diſtincte cognoſcere; quæ ſingulæ ſectæ fuerint, quando inventæ, quomodo propagatæ, quamdiu cultæ, qua ratione ſublatæ: mitto, quam ſit etiam neceſſarium proponenti ſua in eodem genere aliena non ignorare. Hoc unum dico, quod maximam vim apud homines ſapientiſſimos habere debet, qui velit ex multis philoſophandi rationibus unam eligere, eum temere prorſus facere, niſi omnes ſibi ante oculos ponat, accurate perpendat, mature, prudenterque dijudicet. Niſi forte, quod accidit Chærephonti, ut oraculi voce ad Stoicos mitteretur, id ſibi quiſque promittit; (Luc. de ſect.) mactatiſque hoſtiis in ipſo Philoſophiæ limine, de ſecta eligenda Apollinem ſciſcitatur. Zeuxin ferunt Heracleoten, cum pulcherrimæ mulieris ſimulacrum ex Crotoniatis virginibus effingere juſ- (Cic. de Inv. l. 2. c. 1.)

ſus eſſet ; cumque in palæſtram ductus mira dignitate pueros vidiſſet, ex quorum ſororibus formoſiſſimas conjiciendo deligeret, non prius tamen delectum habere voluiſſe, quam virgines ipſæ unum in locum publico conſilio conductæ eſſent, & ſuiſmet oculis ſingularum formam aſpexiſſet ac judicaſſet. Quod ſi nos parem in re multo graviſſima diligentiam adhiberemus, profecto non committeremus, ut adoleſcentes noſtri Philoſophi caſu fierent, & unam aliquam ſectam ſuſpicando amplecterentur, contra ceteras propugnandam, quas illis non ratio, ſed impetus & inſcientia reddit inviſas. Nihil enim tam ridiculum dici poteſt, quam quod iſti reſpondere ſolent, quoties interrogantur, quemadmodum Hermotimus a Luciano, quonam certo conſilio ducti eam præter ceteras viam inierint, quam ſequuntur; eumque ſibi ducem elegerint, cujus præceptionibus irretiti, reliquos omnes nulla re ſibi niſi nomine cognitos contemnunt, irrident, & falſi crimine, indicta cauſſa, condemnant. Ecce autem præjudicia illa, quibus homines ab ipſa adoleſcentia occupatiſſimi ad philoſophandum accedunt, & rationi, & ſenſibus ipſis fidem potius negare parati, quam ſuſceptas partes umquam deſerere, & aliena probare. Utinam vero hæc ut multi damnant in publicis privatiſque ſcholis, ita tollere conarentur. Sed nimirum facilius eſt recte dicere, quam recte facere. Cur enim qui maxime poſſunt, non tamen occurrunt morbo huic? Quin ita adoleſcentum ſtudia regunt, ut quoniam ætas illa ad recipiendum aptiſſima eſt, nec Platonem Deum eſſe ſibi perſuadeant, nec

de ſect.

Ari-

Ariſtotelem, neque Democritum; ſed omnes omnium opiniones percurrant, tamdiuque retineant, donec ipſi per ſe, confirmata jam ætate, ſingulas ſingulis conferre poſſint, libereque rejicere, libereque probare? Sunt illi quidem pro ſuo quiſque ingenio valde præſtantes, & ea fama digni, quam ſibi multorum ſæculorum conſenſu pepererunt; ſed nihil profecto eſt aut a natura, aut ab arte ſimplici in genere omnino perfectum, maximeque curare debemus, ne cujus doctrina tenellis mentibus altiſſime conſignata ita illas aſſiduo uſu, & quadam, ut ita dicam, familiaritate capiat, ut vitia quoque libenter ſuſcipiant, aliorumque præclare inventis pertinaciſſime præponant: quod quidem tantum abeſt a recta veritatis inquirendæ ratione, nihil ut magis veritati poſſit eſſe contrarium. Ex quo Philoſophi eſſe cœperunt, ſatis ſuperque compertum eſt, convelli præjudicia non poſſe. Quin ergo curamus, ne fiant? Quin ſcholas ea prudentia moderamur, ut odio & amore vacui exeant adoleſcentes; ipſique per ſe libere, cum primum potuerint, philoſophentur? Nam illud quid attinet refutare, quod hæc mihi proponenti quiſpiam fortaſſe reponet; nimis jam eſſe Philoſophorum, nihilque pro tanta copia laborandum, niſi ut ſapientiſſimum mature eligamus, a quo uno quidquid eſt in ceteris boni, & ipſum per ſe facillime cognoſcamus? Apageſis. Annon enim hoc ipſum ſapientiſſimi hominis eſt ſtatuere, quis ſit ſapientiſſimus? Fac porro ſtatuas. Ex veteribusne aliquem, an ex noſtris? Si ex veteribus, Platonis ideæ offendunt Ariſtotelicos; Ariſtotelis

for-

forma non placet Democriticis; infinitæ Democriti atomi non probantur Pythagoreis; Pythagoræ monas diſplicet fere omnibus; tantaque ſe mutuo contentione petunt, ut alius alii non minus quidem ſapere, ſed plane deſipere videatur. Si ex noſtris, quis ita ingenii doctrinæque fama omnium hominum ſuffragium tulit, ut eum ſapientiſſimæ antiquitati, totique Scriptorum ordini ſine injuria præponas? Difficile eſt enim abſtinere riſus, quoties boni viri ludum aperiunt; magniſque promiſſis ante denunciant, ſe non Platonicos eſſe, non Ariſtotelæos, non Gaſſendicos, non Carteſianos; eſſe in veteribus, eſſe in novis, quod ſibi diſpliceat; eſſe etiam in utriſque, quod placeat; nemini ſe auctoratos fore, ſed ex omnibus optima colligendo, ſuiſque miſcendo, liberum philoſophandi genus ingenti cura & meditatione quæſitum allaturos. Euge, belle, pulchre, tibi Muſiſque gratulor. Accedant adoleſcentes, audiant, excipiant, in codicem referant: nihil eſt editum poſt homines natos æque divinum; exſcribere oportet. Ac mihi quidem ita videtur, nihil eſſe adoleſcenti periculoſius, quam hujuſmodi homines ab initio offendere, qui non vident, quandoquidem certum Philoſophiæ genus tradendum putant, ſatius eſſe unum aliquod ex illis tradere, quæ probatiſſima ſunt, & auctoris fama commendata, quam ſuo de nomine Philoſophos facere, & cito dediſcenda venditare. Sed ego hæc adoleſcentibus perſuadere fortaſſe potero, magiſtris perſuadere non potero, qui nullam ſe laudem referre clamant, ſi nihil de ſuo, niſi vocem in ſcholam afferant. Hoc ſci-

ſcilicet eorum vitium eſt, ut velint non ad diſcipulorum utilitatem, ſed ad ingenii oſtentationem docere, nec tam eſſe magiſtri, quam videri Philoſophi. Sed heus tu, ſi ratio hæc qualiſcumque Philoſophiæ illis utilis eſt, quorum cauſſa laboras, quid eſt, cur gloriam aliunde quæras? Satis laudis retuliſti, ſi officio ſatisfeciſti. Præterquamquod itane ſentis ex animo, hanc docendi rationem carere laude? Ergo laude carent Theologi hujus ætatis præſtantiſſimi, qui innumeras quæſtiones ad exercendum ingenium excogitatas longiſſime ablegarunt; totamque graviſſimam ſcientiam Scripturæ præceptionibus, Sanctorum Patrum dictis, & Conciliorum decretis concluſerunt. Jam iſti omnes, qui non ſua, ſed aliena fideliter referunt, Theologi nomine indigni ſunt: inveniant oportet, excogitent, comminiſcantur, tum vero ſapere videbuntur. Sed alias erit de Theologis ſermo: ad Philoſophos redeamus, quos ego ab inveniendo non revoco, ſiquidem poſſint, ſed rogo obteſtorque, ut aliam quandam docendi, aliam contemplandi exercitationem eſſe conſtituant, Non eſt Philoſophi narratorem agere: at eſt præceptoris. Hiſtoria Philoſophica non eſt Philoſophia: at neque poſſunt adoleſcentes, neque tam cito cupiunt eſſe Philoſophi. Sed quænam iſtorum eſt, Dii immortales, Philoſophia? Annon humanæ mentis vires cognoſcere pro varia corporis conformatione ſingulis ætatibus varias, pars quædam eſt, nec ſane parva Philoſophiæ? Nunc illi quidem ſatis cognoſcere videntur, quid tradere poſſint; non ſatis tamen, quid illi capere, quibus tradunt, Si enim pro illa,

quam

quam ſibi arrogant, naturæ cognitione reputarent, eam cerebri partem, qua hominis animus ad ingenii memoriæque munia, quamdiu corpori conjunctus eſt, neceſſario utitur, ita in adoleſcentibus conformatam eſſe, ut ſua quadam mollitie facile excipiat quidquid injicitur, ea tamen ipſa mollitie impediatur, ne ſpiritus ad intelligendum facile expediat & moderetur; non ſane erubeſcerent, ætati illi conſentanea narrando potius, quam diſſerendo conſignare. Atqui dum ſua crepant, dum eadem perpetuo dicunt, repetunt, confirmant, inſinuant, non id aſſequuntur, ut auditores minime apti repente Philoſophi prodeant; ſed ut ejus doctrinæ, quæcumque eſt, præjudiciis occupatiſſimi, ac veluti ſacramento rogati, nullam præterea pati poſſint Philoſophiam. Quam vero indecorum eſt, quam incongruum, quam a tota ſcientiæ natura alienum, adoleſcentem hominem de rebus abditiſſimis judicare, decernere, affirmare; & ut ejus ætatis eſt, tanto magis clamore & audacia, quanto minus ratione poteſt, ſuſceptas partes propugnare? Non ego cum juventute tam dure agam, ut eam per multos annos Pythagorico more ſilere jubeam, nihilque reſpondere umquam, nihil interrogare; verumtamen ſi Philoſophica eruditione contenta ſit, nec ſapientiam immature affectare videbitur, & in eo tamen valere, cujus præſidio perfectam abſolutamque ſapientiam comparare aliquando poſſit. Nam quod ipſa per ſe intempeſtive commentari velit, & ſine prudentia garrire, iccirco factum eſt, ut nobiliſſima diſciplina, non hominum ingeniis parta, ſed ut Plato exiſtimavit, Deorum munere no-

nobis conceſſa, incredibili invidia laboret; nihilque jam de rerum natura tam poeticum fingi poſſe videatur, quod non ab aliquo dicatur Philoſophorum. Hinc modo cum horologiorum inconſtantia, modo cum ægrotorum ſomniis, modo cum andabatarum pugnis a ſapientiſſimis Scriptoribus comparata: hinc ſenatuſconſulto a Romanis expulſa, & ad ſuos Græculos redire juſſa: hinc denique a Græcis ipſis ſimulandi ars ſæpe dicta, cujus fama & auctoritas non ipſa dignitate rei, ſed ſingulari habitu, & contemtu ceterorum ſuſtineretur. Quemadmodum enim ſummi in Repub. Magiſtratus ſi vulgari cœperint, & cuilibet ætati mandari, ſplendorem & auctoritatem amittunt; unde fit ut habitus ipſe, & antiqua poteſtatis inſignia, ad mores degeneres accommodata, irrideantur; ita philoſophica ſtudia maximarum tractatione rerum pæne divina, poſtquam in medio poſita ſunt, & cuique ſine delectu communicata, in contemtum abiere, palliumque ipſum priſtinæ majeſtatis inſigne ad irriſionem traductum eſt. Ago igitur cauſſam veſtram, ſapientiſſimi viri, cum dico, non eſſe adoleſcentibus dandum, ut ipſi per ſe, cum paullum aliquid in ſchola ſederint, ſtatim philoſophentur. Cum enim præſtare nequeant, quod conantur, tanto nomini injuriam faciunt, & numerum quidem augent, ſi Diis placet, Philoſophorum, ſed pretium imminuunt. Ago etiam veſtram, Adoleſcentes ſtudioſiſſimi, quos cum videam in rerum difficillimarum tractatione magno cum labore fluctuare, ex illo velut Euripo in tranquillum pacatumque mare deduco, ubi & facilitas navigandi

di jucunditatem pariat, & opportunitas laudem, & modus utilitatem. Ago denique cauſſam tuam, Princeps Eminentiſſime, qui cum velis, & identidem jubeas, juventutem hanc ad morum & litterarum inſtitutionem tibi concreditam, non garrulam in diſſerendo eſſe, non acerbam, non pugnacem, genus hoc noſtrum adſciſcere potes Philoſophiæ, quod nullam ſententiæ dictionem habet, ſed ſolis narrationibus continetur.

EPISTOLA

Præpoſita editioni primæ hujus Orationis.

Veteres philoſophandi inſtitutiones, ſi numero cenſeantur, tam multæ ſunt, ut omnibus cognoſcendis ne illius quidem anni ſufficere videantur, qui tres hominum ætates vixit; ſin autem re, ita partim antiquitate obrutæ periere, partim vero ſimilia continent, ut uno nec immodico volumine Thomas Stanlejus univerſas comprehenderit. Nihil ergo conficiunt, qui Jonicam ſectam, Italicam, Eleaticam, Epicuream, Cyrenaicam, Eliacam, Megaricam, Academicam, Peripateticam, Cynicam, Stoicam, Pyrrhoniam, Potamonicam nobis commemorant: quaſi vero immenſum aliquod onus oratione hac adoleſcentibus imponamus, quod viros ſeneſque opprimere poſſit. Hoc præmonere iccirco volui, ne quis lemmate ipſo, quemadmodum ſæpe accidit, a legendo deterreatur; putetque a nobis ea proponi, quæ certis firmiſque argumentis non ſolum non probentur, ſed omnino probari non poſſint. Et vero cum de re hac ſermonem apud amicos intuliſſem, dixiſſemque

vide-

videri mihi multis de cauſſis, non Philoſophiam, ſed hiſtoriam philoſophicam adoleſcentibus tradendam eſſe, primum quidem lapides loqui viſus ſum, tum id pervici, ut de illis adoleſcentibus concederent, qui nollent tota vita philoſophari; ſed ut ambas manus darent, mihique in univerſum aſſentirentur, id vero nec exprimere potui, nec ut exprimerem, pro illo, qui in familiaritatibus ſervari debet diſputandi modus, pertinaciter laboravi. Nunc vero tamquam in aciem ductus, nervis omnibus viribuſque contendo, primum quidem adoleſcentibus, quorum vitæ ratio adhuc incerta eſt, deinde illis, qui Græcam Latinamque eruditionem unice ſpectant, tum illis, qui ad generis commendationem vitæque elegantiam bonis artibus informantur, poſtremo illis, qui ſe totos philoſophicis ſtudiis dediderunt, per ſectas omnes excurrendum eſſe; nihilque præter hiſtoriam ex tam longo itinere colligendum. Quid opus eſt pluribus? Oratoriam ſcriptionem affero: nec tam me, quod oſtendo, perſuaſiſſe juvabit, quam ad perſuadendum non inepte dixiſſe. Vale.

ORA-

ORATIO V.

AD THEOLOGIAM.

Theologus nemo dici poteſt, niſi probus vir.

JAm primo illo, quod mihi ſuperiore anno ad altiores diſciplinas progredienti a Philoſophis injiciebatur, periculo defunctus, ad ipſum denique ſapientiæ faſtigium aſcendo, & in graviſſima Theologorum corona, communem ſtudiorum naturam Scholæque hujus inſtituta ſecutus, libentiſſime confido. Quo in loco mihi quidem honeſtiſſimo, & a prima adoleſcentia multis laboribus multaque induſtria quæſito, una me res ſollicitum habet, quæ multorum ſermone contrita veluti proverbium circumfertur, magnos Theologos nihil credere; & quod inde conſequitur, ſine Superum metu, ac ſine ulla immortalitatis cogitatione ſuis legibus vivere. Sive autem id ipſorum levitate percrebuit, quorum plurimi antiquitatis oppugnatione ſingularis reconditæque doctrinæ famam quærunt; ſive etiam ſuperbia, quod aliqui revera nihil credant, niſi quod ipſi ingeniolis ſuis longe minimis conſequi poſſunt; ſive demum inſana quorumdam improbitate, ac ferme deſperatione, qui eam ſibi neceſſitatem vitiorum ſuorum legibus impoſitam putant, ut ne Deum quidem eſſe concedant, niſi forte cæcum & otioſum; id ejuſmodi eſt, ut magna animi proviſione caveri debeat, & a nobis, noſtriſque adoleſcentibus tam-

quam

quam triſte aliquid ac deteſtabile averruncari. Quamobrem in ipſo ſtatim Theologiæ limine, pro eo, quod ſuſcepi, monendæ juventutis officio, huc accedentibus edico, non ſolum ne exiguum ingenium afferant, quod eſt a natura impedimentum nulla fortaſſe induſtria nulloque artificio ſuperandum; ſed quod in cujuſque poteſtate eſt, ne mores afferant liberos pluſquam ſatis, & ad vivendi licentiam ſolutiores. Neque vero putetis, Auditores, me fines illos, quos mihi ipſe circumdedi, ſine cauſſa perrumpere, & in eorum provinciam excurrere, qui cum vitiis & cupiditatibus bella gerunt: ſed cum ita mihi videatur, mores & ingenium in hoc ſtudii genere conjunctiſſima eſſe, & alterum ab altero mirifice adjuvari, id ipſum publice expono; & quantum quidem per me licet non mediocris jam uſus, ſed minimæ facultatis hominem, oſtendo, Theologum neminem dici poſſe, niſi probum virum. Quod ſi iis perſuadere potero, quorum mihi ſtudia commiſſa ſunt, ipſi ſe ab obtrectatoribus aliquando defendent, & nobiliſſimæ diſciplinæ gloriam per has inſidias petitam juſto ſacramento vindicabunt.

Priuſquam vero rem ipſam aggredior, peto a vobis hanc veniam, Auditores, ut de me, quod ſæpe deſideravi, pauca dicam: nam & breviſſime faciam, & ea moderatione, ut omnes intelligant, me quidem non de me ipſo laborare, ſed de hujus dignitate loci, quem quoniam Principis ſapientiſſimi judicio tenere cœpi, fortiſſime conſtantiſſimeque in omni vita defendam. Audivi, noſtrum hoc dicendi genus planum & æquabile non ſatis implere capaciſſimas quorumdam

aures, qui ſales identidem facetiarum, & exaggeratam multarum rerum eruditionem non tacita voluntate requirunt. Et ad primum quod attinet, utrum ſit aliquis in nobis urbanitatis lepos opportune adhibitus, cujuſmodi fuit in illis, quos nobis ad imitandum proponimus, nec ipſe judicare poſſum, nec ſi poſſim, dicere auſim; dicacitatis quidem certe & comicæ cavillationis eſt admodum nihil. Ut enim leniſſimum mihi ingenium natura largita eſt, ita neque voci, neque oculis, neque fronti addidit ſcurrile aliquid, cujus auxilio ad hanc eximiam laudem dicendo contenderem. Nihil vero minus eſt, quod arte comparari poſſit, quam ratio jocandi, & mimica quædam ad movendum riſum pronunciatio: ac ſi qui comparare conati ſunt, cum eſſent ſuopte ingenio vultuque ad ſeria compoſiti, ſtomachum & indignationem commoverunt. Quamquam ſi me natura ad iſtorum voluntatem conformaſſet, & tempus ita poſtularet, ipſi vos mihi gravitate veſtra incredibilem verecundiam offunderetis; nec tam me voces quædam adoleſcentum levitatis indices ad audendum excitarent, quam mehercule primi hujus & alterius ſubſellii conſpectus modeſtiæ moneret. At enim neque eruditi ſumus. Si, quod iſti faciunt, eruditio eſt, ſexcenta Scriptorum nomina uno ſpiritu recitare, fateor equidem neque eſſe me, neque futurum umquam eruditum; non quod bibliothecis caream, unde talia ſumuntur, ſed quod longe diverſum eſſe ſtatuam oratoris officium; & quale demum cumque ſit, nolim in eorum poſſeſſiones irruere, qui per hæc fucum facere conſueverunt, ſeque pulchros bea-
toſ-

toſque plebeculæ litterariæ venditare. Sin autem eruditio eſt color quidam antiquitatis, non ille quidem ex librorum titulis ſemihoræ ſpatio collectus, & in omni ſermone intemperanter fuſus, ſed ex diuturna priſcorum monumentorum tractatione comparatus, eaque parſimonia & prudentia adhibitus, ut non facere ipſe orationem, ſed ornare videatur, eſt, ſi Diis placet, ut de eruditionis laude non omnino deſperemus. Atque ut intelligatis, Auditores, quid hoc hominum ſit, qui talia poſtulant, ſcitote illos non ingenio quidem carere, ſed ſanitate. Eſt in quo laudari poſſint, ſi ſua laude contenti, aliis quoque nonnihil concedant. At vero cum ita populo perſuadere velint, ſe unos ſcire omnia; neque tamen id honeſta aliqua ratione conſequi poſſint; univerſam litterariam provinciam criminando perturbant, magnumque ſui judicii metum qualiacumque conantibus injiciunt. De his plus ſatis: ad rem veniamus.

Objiciunt quidam, ut ante dixi, Theologis præſtantiſſimis ἀθεότητα, omniſque, præter eam quæ a natura eſt, pietatis ac religionis contemtionem. Accuſatoribus iſtiuſmodi, qui nullorum omnino, vel paucorum vitia in omnes derivant, non eſſet mihi difficile audaciam excutere, ſiquidem vellent hoc in loco tamquam in judicio calumniam ejurare: ſed & illos abeſſe juvat, & nos ita dicere, ut nihil aliud ſpectaſſe videamur, niſi ut adoleſcentum noſtrorum mores optimis monitis præceptiſque componeremus. Veteres Socraticæ diſciplinæ Philoſophi, quorum doctrina Chriſtianis legibus caſtigata in Theologicam ſcholam

adſcita eſt, non aliter ſe inter ſuos numeratum iri putabant, quam ſi ita viverent, quemadmodum docebant. Hinc magna illa rerum humanarum tolerantia, fortunæ contemtus, projectio divitiarum, mentis conſiliique conſtantia, virtuteſque reliquæ, quas in Socrate primum ipſo, deinde vero in Ariſtippo, in Cratete, in Biante, in Diogene, in Anaxarcho, ceteriſque Stoicis æquales eorum admirati ſunt, nobiſque ad exemplum tradiderunt. Neque vero aut Græca juventus in eorum ſcholas conveniſſet, aut ipſi prudentiſſimæ gentis magiſtratus convenire paſſi eſſent, niſi quæ dicerent, agendo confirmaſſent; totiuſque vitæ ratio in publicis privatiſque negotiis cum illius ſeveritate doctrinæ conſenſiſſet. Tu vero, Theologe, quid mihi de Deo ejuſque legibus; quid de Superis, atque Inferis; quid de vitiis, quid de virtutibus prædicas; ſi ita vivis, ut nihil eorum facias, quæ nos niſi faciamus, æternos cruciatus minitaris? Jam quid reſtat, niſi ut putemus, te ad ingenii commendationem talia confingere; & multorum credulitate velut ad ludum faciendum abuti? Leviſſimum eſt enim, nec omnino ferendum, quod vulgo dicunt, ſe neque Auguſtini quærere gloriam, neque Thomæ, neque Bonaventuræ; illos quidem, & præterea paucos illorum ſimiles non communi hominum conditione natos, ſed tamquam cælo demiſſos divinarum humanarumque rerum ſtudio incredibilem in omni virtutum genere exercitationem non ſine miraculo conjunxiſſe. Dii boni, quid ita nugantur? Anne umquam fando auditum eſt, pietatem pugnare cum litteris, aut opus

eſſe

eſſe portentis, ut res natura ſimillimæ conjungantur? Si enim Mathematica ſiderum & planetarum contemplatio, ut ſeptimo de Rep. libro contendit Plato, pios homines facit; ſi illa ipſa litterarum exercitatio, quæ poeticis fabulis continetur, tamen plurimas habet ad vitæ inſtitutionem opportunitates, ut elegantiſſima oratione πρὸς τοὺς νέους D. Baſilius oſtendit; quid eſt, quod eſſe poſſit in Theologicis ſtudiis ad probitatem impedimento, niſi forte illis, qui ſtomacho laborant, optimoſque cibos in peſſimum ſuccum convertunt? Neque tamen poſtulo, ut inſignia illa ſapientiæ ac bonitatis exempla, ne ſingula quidem ſingulis ætatibus viſa, Theologi noſtri continuo referant, quod eſſet Theologicis ſcholis ſolitudinem ac vaſtitatem afferre: id quæro unum, quod & facillimum eſt, & cum hoc litterarum genere ſuapte natura conjunctiſſimum, ut æqui, ut honeſti, ut moderati ſint; nihilque dicant, aut faciant, quod a ſacræ profeſſione ſcientiæ abhorrere videatur. Cum enim omnes non parum offendere ſolent alterius cum altero de re tam gravi concertationes, tum nihil poteſt eſſe odioſius, quam ejuſmodi cum ipſo pugna, & tale aliquid, quale in hiſtrionibus videmus, qui cum a ſcena diſceſſerint, nihil ſibi minus agendum putant, quam quod mimico illo habitu profeſſi ſunt. Quod ſi in facultatibus illis, quarum ratio & natura ad contemplandum unice refertur, totuſque contemplationis fructus oblectatio eſt, qui ea ponit auditoribus ſuis, multumque commendat, a quibus ipſe tamquam incertis aſſenſionem cohibet, turpiſſime peccat; quanto minus feren-

dum erit, in Theologica diſciplina, cujus pars maxima actionis gratia eſt, & ipſa contemplatio ſempiternam beatitatem propoſitam habet, ea doceri, vetari, juberi, quæ magiſter ipſe, ubi deſcendit, ante omnes contemnat, & ad irriſionem etiam, quod ipſum aliquando contingit, animi cauſſa traducat? Qua in re ſi ſibi noceret uni, peſſimumque virus in ipſo cohibitum, nequaquam gliſceret ad aliorum innocentiam inficiendam, nihil inſuper laborarem; ſed cum ille in magna quadam luce vivere credatur, & cum Superis quodammodo colloqui, multis ad improbitatem exemplo eſt partim omnino cæcis, partim vero malitioſe cæcutientibus, quod minime audeant ſine duce & auctore pudenda patrare. Præclara vero Theologi laus, ſceleri ducatum præbere; conſtituere ſigna facemque improbis; intemperanter, cupide, libidinoſe & agere ipſum, & agentibus excuſationem comparare. Nolite porro exiſtimare, Auditores, vitium ullum in hujuſmodi homine modicum eſſe: omnia ſumma ſunt, perdita omnia, & ad infinitum quoddam malitiæ genus profligata. Qui enim poteſt rerum divinarum tractationem cum vitiorum cœno componere, & in utroque dies noctesque verſari, eum neceſſe eſt ſtimulos omnes extudiſſe conſcientiæ, nihilque ſibi ultra vitæ terminos polliceri. Huc ubi ventum eſt improbitatis, cave hominem reprehendas, aut ullo modo ſanare coneris: conclamatum eſt. Non ſibi ab ignoratione, non ab incogitantia, non ab infirmitate naturæ, unde ceteri ſolent, excuſationem quærit: non patitur hoc Theologi nomen; in Superos ipſos cauſſam convertit; partim dubitat,

par-

partim negat, partim irridet, callidaque circuitiore & anfractu eo denique recidit, ut ex diuturno divinarum rerum ſtudio nihil ſe certi collegiſſe ſignificet. Adde huc in familiari ſermone identidem actas de animæ immortalitate dubitationes, de ſacrorum librorum ſenſu, de Eccleſiæ legibus, de alterius vitæ pœnis, deque iis omnibus, quorum cogitatio monere homines ſolet, & in officii religione continere. Ex hoc uno fonte, vel prope uno novæ in dies effluunt opiniones, quas hæreticas appellamus, unde ſibi iſtæ Theologorum quiſquiliæ ſepem circumdant, cauſſaſque prætendunt, ne temere facere videantur, quod ipſi ceteroquin minime omnium facere deberent. Ac primum quidem ſuis moribus obtegendis talia prætexunt, ad tempus quæſita; deinde malo quodam inconſtantiæ metu propugnare conantur; denique vitioſi ingenii pertinacia, & peſſima famæ libidine eo uſque deveniunt, ut ſpargant in vulgus, privatim publiceque confirment, nec ſolum gratia, auctoritate, fortunis omnibus, ſed capite ipſo, ſi opus ſit, per ſummam deſperationem inſaniamque tueantur. Cavete igitur per Deos immortales, Adoleſcentes, ne moribus incompoſitis huc accedatis, ubi qui non ſit optimus, peſſimum eſſe neceſſe eſt. Nihil artificioſe dicimus, nihil perfunctorie, nihil ex illa conſuetudine noſtra, qua vobis officii jura, pudorem, honeſtatem, veritatem, & in primo litterarum limine, & in Rhetorico, & in Philoſophico ludo ſine intermiſſione commendavimus. Eſt hic peculiare aliquid, quod nos pro veſtra gloria & ſalute vehementer inflammat; vocemque noſtram & con-

tentionem præcipuo quodam modo repoſcit. Nam ceterarum profeſſores artium, ſi in vitio ſint, ſibi in primis nocent, aliis vero vel nihil prorſus, vel parum, vel in eo nocent, quod non eſt momenti maximi. Grammaticus, & Philoſophus ſua ſibi malitia obeſt, nullique præterea; Medicus aliorum valetudini, Orator fortunis infeſtus eſt: at vero Theologus, ſi malus ſit, animum lædit, quæ pars una eſt in homine excellentiſſima, religionem, pietatem, Dei cultum non a ſe uno diſtrahit, non a ſingulis hominibus eximit, ſed a civitatibus & provinciis evellit, ejicit, exturbat. Hinc vero ſeditiones per omnem ætatem conſecutæ, bella civilia, cædes, incendia, rerumpub. mutationes, & ſiquid calamitoſius humanæ ſocietati contingere poteſt. Teſtis mihi Germania ſit, Helvetia, Anglia, Batavia crudeliſſimis bellis diu vexatæ atque afflictæ; teſtis Gallia ipſa, quæ quamvis ad hanc diem ſingulari providentia ab hæreticorum inſidiis erepta fuerit, identidem tamen a ſuis Theologis multo etiam gravius, quam ab externis hoſtibus conflictatur. Quod cum reputo, valde miror, ecquid tam diligenter ac ſevere illorum ingenia expendantur, qui inter Theologos referendi ſunt; quamdiu, quo loco, quo magiſtro quiſque ſtuduerit; quæ ſit ejus ad res percipiendas retinendaſque memoria; quæ ad interrogandum ac reſpondendum calliditas; quam cultus ſermo, quam promtus, quam eruditus; de moribus vero paullo plus quæratur, quam in milite de Theologia. Quamquam ipſa quoque ingenii inquiſitio jamdiu cœpit eſſe remiſſior, nihilque facilius eſt homini

non

non ſtolidiſſimo, quam Theologum ſalutari. Sed profecto ita ſibi duo hæc conjuncta ſunt probitas & ſapientia, ita alterum altero nititur, ut a quo æſtuantium cupiditatum moderatio non requiritur, ab eo neque cogitandi acumen, nec intelligendi celeritas, neque facilitas explicandi magnopere ſit requirenda. Quæ cum ita ſint, intelligitis, Auditores, non me Theologis rem utilem commendare, ſed plane neceſſariam; ut ſi nolint innocenter integreque vivere, aliud quoddam litterarum genus ſuſcipere debeant, omnemque Theologicæ gloriæ cogitationem abjicere. Eſt enim Theologia in vehementi quadam altiſſimarum rerum contemplatione poſita, quæ hominem totum occupat, abſorbet, & a terra quodammodo abripit; nec ullam ejus partem avelli patitur, ut in vitiorum ſordibus tam diſpari ſtudio volutetur. Hoc ſibi illa proprium vindicat ſupra reliquas diſciplinas ob infinitam meditandi vim, ut nequeat ineſſe niſi illis, qui a rebus ceteris alieniſſimi ſint. Cedo mihi, ſi lubet, Eccleſiæ faſtos: plures ego tibi Theologos oſtendam, qui templis ariſque coluntur, quam tu mihi ex omni litteraria Rep. Grammaticos, Rhetoras, Philoſophos, Medicos, Mathematicos. Immo (dicam enim quod ſæpe animadverti) vix mihi unum aut alterum ex tota antiquitate recitabis tam gravi dignum nomine, ut Theologus appelletur, quin inſigni virtute excelluerit, ſuamque ſapientiam non ſatis per ſe firmam probitatis acceſſione confirmaverit. Nihil de illis loquor, quos nondum *Libitina ſacravit*: adhuc illis cum invidia confligendum eſt, quæ quoties a fronte

ne-

nequit, a tergo, a lateribus aggreditur, & quorum ſapientia in tuto eſt, vitæ morumque famam labefactare conatur. Qua in calamitate, ſi calamitas eſt habere aliquid invidia dignum, primum ſe benefactorum conſcientia ſolari debent, ſibique ipſi perfugium eſſe; deinde vero aliquid etiam inimicis condonare, qui nihil hujuſmodi auderent, niſi plurimi eſſent, qui ſe uno eodemque tempore & flagitiis, & Theologicis ſtudiis nobilitare conarentur. Verumtamen aliud eſt Theologum videri, aliud eſſe: ac ſi quis veſtrum, Auditores, ſignum ſibi aliquod præberi cupit, cujus ope tamquam Lydio lapide ſingulos experiatur, ſic habeat; vitia pervertere naturam omnem, & cum infimas animæ partes contaminaverint, in ipſam quoque arcem invadere, ſuiſque tenebris obſcurare, ne quid magnopere capiat niſi craſſum materiaque concretum: idcirco tam eſſe difficile vitioſis hominibus in Theologica facultate præſtare, quam lippis & cæcutientibus in pictura. Nihil eſt, quod dici poſſit abſurdius, quam in bene conſtituta Repub. ordines omnes ſibi reſpondere, & in unum quaſi corpus coaleſcere, hominem vero ipſum, ex cujus exemplo Reipub. ratio ducitur, partes habere naturæ quidem nexu colligatas, ſed ita officio diſpares, ut altera humi depreſſa flagitiis obruatur, altera prorſus libera in ſublime feratur, & puriſſimis ſpiritibus ſe ſe immiſceat. Dum animus corporis cuſtodia continebitur, rerumque imagine ſenſibilium indigebit, niſi ſenſus ſedatiſſimi ſint, niſi caſtigati, niſi pravæ cujuslibet cupiditatis expertes, numquam ſe totum explicare poterit, vireſque omnes

ad contemplandum intendere. Minima quæque perturbatio ſive amoris, ſive odii in ſupremam animæ partem impetum facit, & ubi certamen nequit, tumultum edit; qui ſi non eſt ejuſmodi, ut omnem contemplandi ardorem extinguat, illas tamen commentationes interturbando impedit, quæ debent eſſe intenſiſſimæ, & ſpiritum a corpore, ut ita dicam, alienare. Quod cum intelligerent utriuſque Scholæ Principes, & in quodam veluti portu viverent ab humanæ vitæ tempeſtatibus remotiſſimo, numquam tamen Theologicum ſtudium aggrediebantur, quemadmodum accepimus, quin ſe ſe precationibus, votis, ſacrificiis diligenter expiarent; omnique ceterarum rerum cura depoſita, quantum mortali licet, cæleſti naturæ conjungerent. In quo uno maxime conſenſerunt, imitatores habent admodum paucos; in quo ſibi contrarii ſunt, immenſam uterque familiam ducit, nimio quodam contentionis amore & ſuperandi cupiditate flagrantem: quod maximum eſt Theologorum vitium nullo meo clamore ſanandum, non tamen tacendum. Hinc enim exitium quoddam ortum eſt pulcherrimæ facultatis, in qua potiſſimum excellere creduntur, non qui graviſſima ad cognoſcendum, ſed qui ſubtiliſſima ad fallendum excogitant: hinc vanæ quædam otioſæque diſputationes, quæ mentem a S. Bibliorum doctrina, a Sanctorum Patrum dictis, a Conciliorum legibus, a Pontificum decretis longiſſime abducunt, & ſine ulla utilitate fatigant: hinc pertinax & inſanum partium ſtudium, quo fit, ut acerrime decertemus, cum minime oportet; idque viribus omnibus propugne-

gnemus, non quod veritati proxime accedit, ſed quod iis placet, quorum inſtitutum amplexi ſumus. Itane vero, Auditores, tot annos pallebimus; tot volumina diu noctuque teremus; tam multos dicendi ſcribendique labores non ſine valetudinis detrimento, atque adeo cum vitæ periculo ſuſcipiemus; ut id aliquando teneamus, quod nec placeat niſi noſtris, neque nobis ipſis placere poſſit, aut debeat, ſi pallium commutemus? Agedum enim, bone vir, cur ita pronuncias, & ingenti bacchatione confirmas, *virtutes divinæ naturæ tributas nihil quicquam eſſe ab ipſa diſtinctum, quantumvis a nobis intelligendi gratia diſtinguantur*? Itane ſentis ex animo? Itane ad docendum, non ad fallendum? Quid ſi te parentes tui in adverſæ partis caſtra ab ipſa pueritia compuliſſent? quid ſentires, quid propugnares? Contrarium ſcilicet. Ergo pro tuo illo libello pugnas, in cujus verba juraſti; pugnas pro pallio illo, non autem pro veritate. Tune igitur me tibi adjungere conaberis; tu te mihi Theologum venditabis, quem video nihil minus quærere, quam veritatem; quem ſcio contraria prorſus fuiſſe dicturum, ſi te vel caſus, vel conſilium, vel domeſticæ rationes alibi vivere coegiſſent, alioque colore uti? Grave eſt quod dico, grave eſt, ſed nihil tamen reprehendendi cauſſa dico. Fateor enim præſtantiſſimos utrimque viros & majorum, & patrum noſtrorum memoria prodiiſſe, qui magnam litteris & Eccleſiæ operam navarunt, ſuiſque lucubrationibus immortali gloria digniſſimis multorum nugas compenſarunt: ſed hi quidem illam habebant, quam poſtulamus in omni vita

pro-

probitatem, & cum arma tenerent omnia, quibus egregie pugnare poſſent, minime tamen pugnaces erant; ubi vero pugnarent, eo victoriæ genere delectabantur, cujus fructus veritatis cognitio eſſet, non ambitio triumphi. De his nemo umquam dubitavit, utrum aliquid crederent; nemo illis tamquam crimen Theologiam objecit; nullam ipſi de ſe fallaciæ ſuſpicionem commoverunt; ſed benevolentiam & admirationem cum ſibi, tum ſuæ facultati vel ab hominibus procaciſſimis compararunt. Quoniam tamen in magno numero pro rerum humanarum conditione plures ſunt deteriores, inde ortæ multorum querelæ, dicteria, criminationes. Sed vela tandem colligamus. Ego hac in re ſi quid ſapio, ita conſtituendum puto, Theologum neminem eſſe, aut certe neminem haberi poſſe, cujus non ſit vitæ ratio Theologo digna. Plurimum enim intereſt non ſolum quid dicatur, ſed etiam a quo dicatur; ſæpiuſque contingit, ut ne optima quidem a malo auctore accipere velimus. Lacedæmonii acerrimi judicii, ſuæque diſciplinæ homines, cum de re graviſſima in ſenatu conſuleretur, & improbum civem, ut fit in Republica, non ſolum pati deberent, ſed etiam ſententiam rogare, ita decreverunt, ut cum optima aliquando dixiſſet, hæc ipſa a bono viro quamvis indiſerto repeterentur, ejuſque nomine ſenatuſconſultum fieret, ne quid auctoris infamia saluberrimo decreto apud populum derogaret. Quid ſi de virtute ipſa, aut religione in illo graviſſimo conſilio relatum eſſet? Futurum ne umquam fuiſſe putatis, ut flagitioſi hominis vocem fer-

Gel. l. 18. c. 3.

ferrent; nedum in ejus verba decreta facerent, publicis monumentis conſignanda, & populo proponenda? Videte igitur, adoleſcentes, videte diligentiſſime, quale quantumque ſit, quod ſuſcipitis, præſtandæ bonitatis onus, quoties in hanc claſſem nomina datis; & id vobis aſſumitis, ut de virtute ac religione conſulentibus reſpondeatis. Diſciplina auguſtiſſima eſt, ipſum hoc nomen Theologiæ divinum aliquid ſonat, parietes ipſi ſcholæ hujus ſanctiſſimis verbis quotidie perculſi religioſum aliquid animo, ac prope oculis objiciunt. Sed ut omnia deſint, quæ tamen deeſſe non poſſunt, hic certe non deeſt, quem nobis ex graviſſimo morbo divina providentia reſtitutum lætiſſimi intuemur, Princeps Eminentiſſimus. Ille, ille me quotidie urget & extimulat non juſſu modo, quod eſt Principis; ſed quod eſt mitiſſimi Præſulis, impulſu quodam & cohortatione; addo etiam pæne precibus, quod eſt amantiſſimi patris, imo patris hujus; ille, inquam, me magnopere urget, ut non tam vobis litteras, quam virtutem & honeſtatem, quandocumque poſſum, quibuſcumque rebus poſſum, aſſidue diligenterque commendem. Vidi ego vos, vidi ſingulos & univerſos ejus incommodi cogitatione defixos, proſtratos, attonitos, illa etiam timentes vana & futilia, quæ otioſi homines ad ſtudium novitatis comminiſcebantur. Jam ſalva res eſt: ejuſque valetudine ad plurimos annos confirmata, nihil denique reſtat, niſi ut vos magna modeſtia & pietate vivatis, ne ullo umquam tempore veſtra cauſſa laboret.

EPI-

EPISTOLA

Præpoſita editioni primæ hujus orationis.

Rectæ honeſtæque vitæ rationem ita ſuæ plerique arti conjunctam exiſtimant, ut ſine illa ne ars quidem ipſa eſſe poſſit: icciro nec Oratorem eſſe niſi bonum virum, neque Philoſophum, neque Juriſperitum, paſſim audimus. De Theologo nihil ſimile veteres ſcripſerunt, noſtri vero etiam longe diſſimilia. Ac veteribus quidem veniam tribuamus ad ignoſcendum, quod cum de Diis nihil certi ſtatuerent, Theologos quoque ipſos inter nugigerulos recenſebant: noſtri vero ſiquam Theologo impietatis dicam impingunt, id ita faciunt, quemadmodum ſolent & Medicis objicere, quod medicinis abſtineant, & Juriſperitis, quod numquam lege agant; ipſi tamen & Medicorum, & Juriſperitorum opera maxime utuntur. Hoc ipſum mihi orationis habendæ occaſionem præbuit, quam emitto. Quidam a nobis de Theologi induſtria & ingenio, quam de moribus audire malebant; ſed nimirum quam ſint hæc inter ſe conjuncta, non reputabant. De Digreſſione noli quicquam ſuſpicari. Facile enim erratur; quod ea fere ſibi quiſque perſuadeat, quæ potiſſimum cupit. Puta, me mihi accuſatores appoſuiſſe, crimenque finxiſſe; ut eam quoque Tullianæ eloquentiæ partem attingerem, quæ egreditur extra cauſſam. Non deſunt ſane adverſarii, in quos ſtilum exerceam; ſed quia & natura me a jurgiis alieniſſimum fecit, & humanitas ipſa litterarum jubet eſſe mitiſſimum, malo videri tamquam in ſcena fabulam agere; quæ

etiam

etiam oſtendam, non me quidem armis, ſed pugnandi voluntate carere. Quod ſupereſt, utinam hic conſiſtendum ſit, ut otio illo perfruentes, quo uno litteræ maxime aluntur, ſuſcepta ſtudia ſine ullius offenſione proſequamur. Vale.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO VI.

AD S. SCRIPTURAM.

Sacræ Scripturæ ſtudium cum veterum linguarum ſtudiis conjungendum eſt.

SIquis forte dubitat, quid in tantam hanc ſapientiſſimorum hominum frequentiam hodierna luce afferre ſtatuerim, ad illa ſe animo tantiſper referat, quæ ſuperiore anno hoc ipſo ex loco diſputavi: nam & ſacras Litteras cum Theologicis ſtudiis conjunctiſſimas eſſe ſtatim intelliget, neque poſſe me ex inſtituto jam ordine alteras ab alteris ſeparare judicabit. Nulla eſt in toto diſciplinarum orbe rerum ſimillimarum cognatio tanta, nulla tam arcta ſocietas, quæ cum illa comparari poſſit, quæ inter Theologiam Scripturamque intercedit: ut ſiquis vinculum hoc, non hominum opinione, ſed ipſa rerum natura conſtrictum effringere velit, vehementer alteram debilitari neceſſe ſit, alteram vero prorſus dilabi, aut in imum detruſam ſine ulla nobilitate jacere. Etenim Scriptura quidem in ſcholis ſine Theologicis diſputationibus manca eſt, multiſque luminibus deſtituta; Theologia vero ſine Scripturæ ope nimium depreſſa humi, ſophiſtica, incerta ſui, ſanoque homine & ad Chriſti leges exculto prorſus indigna. Quare non fuit mihi magnopere dubitandum, qua de re dicerem; ſed quid, & quomodo dicerem, id vero me, ut ingenue

fatear, multis de cauſſis iiſdemque graviſſimis ſollicitum habuit. Cum enim ipſa per ſe Sacra Scriptura arcanum quiddam eſt, omniumque hominum exiſtimatione & judicio ſublimius; tum ita quoque expoſitum, ut ne ipſæ quidem mulierculæ in re familiari occupatiſſimæ, otium ſibi, aut ingenium ad legendum & interpretandum deeſſe arbitrentur. Quæ igitur me, cum de aliis facultatibus verba facerem, ſolari conſueverat, judicum intelligentia, & quæ cum intelligentia fere conjungitur, ſumma æquitas, non ea quidem mihi in præſentia dicenti deeſt, ſed quæ dixero, de more vulganti, magna ex parte defuturam, cogitando præſentio. Neque vero hæc aut ipſe artificioſe confingo, aut primus in medium profero, ut laudem ex difficultatibus quæram; cum ille ipſe Divinorum Librorum interpres, omnium ætatum omniſque memoriæ longe doctiſſimus, & interpretum ceterorum facile princeps D. Hieronymus, ad Paullinum ſcribens, ita conqueſtus ſit: *Quod medicorum eſt, promittunt Medici, tractant fabrilia fabri; ſola ars Scripturarum eſt, quam omnes paſſim ſibi vindicant; hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent.* Quod ego non eo dico, quo ſacros codices e populi manibus excuti cupiam, & in abdito collocari, veluti carmina Sybillina non inſpicienda niſi Duumviris. Nulla hic tacenda myſteria ſunt, non Nyctelia, non Faunæ, non Cereris arcana; ſed omnia omnibus ſine ullo diſcrimine patent, quia fuco carentia, & ab ipſo veritatis fonte, non ab aliqua

Æge-

Ægeriæ ſpelunca, aut a Cumanis antris petita. Sed tamen cum ſit litteratorum ordo ab omni prorſus vulgi commercio ſejunctus, in hac quoque ceteroquin communi palæſtra genus quoddam ſibi proprium habere debet, armiſque & exercitatione ab ignava turba differre. Siqua vero ratio eſt, ut id recte fiat, & nobiliſſimæ doctrinæ partes ſuis ingeniis, ſuiſque locis aſſignentur, ita conſtituo, Sacrarum Scripturarum ſtudia ipſa per ſe pulchra, omnibuſque communia, in ſcholis tamen & Academiis vetuſtarum linguarum cognitione vehementer ornari, novaque hac accedente quaſi ſupellectile, in propriam litteratorum hominum ditionem tranſire. Quod quidem ne gratis a me dictum putetis, aut vana quadam noſtrarum exercitationum jactatione, aut illo fortaſſe ſtudio, quo quidam ſolent ad ingenii ſubtilitatem difficilia conſectari, id ipſum, quam maxime potero, collectis undique, & excogitatis rationibus patefaciam. Itaque ipſa mihi dicendi difficultas initio propoſita, orationis copiam facit, & eo me ultro ſequentem adducit, quo jamdiu meditabar, ut adoleſcentibus noſtris veterum linguarum curriculum ægerrime ingredientibus, ingenti laboris fructu propoſito, ſtimulos addam; ingreſſoſque jam & ſua ſponte currentes, audientibus vobis, & ut ſpero, etiam probantibus, confirmem. Video me negotium ſuſcipere multis difficultatibus implicatum; cumque animo reputo, quam ægre homines laudari ſibi aliena patiantur, valde metuo, ne magnas invidiæ flammas ipſe mihi ſuccendam, ex quibus denique niſi ambuſtus egredi nequeam. Nam illud pro mea qua-

dam verecundia facere non poſſum, quod tamen oratores plerique ſolent, ut noſtris popularibus ea tribuam, quæ revera non inſunt; & ſolemne illud, tritæque adulationis plenum acroama veteri more recinam, *Patavii dicimus*. Nulla eſt in Italia, in Italia autem? Nulla eſt in Europa univerſa, atque adeo in orbe terrarum tam culta litteris civitas, quam noſtra hæc, ſi ſimul omnia, quæ rem litterariam conſtituunt, complectamur: at in ſingulis generibus quædam ſunt, quæ ſi nobis vindicare velimus, multæ nos Academiæ ex jure manum conſertum ſtatim vocabunt. Hoc ipſum eſt ex gravitate ſapientis hominis, ſe aliqua neſcire fateri; & quæcumque honeſta ſunt, aut utilia, non aliunde, quam ex rebus ipſis judicare. Hoc nimirum Patavinum eſt, hoc hujus ſoli cælique proprium, unde fucus & levitas ab Heroicis uſque temporibus exularunt: nec vero me in locum tam lubricum conjeciſſem, ut vetuſtarum linguarum ſtudio tantum tribuerem, quantum mox audietis, ſi mihi omnes ſuccenſuros putaſſem, qui laude iſta carerent. Ignavis quidem & ſocordibus concedo libens ut doleant, imo etiam ut reprehendant: quid enim potius? nihil illis operoſum placere poteſt. At vos, Viri optimi ac præſtantiſſimi, quorum ſinguli in magna aliqua doctrina excellitis, multi vero etiam in multis, tam mihi benevolos fore confido, quam longe abeſſe ab omni prorſus ignaviæ ſuſpicione, certo ſcio.

Vetus eſt aliquorum opinio, eorum præſertim, qui ſe præter ceteros ſapere arbitrantur, diſciplinas arteſque omnes, quæ ingenuis adoleſcentibus

bus tradi ſolent, vernacula cujuſque provinciæ lingua explicari oportere, ne florentiſſima ætas latinitatis addiſcendæ labore frangatur, quæ Geometricis & Geographicis ſtudiis multo gravioribus opportuniſſima eſſet. Quod ſiquis latina monumenta cognoſcere velit, tam multas eſſe interpretationes ajunt, tam certas, tam fideles, tam ornatas, ut nihil melius ex ipſo latinorum Scriptorum ore, ſiquando ex ſuis tumulis excitentur, accipi poſſit. Ac de diſciplinis quidem ſine latinis litteris addiſcendis nihil ajo, nihil nego: quod autem de latinis monumentis dicitur per interpretationes cognoſcendis, ſi de aliquo genere dicitur, facile patior, ſin autem de genere omni, vereor ne homines iſti non ſolum otio ſuo, ſed etiam patientia noſtra turpiter abutantur. Cum enim poetica & oratoria non tam rerum, quam verborum artificio conſtent; & cujuſque ſermonis figuræ quædam propriæ ſint, modo ſyllabarum ſono, modo vocum ambiguitate, modo ipſa poſitione formatæ, qui fieri poteſt, ut latina carmina & orationes ſuis verbis, ſuaque conſtructione ſpoliatæ, non ſuam quoque naturam exuant? Utcumque tamen eſt, juvit & oratorum & poetarum opera in alias migrare linguas, ut bona pars hominum domeſticis commodis & otio ſuperfluentes, deſidiam legendo ponerent; & quandoquidem eruditione carerent, aliquam ſaltem eruditionis umbram conſectarentur. At vero ſiquis eſt ad docendum vocatus, qui interpretationes hujuſmodi impigræ juventuti proponat, & ad latinas exhedras afferat, næ ille aut barbarus eſt, aut inſanus, aut peſtis aliqua lon-

ge deterrima ad tenellas animas labefactandas ſcholis affuſa. Videtis, Auditores, quorſum iſta pertineant. Nimirum Sacra Biblia multiplici ſermone vulgari pulchrum eſt, & pro humanarum mentium infirmitate etiam neceſſarium: at ipſos Bibliorum magiſtros ita cum vulgo torpere, ut nihil in ſcholas afferant, niſi communem aliquam & omnibus obviam interpretationem, valde miſerum eſt, nec in tanta ceterorum ſtudiorum felicitate ullo modo ferendum. Si enim latine ſcripta in noſtrum hunc ſermonem latino ſimillimum, & ab eo procul dubio propagatum ſine fraude transferri nequeunt, quis mihi ſe tam eximium profitetur, ut Palæſtinum orationis genus, ſupra quam dici, aut cogitari poſſit, a latino diverſum, ita tamen latine reddiderit, nihil ut præterea poſtulare debeamus? Quis ancipitem Hebraicarum dictionum ſignificationem, quis pondus, quis brevitatem, quis denique illa omnia per ellipſim, per emphaſim, per paragogem, per onomatopœjam abrupta, aucta, traducta, formata, latinis vocibus aſſequi potuit; & duas linguas toto genere disjunctas ita conſociare, ut verba verbis, figuræ figuris, conſtructiones conſtructionibus ex æquo reſpondeant? Id, non dicam, ſi factum eſt umquam, ſed omnino ſi fieri poteſt, ſileant per me licet Hebraica omnia. Ne ipſe quidem Græcus ſermo, qui tamen aliquanto propius ab Hebraico diſtat, & copioſiſſimus reliquorum eſt, vim omnem Sacrorum Bibliorum capere potuit; nec Septuaginta illa Sapientum ſocietas potentiſſimi Regis juſſu in hoc uno certantium effecit, ut Hebraicis codicibus Græci non indigerent. Verumta-

tamen interpretatio iſta, ſive inſtinctu inflatuque divino, ut quidam putarunt, edita ſit, ſive tota, ut credibile eſt, humanis viribus debeatur, tantum auctoritatis a primis uſque temporibus obtinuit, tantoque uſui Chriſtianæ religionis Patribus fuit, ut ob eam præſertim Græcas litteras cum Hebraicis ad egregium Sacrarum Scripturarum ſtudium conjungere oporteat. Id ſi firmum certumque conſtituatur, jam non Philoſophus, non Rhetor, non Grammaticus, non recens a ferula litterator, paullum modo latinitatis attigerit, graviſſimum ſibi munus tradendæ Scripturæ depoſcet; nec amplius in ſcholis inanes quæſtiones ad explendam contentionis cupiditatem excitatæ, ſed ſacratiſſima religionis myſteria ab ipſo religionis exordio fideliter ducta, quemadmodum decet, perſonabunt. Tu ne igitur, inquiet aliquis, interpretationem excludis, quam Vulgatam appellant? Ego vero id ne cogitavi quidem umquam; neque ſiquis cogitet, ſatis mihi ſanus videatur. Imo hæc dominetur una in privatis exercitationibus, dominetur in publicis, quam & multorum ſæculorum vetuſtas, & Concilii Tridentini auctoritas, & plura deinceps Pontificum decreta adverſus obtrectatores in omnem ætatem permunierunt. Verum enimvero ubi explicanda eſt, & ad ſcholæ uſum referenda, niſi & cum Græcis aliquando congrediaris, & cum Hebræis, & cum Syris, & cum Arabibus, & cum Chaldæis, eorumque rationes ſuis momentis perpendas, tamquam unus paterfamilias judicaberis, de domeſticis religionibus cum pueris & uxore diſputans. Si enim illa ita clara & expedita eſt, ut nullius egeat ex-

plicatione, quid te mihi operamque tuam fallaciter venditas? Sin autem alicubi obſcura eſt, & verborum ambiguitate perplexa, quomodo aut explanabis ipſe, aut aliorum explanationes judicabis, qui fontes illos adire nequis, unde omnia profluxerunt? Hærent enim adhuc in Vulgata aliarum linguarum idiotiſmi, alibi brevitas apparet Hebraica, alibi Chaldæorum παράφρασις, alibi Septuaginta Interpretum ἑλληνισμὸς: quibus expediendis non Philoſophus, non Theologus, non Civilis, aut Canonici juris peritus, ſed exoticorum ſermonum interpres adhibendus eſt. Quid vero idiotiſmos dico? Multæ etiam ſibi voces hanc operam poſcunt. Cedo enim, quid illa ſignificent ab Hebræis ſumta, *ephod*, *ſabaoth*, *Hoſanna*, *Alleluiah:* quid illa Syriaca, *Raca*, *Epheta*, *Golgotha*, *Gabbatha*, *Maranatha;* quid alia multa a Græcis inflexa? Non deſunt, inquis, lexica, unde petam. Primum quidem, ſi D. Auguſtino credis (quem virum, bone Deus, quo ingenio, qua rerum divinarum humanarumque ſcientia!) ſi huic, inquam, credis, *Sunt quædam verba certarum linguarum, quæ in uſum alterius linguæ per interpretationem tranſire non poſſunt*: deinde gratulor egomet mihi, cui ſi lexicon ſuppetat, nihil eſt opus te Magiſtro. Sed cominus, quæſo, congrediamur. Novi enim eſſe aliquos, qui veteribus linguis ampliſſimas laudes tribuunt, ſed nihilo plus temporis concedendum putant, quam quantum lexica verſare volentibus neceſſe eſt. Age vero, lexicorum manceps, quid ſi ego verbo negem, quod tu de lexico recitas? Unde habes, ut confirmes? Ridicula ſunt hæc, Audito-

de doctrin. Chriſ. l. 2. c. 11.

res:

res ; neque enim omnia in lexicis eſſe poſſunt, neque debent : & ea ipſa, quæ ſunt, memoriæ ſerviunt, non ingenio. Scilicet lexica conſules, cum in capite Geneſeos quarto de voce שִׁבְעָתַיִם n. 15.
te quiſpiam interrogabit, utrum ad gravitatem pœnæ, an ad rationem temporis ſit referenda. Nam *ſeptuplum*, quod eſt in Vulgata, non facile capies, niſi ab Arabibus auxilium petas, conjunctiſque viribus adverſus Rabbinos, & Chaldaicum Paraphraſten pugnare poſſis. Quid cum te de voce סֶלָה in pſalmo quinquageſimo ſecundo n. 18.
percunctabimur? Quo te lexico expedies? cujus opem implorabis interpretis? Junius & Tremelius adverbium putant; Paulus Burgenſis & Chircherus vocem ἐγκλιτικὴν; Matthæus Polus exclamationis ſignum; Calovius & Olearius pauſæ ſignificationem; Buxtorphius muſicam notam. Ut vero tot capita concilies, adhuc tibi & cum Joanne Paſchio, & cum Rabbinis, & cum Syris, & cum Æthiopibus interpretibus in diverſa abeuntibus futura res eſt. Quam te porro miſerum excruciabimus, cum veteres ad te controverſias afferemus de verbo הַיֵּמִם in capite Geneſeos tri- n. 24.
geſimo ſexto; de קָרַן in Exodi trigeſimo quar- n. 29.
to; de לַמֹּלֶךְ in vigeſimo Levitici; de הַכֻּשִׁית n. 2.
in duodecimo Numerorum; de אַדַּרְתּוֹ in libro n. 1.
Regum ſecundo; atque inſuper ſexcentis, quæ ſi- c. 2. n. 8.
ne magna Hebraici ſermonis peritia fruſtra explicare contendes? Audivi nonnullos, qui talia contemnerent, quippe magnis contentionibus non ſatis digna. Quibus primum reſpondere poſſum,

nihil

nihil in re tanti momenti minutum eſſe; deinde libenter illos interrogarem, utrum id ſatis grave ad diſputandum videatur, quod eſt in verbis
v. 12. נַשְּׁקוּ־בַר pſalmi ſecundi, unde Rabbini Trinitatis myſterium exturbare conantur? Quid illud
Gen. 49. 10. tantopere celebratum Jacobi vaticinium de Meſſia venturo, ablato Judæ imperio, cujus verba ſingula Chriſtiani nominis hoſtes calllidiſſime oppugnant, & alio torquent? Eſt ne par ingeniis tantis? Quid quod habet Iſaias ſecundo, & ſeptimo capite de nova lege, de Chriſti Euangelio, de Virginis partu, ſatisne capit magnarum mentium cogitationes? Verum ſiquid hujuſmodi ſine Hebraica pertractabis eruditione, noſtri illi ex Synagoga pertinaciſſimi adverſarii aut dormitabunt, aut ridebunt. Sed jam Hebræorum natio parum nobis negotii faceſſit, aut multo certe minus, quam ipſi Chriſtiani homines heterodoxi. Nemo enim ſe ab Eccleſia Romana ſubduxit, novumque ſectæ genus molitus eſt, quin ſuis opinionibus vel monſtroſiſſimis ſacras litteras prætexuerit. Inde novæ interpretationes exortæ; quæ cum veterum linguarum auctoritate malitioſius adſumta plerumque propugnari ſoleant, inepti plane ſumus, niſi paribus armis arma retundimus, & populum peregrinis litteris attonitum admirantemque, ab inſidiis & fallaciis liberamus. Quid enim eſt, quod ex illo ſuggeſto doceas, teque mihi Scripturæ profeſſorem magnifice jactes, ſi cum ſuas tibi interpretationes objiciunt Junius, Caſtalio, Leo Judæ, Munſterus, Œcolampadius, fidemque veterum codicum, & Hebraici Græcique ſermonis appellant, tu illos ne intelligis quidem,

dem, petitioneſque graviſſimas ignorantiæ confeſſione declinas? Tute tibi habe veteres illas de Terreſtri Paradiſo, de Turre Nembrothi, de Henocho & Elia, de Melchiſedecho, de Jobo diſputationes, quæ tametſi pulchritudinis & jucunditatis plurimum habent, tam multis tamen libris expoſitæ ſunt, profligatæ, & ad exitum prorſus adductæ, ut jam ſupervacaneum ſit ad eas recoquendas magiſtros arceſſere, & miſeram juventutem fatigare. Licuit in ſummo Eccleſiæ otio per hæc inter nos velut enſibus præpilatis ludere; nunc vero ingruentibus undique Romani nominis hoſtibus, & alia ſuper alia bella ferentibus, in aciem prodire oportet, iiſque armis confligere, quæ ipſi potiſſimum pertimeſcunt. Atque ego ut inter Academicos hactenus diſputavi: quid ſi jam monere incipiam? quid ſi leges Eccleſiæ proferam, quibus reſiſtere nefas ſit? Annon enim Concilium Viennenſe tercentorum Epiſcoporum & Pontificis maximi præſentia verendum, graviſſimo decreto ſancivit, ut Hebraicis, ut Chaldaicis, ut Arabicis, ut Græcis litteris in quavis locus eſſet Catholicæ ditionis provincia? Nonne id ipſum Gregorius XIII. earum linguarum magiſtris & librariis Romam accitis, illuſtri ad imitandum exemplo confirmavit? Quid Paulus V. quid reliqui ſubinde Pontifices? nonne ſtudia hæc magno favore ac benevolentia proſecuti, ad Monachos ipſos traducere conati ſunt, iiſque præmiis ornare, quæ vel ignaviſſimos excitarent? Græcis, credo, fabulis, aut antiquitatis ambitione ducebantur. Quid enim eſt reliquum parere nolentibus, ut dicant? Modeſtius agunt,

Clem. 1. de Mag.

agunt, tempora accuſant: Græcos & Hebraicos codices tum ipſa vetuſtate exeſos, tum etiam multorum audacia corruptos eſſe: huc ipſos Tridentini Concilii Patres ſpectaviſſe, cum Vulgatam unanimi conſenſu probarunt; & unam ex omnibus ſacrorum Bibliorum editionem Chriſtianis hominibus commendarunt. Non tantum mihi a vobis conceditur otii, ut veteri calumniæ ſæpiuſque retuſæ hodierna luce reſpondeam: id unum dicam, quod ubi opus fuerit, graviſſimorum Scriptorum ſuffragiis confirmare poſſum, Vulgatam editionem non Græcæ, aut Hebraicæ, ſed reliquis Latinis, quarum magna copia & varietas in dies exibat, neceſſario illo Tridentinorum Patrum decreto præpoſitam fuiſſe. Multa quidem commoda, & prope innumera in Chriſtianam Eccleſiam ad Fidei morumque leges componendas per Synodum Tridentinam redundarunt; ſed nihil tam grave accepimus, nihilque tam utile, quam quod ex omnibus Latinis Sacrarum Scripturarum interpretationibus una illa probata eſt, quæ ceterarum optima ac fideliſſima, nutantia multorum ingenia tamquam clavo firmaret, certiſque regionibus circumſcriberet. Neque tamen ideo Hebraicis, aut Græcis codicibus, unde Latini omnes, ceterique manarunt, quippiam auctoritatis detractum eſt: ſtat adhuc eorum fides firmiſſimis præſidiis fulta, licetque in rebus dubiis ad prima illa verbi divini exempla non modo ſine crimine, verum etiam cum laude provocare. Haud equidem nego, mutila quædam in illis eſſe, nonnulla vero etiam mendoſa; ſed & menda ipſa antiquitatis indicia ſunt, & partibus in-

inſunt minime neceſſariis; & in Vulgatam quoque librariorum incuria, ſi minuta quælibet animadvertimus, irrepſerunt. Nihil novi affero, nihil quod ſummi Vulgatæ patroni, ſi ſerio & ex animo agant, negare poſſint. Sed vereor, Auditores, ne quemadmodum qui dignitates in repub. obtinere non poſſunt, privatum otium laudare ſolent, omnemque rei gerendæ rationem conquiſitis difficultatibus improbare; ita qui Græca & Hebraica ſtudia ſive animi infirmitate, ſive inertia defugiunt, eorum laudem malignius imminuant, tantumque Latinis concedant, ut modum fidemque ſuperet. Hunc porro deſidiæ morbum tum demum mihi videor depellere poſſe, ſi pauca quædam de Hebraica lingua dixero, ejuſque naturam & rationem minus multo implicatam, quam timidi homines ſibi confingunt, patefecero. Nam Græca quidem multis jam locis refloreſcens non indiget opera noſtra. Agite dum qui Hebræorum pronunciatione perterrefacti ab hoc litterarum genere tantopere abhorretis; quid eſt, ſi primos Grammaticæ labores ſuperaveritis, quod ſtudia veſtra retardare poſſit? Num copia, num varietas, num inconſtantia? Nihil ſane hujuſmodi eſſe poteſt in lingua illa, quæ multis abhinc ſæculis obliterata, in uno tantum ſacrarum Scripturarum codice, grandi quidem ac ſplendide ſcripto, ſed tamen uno ſuperſtes eſt. Niſi forte Talmudica commentaria neque rebus, neque verbis pura recipimus, & multiplicem illam loquendi ſartaginem ad Hebraicum ſermonem revocandam exiſtimamus. Fingite vobis animo unum ex omnibus Latinis Scriptoribus Ciceronem, ex omni-

mnibus Græcis Demoſthenem unum ſupereſſe; jam intelligitis, quam in anguſtum copioſiſſimæ ceteroquin linguæ compingantur; vocum numerus ſtatim exiguus, dialectus una, forma conſtructionis non admodum varia. Nihil eſt enim aliud, quod Græcas Latinaſque litteras adeo in immenſum propagaverit, ut multos ſtudioſis hominibus annos eripiant, quam ingens Scriptorum multitudo, qui pro ingenio quiſque ſuo, pro patriæ, pro ætatis, pro rerum tractandarum natura verba dictioneſque formarunt, multiſque ex omni lingua detortis, infinitos labores diſcentibus ac docentibus propoſuerunt. Adde, quod Hebraicus ſermo ceterorum antiquiſſimus, & mundo æqualis, nullam litteram aliunde mutuatur, nihil in ſe barbari, nihil externi admixtum habet, ſed ubique ſuus ſibique ſimilis, quod nulli præterea contingit, in modico illo ſacrorum Bibliorum ambitu planiſſime & expeditiſſime incedit. Quamobrem paucis menſibus, ut ſcribit Erpenius, & quidem duobus, aut tribus, ut Amama, tantum ex illo percipi poteſt, quantum eſt ad intelligendum ſatis; anno vero, & eo citius ita totus memoria ſcientiaque comprehenditur, ut jam difficultas ſuperſit omnino nulla. Non deſunt, qui menſe breviorem diem ſatis eſſe affirment; quorum ego ſententiam neque probare auſim, neque rejicere: ſed nulla certe veterum linguarum eſt, quæ paucioribus verbis conſtet, nulla quæ tam paucis plura ſignificet. Nihil hic vaſtum, nihil redundans, nihil effluens; nulla neque *μακρολογία*, neque *βαττολογία*; ſed preſſa omnia, tantaque brevitate caſtigata, ut una ſæpe vocula, atque adeo ſyl-

Vvalt. Bibli. Polyg. prolego. 3.

ſyllaba una ſententiam abſolutiſſimam complectatur: unde eſt illud doctiſſimi Poſſevini in *Bibliotheca ſelecta*, tot eſſe in Hebraica Scriptura ſacramenta, quot ſunt litteræ; tot myſteria, quot puncta; tot arcana, quot apices. Quæ cum ita ſint, per mihi mirum videri ſolet, eſſe homines cetera non inſipientes, qui quidquid Hebraicum vident, aut audiunt, ſtatim explodant, nobiſque etiam moleſtiam afferant, quod vulgatis interpretationibus contenti non ſimus. Quod ſive difficultatem timent, ſive præſtantiam non agnoſcunt, quæro ego ab illis, cur ea ſaltem cura non moveantur, quæ humani ingenii propria eſt, cognoſcendi remota, ſiquo præſertim inſignia facto ad religionem pertineant. Ergo difficillima & infeſta itinera ſuſcipient, ut illuſtrium virorum monumenta videant, eaſque regiones obeant, quas illi præſentia ſua, rebuſque mirabiliter geſtis nobilitarunt; quæ vero longe pulcherrima curioſitas eſt, ejus linguæ cognoſcendæ, quam primi hominum parentes divinitus hauſerunt; qua ipſi inter ſe, & cum ſuo conditore locuti ſunt; qua rebus omnibus dedere nomina; qua ſe Deus ipſe יְהֹוָה nuncupavit; qua Angelos interdum uſos, qua Prophetas ſcripſiſſe accepimus; quæ omnium linguarum princeps ac mater, veſtigia ſua ubique impreſſit; hac, inquam, tam honeſta, tam ſplendida, tam homine digna curioſitate nihil omnino commovebuntur? Sed videant alii pro ſuo ingenio gloriæque cupiditate, quem ſibi animum ſuſcipiendum putent. Ego ſic ſtatuo, cum tanta ſit ad Sacras Litteras profitendas veterum linguarum neceſſitas, cum Hebraicæ præſertim tanta

faci-

facilitas ſit, pulchritudo, dignitas, ſanctimonia, etſi omnes omnium, qui nos quotidie circumſtant, auctoritates repugnarent, nihilo tamen minus ad hanc præclariſſimam laudem contendendum eſſe. Nunc vero cum re & ratione expreſſa veritas, ipſius quoque Eccleſiæ legibus, multarum Academiarum uſu, & quod maximi apud me debet eſſe ponderis, nutu & admurmuratione veſtra confirmetur, quid eſt præterea quod dubitemus? Ac, ne id quidem omittere debeo, ita eſſe in more inſtitutoque loci hujus, ubi me Superi litterarum cuſtodem ac vindicem collocarunt. Quod leve fortaſſe alicui videbitur: at ego quidquid reperio ab eximio illo atque immortali ſtudiorum noſtrorum Auctore, quem honoris, atque adeo pietatis cauſſa nomino, Gregorio Cardinali Barbadico conſtitutum, ita accipio, quemadmodum divina debent. Quoties enim ſingula reputo, quæ vel ipſe a ſe invenit, vel ab aliis inventa huc adduxit, artium, linguarum, ac diſciplinarum genera tanto conſilio diſtributa, tot præſidiis munita, tam multis exercitationibus a vana ſpecie, in quam fere degenerant, ad rem & veritatem revocata, videtur ille mihi non humano conſilio uſus, ſed divina quadam virtute præditus ea vidiſſe & feciſſe, quæ poſteri ſine piaculo violare non poſſent. In quo etiam divina vis ac providentia magis apparet, quod cum ille ad vitæ exitum vocatus, præclariſſimarum rerum initia nondum ſatis firma reliquiſſet, hic nobis Princeps Eminentiſſ. veluti parens alter Superum beneficio conceſſus eſt, qui poſitis ab illo fundamentis mirificas moles excitaret, tan-

tum-

tumque proveheret, ut ad majorem amplificationem nihil jam deſit, niſi locus. Ergo cum ille in magna, attentiſſimaque rerum omnium cura nihil æque cogitarit, atque ut totius Orientis linguas ad s. Scripturam illuſtrandam in ſcholas noſtras advocaret, Græcæque ac Latinæ conjungeret; cum hic ejus veſtigiis inſiſtens, qui tamen prægredi ipſe poterat, idem velit, idem curet, idem jubeat, quo me animo eſſe oporteat, exiſtimate. Id extremo loco ab adoleſcentibus noſtris vehementer peto, ut quoniam illorum gratia omnia dicuntur ac fiunt, in eo libenter laborent, quod nos certis probatiſque de cauſſis optimum ducimus; ea inſuper cogitatione ducti præſtantibus ingeniis digna, ut ornamenta ſibi comparent, quæ paucis communia ſint.

EPISTOLA

Præpoſita editioni primæ hujus Orationis.

SI forte fortuna fiat, ut noſtra hæc jejuna lucubratio in eas regiones deferatur, ubi linguarum ſtudia florent, plerique omnes mirabuntur, quid me tandem moverit, ut in re ſatis plana & expedita tam multo ſermone laborarem. Ego vero patriæ rationem habui, ejuſque auribus dicere inſtitui; nihil admodum de illorum judicio ſollicitus, qui hæc ſibi jamdiu perſuaſerunt, a majoribus tradita, & quotidiana conſuetudine uſurpata. Sed hinc, opinor, nihil in me valde criminoſum, utcumque accipiant. Ab iis potius mihi timendum, qui ſuperioribus contraria ſentiunt, & nimis enucleatum putant, quic-

quid vernaculum ſermonem & latinum ſupergreditur. His & nugari ipſe in re minus utili videbor, & ad nugas juventutem allicere. Hoc vero non caret ſpecie culpæ: ſed nolo purgare. ſatis ſuperque verborum in ipſa Oratione. Numquam ego placere omnibus ſtudui; imo neque pluribus: quia illi contraria, iſti deteriora ſequuntur. Si paucis illis, quos mihi animo & cogitatione propoſui, feci dicendo ſatis, jam operam recte navavi. Vale.

ORA-

ORATIO VII.

AD JURISPRUDENTIAM.

Expedit, omnes gentes Romanis legibus operam dare, ſed ſuis vivere.

SPlendidum Juriſprudentiæ nomen, & quod uni ferme convenit, etiam ſolidum, omnique generi hominum, ſive meditandi ſive agendi ſtudioſo, pulchrum atque utile, jubet me majore quadam animi ſecuritate hoc anno deſcendere, & publicam hanc lucem veſtramque omnium expectationem ſuſtinere. Neque vero ante nugas egi, aut aliquid in medium attuli præter oratoris dignitatem; ſed litteræ omnes ad humanitatem pertinentes, & Philoſophicæ ipſæ ac Theologicæ diſciplinæ magis per ſe honeſtæ ſunt, quam vulgo probabiles: & quæ perverſe interpretantium malitia eſt, in invidiam quoque non raro vocantur, quod otium umbratile foveant, & a reipublicæ cura, quæ una illis glorioſa videtur, multos abducant. Una eſt legum ſcientia, de qua omnes magnifice ſentiunt, & qui ſe litteratos ferunt, & qui ambitione ducuntur, & quibus medium ingenium eſt; quod latiſſime diffuſa publicam privatamque fortunam regat, nullumque ſibi deditum jacere patiatur, etſi maxime lucem formidet, nec niſi incluſus domi de jure reſpondeat. Ac ceteri quidem liberalium profeſſores artium, præter admodum paucos, ſilentio & inopia paſſim

contabeſcunt; ne Medicis quidem ipſis, generi tantopere neceſſario, recluſa ad opes via, niſi diu tolerando fatigatis, & naturæ neceſſitate prope confectis: cum interim Juriſconſultus ubique fere liberalius acceptus, mature floreat, & ad gratiam, & ad opes, & ad ſummas in republica dignitates, modo paullo diligentius connitatur, faciles ſibi aditus patefaciat. Nihil eſt opus in hac republica, hiſque temporibus, ubi homines a ſubſelliis propemodum regnant, antiqua repetere; ſed tamen ut id exemplo fieri intelligatis, illa ipſa gentium domina, totiuſque ſapientiæ ſecundum Græcos magiſtra, Romana civitas initio ſtatim de jure cogitavit, ejuſque peritis honorem habuit; cum ceteroquin incurioſa neque Grammaticos, neque Rhetoras, neque Philoſophos, neque Medicos ipſos niſi multa poſt ſæcula ferre potuerit. Verum tanta hæc graviſſimæ ſcientiæ dignitas, tanta cum dignitate conjuncta fortuna, non caret invidiola, quod nondum omnes ſibi perſuaſerint, Juris civilis ſtudium Romanis legibus contineri, omnemque juſtitiæ rationem & æquitatis ex Juſtiniani codicibus tamquam ex oraculis petendam eſſe. Sua quidam libentius amplectuntur, alii Græca præferre malunt, nonnulli etiam ſacras litteras in medium afferunt, unde omnem imperandi parendique rationem, omne æqui & iniqui diſcrimen ſumendum putant. Non is ego profecto ſum, qui tam veterem controverſiam diſceptare poſſim, ſuiſque regionibus humani generis jura definire; ſed tamen cum dicere aliqua neceſſe ſit, ut hunc diſciplinarum orbem abſolvam, fidenter affirmateque oportere conſti-

ſtituo, gentes omnes Romanis legibus operam dare, ſed ſuis vivere. Porro autem Romanas leges cum dico, non hæc certi juris, ſed ipſius prope juſtitiæ appellatio eſt, a recta ratione expromtæ, magnoque Deorum immortalium beneficio populo terrarum principi patefactæ; quæ ſi non cunctis civitatibus, aut negotiis, aut temporibus convenit, ſuccus tamen inde ſanguiſque exiſtit, qui ad alios mores opportuna derivatione ductus, ingenia vel efferatiſſima lenire poteſt, & cujuſque inſtituta gentis ad bonum & honeſtum conformare. Itaque duo mihi facienda ſunt, primum ut oſtendam, nullum eſſe jus ad cognoſcendum Romano præſtantius; alterum ut probem, patrias leges hoc jure temperari oportere, non abrogari.

Si quomodo jus in natura poſitum eſt, ita leges omnes, non hominum opinione, ſed naturæ norma conſtituerentur, una eſſet omnium populorum vivendi ratio; magnaque cura liberarentur, qui ſe legum ſtudiis dediderunt. Verum & ipſum jus neſcio quo pacto quidam a natura abdicant, quorum princeps Archelaus Socratis præceptor; & leges populorum pro vario judicio & conſuetudine variæ ſunt, ſibique inter ſe contrariæ. Quid enim a moribus noſtris magis alienum, quam promiſcuas uxores habere, prolemque incertam educare? Hoc tamen inſtituto Maſſagetæ uſi ſunt. Quid ſuapte natura fœdius, quam filias & ſorores in matrimonium ducere? Alterum tamen Perſis, alterum Ægyptiis familiare fuit. Furta Cilices probarunt; otium & ignaviam Sybaritæ; alii denique alia, non re, ſed ſuis opinionibus juſta & honeſta judicarunt: quod

Laert. in Archel.

Idem in Pyrrhon.

pluribus oſtendit Sextus Empiricus Pyrrhon. hypoth. l. 3. c. 24. Ergo prima illa cogitatio juris ſtudioſos tenere debet, ut recti pravique diſcrimen ab eo populo petant, qui ceteris mortalibus ſapientia & virtute præſtitit; eoque aſſecutus eſt, ut longe omnium potentiſſimus multis regionibus multiſque ſæculis leges ſciſceret. Is ſcilicet populus Romanus eſt, graviſſima natio, maximæ cujuſque virtutis exemplum, fortis, temperans, prudens, & ad jura componenda mirifice factus. Ceteras quidem artes, totamque humanitatem & eruditionem a Græcis diſcamus, diſputandi peritiſſimis: at vero Juriſprudentia Romanorum eſt, ab illis & parta & exculta, & ad Græcos ipſos, non facile aliena probantes, incredibili plauſu traducta. Nam qui dicunt ex Græcia veniſſe leges, nolim ignorent, magnarum quoque rerum initia parva eſſe, juſque omne Decemvirale Attica ſapientia conſperſum, vix primum magnæ hujus ſubſtructionis fundamentum fuiſſe, quæ deinde Romanis opibus paullatim elata, in hanc demum celſitudinem, quæ toti immineret orbi, exædificata eſt. Quibus enim terrarum imperium Superi conceſſerant, iiſdem pro ſua providentia par ingenium imperio dedere; ut aliarum nationum leges primum excerperent; ſuas deinde plane innumeras ipſi juberent; tum veluti juſtitiæ imaginem inde ducerent, quæ publicis tabulis ad æternitatem impreſſa, non Romæ ſolum, ſed ubique placere poſſet. Eſt igitur hoc non unius civitatis, aut provinciæ, ſed generis humani, & ipſius quodammodo naturæ jus, ex priſca omnium ſæculorum ſapientia conflatum, & cælo prope demiſ-

miſ-

miſſum ad barbariem tollendam, omneſque omnium populorum voluntates uno vinculo conſociandas. Quid mihi adhuc Græcos commemoras? quid me in eas ſcholas mittis verborum refertiſſimas, rerum vacuas? Plato, Xenophon, Ariſtoteles tradunt quidem reipublicæ gubernandæ regulas; ſed a communi conſuetudine, & civilibus moribus longe recedunt; multa ſibi permittunt, quæ extra umbram ferenda non ſunt; & pro ſuo quiſque ſtomacho civitatem fingunt. Illi ipſi, qui in republica verſabantur, prudentiſſimi viri, ſuiſque civibus leges ſcribebant, ut eſt natio nimis acuta, mutuis ſe telis confecerunt, nulluſque ex omnibus toti Græciæ ſatisfecit. Minos enim ex multis decretis Jovis nomine conditis vix pauca probavit Lycurgo; Lycurgi leges ab Apolline acceptas, ut ipſe ferebat, agreſtes ac feras Plato judicavit; Draconis inſtituta tamquam inhumana rejecit Solon; Solonis legibus addendum detrahendumque putarunt Cliſthenes & Demetrius Phalereus. Etſi autem Solonis *νόμοι* (ſic enim ille ſuas leges appellare maluit, ut nomine ipſo, niſi fallor, a Draconis *θεσμοῖς* diſtinguerentur) etſi, inquam, Solonis *νόμοι* auctoritatem longe maximam in Græcia obtinebant; attamen ſublato Solone, velut intermortui, verbo quidem eorum fidei commiſſi ſunt, quos *ἐξηγητὰς* nuncupabant, ſed re ipſa non alios habuerunt interpretes, quam ipſos forenſes oratores, cauſſæ quemque ſuæ ſtudio abreptos, & in id præſertim intentos, ut eloquentiæ fuco judices fallerent, tabulaſque ſanctiſſimas ad tempus & arbitrium explicando diſtorquerent. Nihil tale Romanis legi-

bus contingere poterat. Ut enim rogatæ erant, & ab eo populo auctoritatem acceperant, qui populos omnes ſui juris auctoritate continebat, ne ulla ſontium interpretatione violari poſſent, cuſtodes & explicatores habebant, quibus primum quidem civitatis conſenſus, deinde etiam Imperator tantum tribuit auctoritatis, ut judices ipſi eorum reſponſis addicti, ita demum decernerent in lege eſſe, quemadmodum Prudentes (quod illis nomen ſcientiæ ac virtutis opinio dederat) reſpondiſſent. Hoc vero diligenter animadvertite, ſapientiſſimi viri. Cum enim leges paucis verbis comprehendantur, verbaque ipſa tempore obſoleſcant, pulcherrima antiquitatis inſtituta intercidiſſent, nullaque omnino eſſet Juriſprudentia, ſi Romani quoque Græcorum exemplum ſecuti, ſuarum legum interpretationem oratorum arbitrio permiſiſſent. Sed ut omnia a Græcis accepta fecere meliora, ita præſertim magis, quam illi ad regendum facti, cum leges accepiſſent, multiſque amputatis & additis, ſuis moribus accommodaſſent, primum quidem Pontificibus, deinde vero, quos modo dixi, Prudentibus earum explicationem commendarunt; unde orta ſcientia juris, Romanorum propria, & una ex omnibus humanæ ſocietati utiliſſima. Neque vero caret lumine illo philoſophiæ, in quo tantopere ſe Græci jactant. Qui enim ſibi tantum eſſe prudentiæ ingeniique putabat, ut de jure reſpondere poſſet, is & antiquitatem omnem ſtudio complexus erat, & Dialecticas regulas, & Moralem in primis philoſophiam perdidicerat; ſine quibus nec vetera legum vocabula expediri, nec ſenſa ad ſæ-

culi

culi mores traduci, nec omnino generalis præceptio rebus ſingulis aptari potuiſſet. Quo illud ſpectat Ciceronis in libro *de Orat.* 1. *c.* 44. Jus civile Romanorum multis præclaris artibus excultum, ceterarum gentium inconditum fuiſſe ac pæne ridiculum, ne Lycurgi quidem libris, aut Draconis, aut Solonis exceptis. Nolite enim audire hominem *pro Murena*. Cauſſæ inſervit more ſuo, & ut Sulpicium proſternat, nulli parcit Juriſconſulto. Tota illa oratio feſtiva eſt, & ad carpendum inſtituta, ut ne ipſi quidem parcat Stoicorum philoſophiæ. Quam cum audiret Cato ejus adverſarius, *Dii boni*, inquit, *quam ridiculum Conſulem habemus*! Idem tamen, cum impetus ille forenſis deferbuiſſet, amoris iræque expers, Duodecim Tabulas ſupra omnes philoſophorum bibliothecas extulit, nihilque tam honorificum in pace judicavit, quam Juris ſcientiam profiteri. Et vero qui fieri poterat, ut nobiliſſimi Romæ viri vel hoc ſibi ſtudio ad honores ac dignitates viam munirent, vel honoribus jam perfuncti hinc ſibi ſenectutis ſolatium & ornamentum quærerent, ſi tota juris ſcientia tenuis eſſet, ut ille contra Sulpicium dixerat, formuliſque & actionibus contineretur? Adde his, qui reſpondendo jure privatis cavebant, illos etiam qui imperium meditabantur, ſeque ad leges ferendas, ſiquando opus eſſet, per hæc ſtudia comparabant. Quod utinam ſemper ex hac ſchola magiſtratus exiſſent: neque enim tam cito tanta rerum moles corruiſſet. Equidem ſæpe mecum ipſe cogitare ſoleo, quamobrem qui reipublicæ operam navant, aliis ſe potius litteris dedant, & politicam artem a

Plut. in Vit. Cat.

Phi-

Philoſophis petant, hominibus plerumque ſibi viventibus. Quod ego non reprehendo, ſed nuſquam certe, quam in Romana Juriſprudentia clarius apparent civium negotia, perſonarum gradus, rerum diviſiones, acquirendi modi; nuſquam publica & privata crimina, pœnæque criminibus conſtituendæ; nuſquam officii veræque virtutis munus; nuſquam demum cetera, quæ humanam ſocietatem lædere, tuerive poſſunt. Atque hæc quidem ad omnem civilis adminiſtrationis formam appoſite ſcripta; quia nullus eſt rerum ſtatus, in quo Roma, perpetuis agitata motibus, aliquando non fuerit. Nam a Romulo ad Tarquinium uſque Superbum experta regnum eſt; tum ad Ariſtocratiam per Brutum & Valerium Conſules tranſiit; ſurgentibus deinde Tribunis, partemque honorum omnium ſibi vindicante plebe, in Democratiam commutata eſt; poſt a Cinnanis contentionibus ad Triumviros uſque reipublicæ conſtituendæ Oligarchiæ ſpeciem quamdam obtinuit; denique amiſſa libertate omni, modo regio dominatui ſimilis, modo tyrannidi paſſa eſt; tam ſibi ipſa diſſimilis, quam Principes habuit genere, moribus, ætate, ingenio diverſos. Numquid alii ſunt antiquæ doctrinæ fontes, numquid ulla Græcorum volumina, unde plura temperandæ civitatis documenta, unde certiora, unde magis probata, quodcumque tibi regimen fortuna dederit, ſive regium, ſive populare, ſive miſtum, parari poſſint? Sed, ut ſpero, Græcarum rerum amatoribus ſatis id ſuperque futurum eſt, quia ratione ducuntur; nec unius diſciplinæ gloriam Romanis gravate concedunt, reliquas omnes ex Græcia,

Mu-

Muſarum & Apollinis patria, tamquam mutuas exorantibus. Gravior mihi pugna, multoque periculoſior cum illis ineunda eſt, qui ſe religione quadam ad tempus adſcita callide tegunt, totamque juris ſcientiam Moſaicis legibus definiunt. Haud ego ſane inficias iverim, ex fonte illo ſaluberrimo, omniumque antiquiſſimo leges ac jura manaſſe omnia; ajo etiam, & confirmo: ſed quando hæc in flumen ampliſſimum propagata ſunt, cur fonti adhuc aridulo ſegnes hæreamus? Omnia ſunt in libro illo divino, quæ ad religionis inſtitutionem, vitæque honeſtatem ullo modo pertinere poſſunt; ſed nimia quadam licentia fit, ut & Politicas, & Philoſophicas commentationes quidam ex illo eruant, alii oratorium, alii poeticum artificium, nonnulli etiam incredibili depravatione rerum myſteria Chymica, & ſiquid eſt illis ab homine excogitatum inanius. Hoc genus hominum, qui ſe multa in ſacris litteris videre putant, ab earum propoſito remotiſſima, jam a mente diſceſſit, & inſanabili morbo laborat. Quos inter non eos cenſeo, qui ſumma juris capita ab ipſo legislatorum principe Moyſe derivant: hi enim & valde ſapiunt, & ut ante dixi, nobiſcum faciunt. At qui privatum publicumque jus, omnemque juris legumque doctrinam indidem hauriunt, mihi quidem nimis videntur extendere, quæ ad unius populi regimen ſcripta ſunt, neque ſane perpetuum, ſed Chriſti ſummi regis adventu jam extinguendum. Anguſta fere ſunt hujuſmodi ingenia, & in quo maxime gloriantur, in eo ſummam levitatem oſtendunt. Cum ad eam pervenerunt inſaniam, ut

hinc

hinc acuminis laudem quærant, omnia ſibi licere putant, contraria contrariis inſerunt, nova ſenſa componunt, monſtroſas interpretationes effutiunt, nihilque tam alienum a s. Scriptura eſt, quod ejus auctoritate non confirment. Jam in eo quam ſibi placent, cum dicunt, Romanis legibus vetitas cærimonias atque impia ſacra juberi! Ita nimirum. At nos ex iis, & præterea multis jam obſoletis de ſepulcrorum jure, de judicibus dandis, de bonis addicendis, de priſca parentum poteſtate, de ſervitute, eruditionem expromimus, juſſa & ſanctiones tempori condonamus. Quod ſi grave aliquid afferre cupiunt, quin potius obſcuritatem objiciunt? quod nos Romani juris vitium pro noſtra ingenuitate fatemur; ſi modo vitium eſt, quod rei majeſtatem parit, & hominum ſegnitiem exercet. Objiciunt enimvero multi: nec tamen deſunt, qui nimis plana omnia, & in medio poſita eſſe querantur; quia ſibi convenire nequeunt, qui res optimas temere oppugnant. Qua in re dicam univerſe quod ſentio. Sunt in Romana Juriſprudentia, quæ maxima ingenia explere poſſint, nihil quod opprimere; jus continet verbis ac ſententiis obſcurum, non tamen antiquitatis ſtudioſis; magnitudine immenſum, non tamen promtis & incitatis; rebus admodum varium, & alicubi etiam ſibi contrarium, non tamen intelligentibus; uno verbo, pelago illam Juſtinianus comparavit procellis ſcopuliſque infeſto, in quo ſcilicet peritus nauta ingentem ſibi laudem comparare poteſt, imperitus ne minimam quidem. Ergo huc, ſi viri ſumus, operam omnem ſtudiumque conferre debemus, in hoc conten-

tendere, hoc urgere, quod & pulcherrimum, & Romanum eſt, immo mehercule pulcherrimum, quia Romanum. Omnia ſunt ab eo populo mirabiliter facta, & neſcio quo pacto in commune hominum bonum æternitati conſecrata. Lingua ipſa in eo ſolo, ut fit, temere nata, nec antiquiſſima, nec copioſiſſima, neque fortaſſe elegantiſſima omnium, quæ ad nos pervenerunt, Romanis tamen fatis quodammodo prædita, adhuc toto orbe diffuſa eſt; omneſque gentes humanitate aliqua imbutæ latine diſcunt: quaſi demum inter ſe tacito conſenſu convenerint, ut ingens illud damnum hac una reparent, quod ex eorum ſuperbia tulerunt, qui Babelicam turrim auctore Nembrotho ædificantes, in varios ſermones diſtracti ſunt, eamque vivendi communionem diſſolvere coacti, quam ſublato colloquendi uſu, diutius ſervare non poterant. Quid igitur de Romanis legibus dicendum erit ſummo ejus reipublicæ conſilio conſtitutis, ſuffragio gentium omnium probatis, prudentum hominum interpretatione expeditis, magnorum Imperatorum auctoritate noviſque conſtitutionibus roboratis? Sed hactenus de illis plus ſatis. Nolo enim videri tantum Romanis tribuere, ut noſtris detraham, quibus non quidem ſtudia, ſed vitam moreſque regere oportet. Quod tamen non ſine auctore facerem; quia fere humana ingenia ad extrema delabuntur, & cum alii ne in ſcholis quidem Romanas leges ferre poſſint, alii contra & judiciis, & curiæ quotidie obtrudunt. Ego vero ad ſuas quemque mitto, modo ſint ea ſapientia conditæ, quam ſibi a Romanarum ſtudio legislator

com-

comparare potuit. Quid enim? An Ægyptii ſua ſibi jura ſtatuerunt, ſua Cretenſes, ſua Lacedæmonii, Athenienſes, vetuſtique Italiæ populi ſua, nos autem nobis diffiſi aliunde mutuabimur? Itane Gentes omnes, cum ſtaret Roma & æterna videretur, de ſuis inſtitutis ſollicitæ erant, ut αὐτονομίαν, non ſecus ac libertatem, partim bello tuerentur, quod Antiochus fecit, partim pretio
l. 16. redimerent, quod Strabo de Tyriis narrat, omnes autem, quæcumque poſſent, pulcherrimum hoc ſummæ nobilitatis ac felicitatis teſtimonium publicis monumentis ad poſteros propagarent; noſtri vero homines in rebus judicandis ſollicite quærent, quid Romanis Decuriis ante annos bis mille videretur? Ergo Athenis, non dicam ſapientiſſima civitate, ſed ſapientiæ ipſius domicilio, hoc tanti erat, ut νομοφύλακες, peculiaris magiſtratus, omnibus conſiliis intereſſent, naviterque caverent, ne patriis legibus injuria fieret; nos vero etiam indignabimur, niſi noſtris antiquatis, peregrinæ valebunt? At enim nondum ea tempeſtate Romana erat Juriſprudentia. Vero: atqui tempeſtate noſtra non mores ſunt Romanorum. Hoc enim facit unum, ut ne optima quidem in uſu eſſe perpetuo poſſint, quod longinquitas temporis abolet conſuetudines priſcas, & hominum ingenia commutat. Da ſcilicet noſtris hominibus, his moribus, hoc Principe, ſub hoc cælo viventibus, da Labeonis reſponſa ſummo jure, ac Dialecticis regulis adſtricta; da ſpinoſa illa ceterorum Proculianorum ex Zenonis & Chryſippi ducta principiis, qui omnia crimina æqualia judicant, nulloque diſcrimine punienda:
Deum

Deum profecto atque hominum fidem ipſa judiciorum ſubſellia, non modo homines implorabunt. Id demum juſtum eſt, quod temporibus convenit, non ſecus atque illud ſalubre dicitur, quod loco & tempore laboranti adhibetur. Ut igitur in arte medica, non cuilibet omnia, nec eadem ſemper ſalutaria ſunt, ita in regendo & judicando niſi juſtitiæ munia pro rerum ac temporum conditione ſtatuantur, juſta cum juſtis aliquando pugnabunt, legeſque illæ, per quas civitatis morbi curari debent, modo inſalubres, modo etiam exitioſæ videbuntur. Quid quæritis? Ipſa quoque Romanorum jura pro variis rerum converſionibus mutata ſunt, ſuiſque temporibus, & civium ingeniis accommodata. Neque enim aut jus Papyrianum, exactis Regibus, libero populo convenire potuit; aut duodecim Tabulæ civibus in immenſum auctis, variatiſque opum magnitudine moribus ſatis fuere; aut plebiſcita & ſenatuſconſulta, amiſſa rurſus libertate, non Principum conſtitutionibus indiguerunt. I nunc, & antiquas leges huic ſæculo recita. Delectabis cognitione pulcherrimæ rei; at paucos, mihi crede, movebis, ut patrias deſerant, & ad illos mores ſuorum diſſimillimos adducantur. Quid vero ſi illis, quas Romanas appellant, nonnihil immiſcuit avaritia compulſus Juſtinianus? quid ſi multas ipſe quoque vitiavit partim celeritate conficiendi negotii, partim neſcio qua malitia Tribonianus? Videlicet ita ferunt: quod ego nec ſuſtinere auſim, neque refellere. Etenim utcumque ſit, noſtras ego malo, quam illas; ſed illas, quam ceteras. Quod cum dico, non ego illis noſtras

op-

oppono, quia meliores, ſed quia tempori & moribus appoſitæ noſtris. Si enim barbari cum Italiam occupaſſent, multiſque ſæculis beatiſſimam hanc orbis partem incoluiſſent, numquam tamen ejus humanitatem & ſaluberrimam vivendi diſciplinam ita ſenſerunt, ut ſuarum legum turpium ac ferinarum amore depoſito, Romanas adſciſcerent; cur nos nihilo minus ad elegantiam, quam Romani, ad æquitatem vero etiam magis exculti, antiqua illorum jura, noſtris abiectis, revocabimus? Ego vero ne hoc quidem moleſte fero, Gothos & Langobardos paullo belluarum diſſimiliores, cum mores exuere in hac humanitatis patria nequiviſſent, pares moribus tenuiſſe leges; nedum velim, litteris ac religione cultiſſimas gentes ſuis ſe repente abdicare inſtitutis, & ad aliena tranſire. Quid quod ipſius patriæ amor, & quædam veluti patriarum inſtitutionum reverentia jubet unumquemque cuſtodire ſua, & adverſus novatores propugnare? Ut enim commovemur, ut exardeſcimus, ut cælum terramque miſcemus, quoties aliquis oblitus ſui peregrinos mores uſurpat; eaque arrogantia, quam quidam ſolent ex longis itineribus domum referre, patria quæque faſtidit, menſas, veſtes, ſtudia, ſermonem, nihilque niſi Gallicum, aut Anglicum admiratur! Quod ſi privatos homines ſibi unis per hæc inſanientes ferre non poſſumus, quomodo illos feremus, qui judicia adminiſtrant, unde pendet civitatis ſalus, ſi patrio receptoque jure contenti non ſint? Quo loco Venetorum Patrum conſilium, & præter omnia antiquitatis exempla inſignem prudentiam ſilentio præterire non poſſum; qui cum

mul-

multa æternæ reipublicæ fundamenta jecerint, tum illud in primis religioſe caverunt, nequid umquam in judicando novaretur. Hanc illis conſtantiæ laudem ſuarum legum confidentia parit, quæ certe non tanta eſſet, niſi optime noſſent, majores ſuos officia vitæ omnia quam rectiſſime præſcripſiſſe, omneſque poſterorum conatus, jubendo optima, prævertiſſe. Quemadmodum enim omnium rerumpublicarum formis inter ſe comparatis, hanc denique unam conſtituerunt, quæ plurimas felicitate, diuturnitate omnes ſuperavit; ita Græcis Romaniſque legibus ſimul compoſitis, multaque opera expenſis & æſtimatis, hoc demum condidere jus, quod Venetum dicitur, ex omni vetuſto jure ſapientiſſime expreſſum, & æquitatis nomine, ubicumque gentium cognoſcitur æquitas, celebratum. Nullam eſſe regionem puto, ubi mores & ingenia hominum ab antiquis legislatoribus egregie explorata mitioribus vinculis in officio contineantur, quæ maxima eſt, ac ferme una Principis gloria non metu, ſed amore imperantis: at hoc ſingulare bonum, ſiquando aliena ſubrepere jura patiemur, ſtatim corrumpetur, & ut legum arbitria, ita rerum ceterarum (quod Superi avertant) ad alios migrabunt. Quamquam, quod fieri nolo, ne fieri quidem fortaſſe poteſt. Fuit hoc quondam Romanæ reipublicæ fatum, ut una propemodum eſſet omnium hominum civitas, nomenque unum, tantumque Romana jura, quantum arma procederent; quod victæ nationes ne victæ quidem ſibi viderentur, ſi Romano jure uti poſſent, civeſque ejus urbis, quæ una credebatur ad imperium & immortali-

tatem conſtituta, nominari. Nunc quæ tantula civitas eſt, quæ non ſe ad imperandum natam exiſtimet, cujus non magni ad gloriam tituli, legeſque multæ aureis litteris deſcriptæ, & ſiquid adverſi fortuna ferat, ipſo civium ſanguine cuſtodiendæ? Qui paucorum jugerum regulus non ſe ſummis Principibus comparat, juris auctor ſui, cuſtoſque tanto ſolertior, quanto plura infirmi timere ſolent? Non eſt igitur opus voce noſtra, qua in re ſibi quiſque ſapit. Id nobis curandum, ut, quod primo loco dixi, Romana jura in ſcholis teneamus, quibus homines inſtructi ſua mehercule utilius tractabunt; eamque felicitatem civitatibus parient, quæ rectam judiciorum adminiſtrationem plerumque conſequitur. Hæc nos præſertim exerceant, quibus ſi non conceditur in foro eſſe, operamque litibus dare, illud tamen propoſitum eſt, ut ex antiquis legum fontibus magnam propriorum verborum ſupellectilem, ſolemnes formulas, omnemque eruditionis copiam reconditæ & exquiſitæ ad aliarum diſciplinarum uſum colligamus. Utamur Principis Sereniſſimi beneficio, qui celeberrimos toto orbe Juriſconſultos magnis præmiis advocatos hac in urbe docere juſſit: utamur ſæculi ſapientia, in quo cum litteræ facultateſque omnes priſtinam dignitatem recuperarunt, tum maxime juris ſcientia, excuſſa barbarie, quæ per tabulas & leguleios obrepſerat, rurſus ad Alciatos, ad Goveanos, ad Cujacios, ad Hotomanos, tamquam in ſinum complexumque parentum, regreſſa eſt: utamur denique fortuna ipſa, quæ bonis artibus tandem aliquando conciliata, undique Auguſtos, undique

Mæ-

Mæcenates excitat, & litterarum & litteratorum ſtudioſiſſimos. Quod poſtremum video a multis negari; ſed mihi quidem ad hujus orationis exitum properanti, in te unum, Princeps Eminentiſſime, veluti multorum exemplum conjicere oculos ſatis eſt, cui ad inſignem & abſolutam erga litteras munificentiam, vel nihil omnino deeſt, vel illud unum, ut tantum illis prodeſſe poſſis, quantum cupis.

E P I S T O L A

Præpoſita editioni primæ hujus Orationis.

SI quam libenter ſit aliquid, tam etiam recte fieret, nihil a nobis exiſſet hac oratione tolerabilius: ſed hoc in genere tum maxime ineptire homines ſolent, cum minime volunt. Nimius enim effuſæ voluntatis impetus ingenium fere ultra modum movere ſolet, tantumque agitare, ut neque parere prudenter poſſit, neque explicate diſponere, neque apte luculenterque ornare. Id ego mature prævidi, fecique diligenter, ut ratione, non impetu ducerer: verumtamen ardua res eſt, neque illa diffiteor, quæ me hominem communibus vitiis obnoxium abripere potuerunt, & in devia propellere. Ergone inviti melius dicunt? Imo longe pejus. Cum enim ſtudia humanitatis omnia in primis voluntate nutriantur, nihil neque poeticum, neque oratorium, quod ægro animo fiat, poteſt eſſe probabile. Quid quæris? Libenter in hoc argumento verſatus ſum, quod ipſum

per ſe grave, cum ea inſuper eruditione conjungatur, quæ latina ſtudia tractantibus familiariſſima eſt. Plura ego de me polliceri non auſim. Quantum voluntas & conatus in homine valeant infirmiſſimo, alii viderint. Vale.

ORA-

ORATIO VIII.

AD HISTORIAM.

Qualecumque Hiſtoriæ ſtudium ad omnes pertinet, Criticum ad paucos.

MAgnopere vereor, ne nimio plus ab adoleſcentibus noſtris hodierna luce poſtulare videar, humanaſque vires non ſatis prudenter æſtimare, ſi graviſſimis diſciplinis, de quibus ſuperioribus annis verba feci, Hiſtoricum ſtudium ſuapte natura immenſum nunc denique adjiciam: quaſi vero rebus neceſſariis onuſtos, ac pæne impares, ſupervacuis opprimere velim; ſpiritumque illis, ut ita dicam, atque animam intercludere. Verum & me illi ſatis norunt neque multa, neque ſeverius exigere ſolere; & ego illos quotidie video, quidquid ſocordia peccant, modo magiſtro, modo naturæ imputare; & utcumque tandem res ſe habeat, quidvis potius committendum eſt, quam ut majores noſtros, quorum conſilia plane divina vel in rebus minutiſſimis recognoſcimus, in tam gravi litterarum negotio minus vidiſſe judicemus; quamque ipſi ſtatuerunt Hiſtoricam ſcholam, nobiſque in primis commendarunt, nos inani ſuſpicione perterriti, aut levitate ducti prætermittamus. Equidem non diffiteor, nimis infinita eſſe, quæ hoc nomine comprehenduntur; quo cum antiqua monumenta veniunt obſoletis verbis fabuliſque involuta; tum Geogra-

phicæ Chronicæque tabulæ æternis difficultatibus impeditæ; tum innumera rerum geſtarum volumina non ſine partium ſtudio ſcripta; tum denique magna quædam controverſiarum copia ad hæc ipſa, ſi fieri poſſit, expedienda, ſi non poſſit, magis magiſque implicanda. Sed quemadmodum patrisfamilias prudentis eſt menſas apparatiſſimas ſtruere, non eumdem tamen pueris cibum ac viris præbere; ita officii noſtri ratio poſtulat, ut cum omne ſtudiorum genus, quæ libero homine digna ſunt, in medio poſuerimus, tum demum quid cuique, quove tempore conveniat, etiam atque etiam conſideremus; & pro ingeniorum ætatumque varietate onera laboreſque diſtribuamus. Ac ſiqua ars, aut diſciplina duce ſolertiſſimo indiget, ne quid in illa ætatis imprudentia committatur, Hiſtoricum certe ſtudium tam lubricum eſt, ut quædam non ignobiles Academiæ, cum de tanta ſolertia deſperarent, quanta opus eſſe intelligebant, hoc tam inſigni bono carere maluerint, quam levem juventutem periculo exponere. In quo, nequid dicam gravius, duobus Lycurgis ſimilia fecerunt, ſapientibus quidem viris, ſed in hoc præter modum ſeveris, quod alter, ut divitiarum aviditatem compeſceret, omnem auri argentique uſum Lacedæmoniis interdixit; alter, ut ebrietatem averteret, vites omnes in ſuo Thraciæ regno præcidi juſſit. Nos exempla meliora ſecuti, moremque loci hujus, in quo alti educatique ſumus, retinentes, ita ſtatuimus, qualecumque Hiſtoriæ ſtudium ad omnes pertinere, Criticum ad paucos. Hoc vero cujuſmodi ſit, quantum quidem animo ex veſtra ſapientia conjicio,

cio,

ćio, plerique omnes intelligitis: ſed ne quis tamen unus conſilium hoc noſtrum inſimulet, oratione explicabo; ſimulque faciam, ut rerum præteritarum cognitio quanti ſit in unoquoque genere, conſtet; ſimul illud oſtendam, quam multis naturæ induſtriæque præſidiis paratum eſſe atque inſtructum neceſſe ſit, qui velit antiquitatem curioſius expendere, & ſevera Criticorum trutina ſine periculo caſtigare.

Cum diſcendi deſiderium ab ipſa nobis natura inditum Philoſophi fuiſſe dicunt, tametſi univerſe loquuntur, nihilque prorſus excludunt, quod in hominis cognitionem cadere poſſit; ubi tamen eo deſcendunt, ut rem pluribus verbis exponant & confirment, facile apparet, in quo uno ſcientiæ genere omnes homines deſiderando conveniunt, id aut Hiſtoricum eſſe, aut ad Hiſtoriam quoquo modo referri. Qua enim ætate plurimum natura valet, necdum iis affectibus tangitur, qui nos ad ingrata etiam ſuſcipienda compellunt, vix quippiam eſt tam inviſum, quam ſchola & magiſter: at illa tamen ætatula ipſa narratiunculis delectamur, earumque ſtudio ducimur; quæ licet plerumque falſæ ſint, magiſque poeticæ, quam hiſtoricæ, certe declarant, quantum natura noſtra rerum præteritarum cognitione afficiatur, cujus rei gratia fingendum etiam nutriculæ putant. Ubi porro adolevimus, rationemque adhibere jam licet, hoc ipſum naturæ judicium vel ex eo manifeſtum eſt, quod in aliis quidem diſciplinis omnes induſtriæ nervos contendimus, nequid nobis niſi certum ac firmum, quantum rerum conditio patitur, inſeratur; at in hac temporum præteri-

teritorum inveſtigatione, etiam vero ſimilia libenter audimus; ſcienteſque ac volentes ad poetas convolamus, qui inſitam humano ingenio cupiditatem fallendo expleant, ſuaque illa mendacia, quantumvis immania, nobis obtrudant. Curioſitas hæc non unius, aut alterius hominis, ſed plane omnium, quicumque, non dicam litteras norunt, ſed litterarum nomen audierunt, quia ſcilicet naturalis eſt, nullo nos vitæ tempore, nullo loco deſerit; & cum aliæ omnes tardius exortæ, ætatis flexu dilabantur, hæc una nobiſcum nata, ad extremam uſque ſenectutem perdurat. Igitur cum dico, Hiſtoriæ ſtudium qualecumque ad omnes pertinere, naturam ipſam ducem ſequor, cujus ſi ratio perpetuo haberetur, haud ita multos ſuſcepti conſilii pœniteret. Nullam gentem eſſe puto tam incultam, tam vecordem, tam omnis humanitatis expertem, quæ ſuæ reipublicæ acta non litteris mandet, legique cupiat: carere barbari eloquentia poſſunt, carere philoſophia, carere diſciplinis omnibus, Hiſtoria carere non poſſunt. Hinc Spartani ad omnia rudes, præterquam ad arma, Dicæarchi tamen librum de majorum ſuorum geſtis, totoque civitatis regimine quotannis in loco publico recitari volebant: Romani vero antequam feritatem exuerent, rerum ſuarum annalibus dedere operam; quos quidem non quivis unus ex populo, ſed Pontifices ipſi ſcribere jubebantur; ut iidem & Sacrorum & Hiſtoriæ curam haberent, reſque duas potiſſimum neceſſarias magiſtratus unus, idemque graviſſimus procuraret. Quid Hebræi, tam antiqua natio, quam natura ipſa, in omnibus ferme rebus numine afflata,

ſtata, ut gentibus conſecuturis auſpicia præberet legeſque vivendi, quid inquam Hebræi? numquid aliunde ſuas litteras, quam ab Hiſtoria auſpicati ſunt? Nullus eſt codex Moſaicis commentariis antiquior, ut ex hac tamquam naturæ voce diſcere poſſimus, quo homines ſuopte ingenio ferantur. Quod ſi parum eſt in natura momenti, anne parum etiam in Dei optimi maximi providentia, qui ſacrum Hiſtoricum movit, ut religionis myſteria, morumque inſtituta hac via & ratione doceret? Nolo enim hic plura quærere: liber omnium diviniſſimus, quo uno ad ſalutem indigemus, quem ſine intermiſſione verſare, legere, memoriæ mandare debemus, hic, inquam, liber tam neceſſarius hiſtorice ſcriptus eſt; num igitur ſapere ſine Hiſtoria ullo modo poſſumus? Sed nimis longe res ducitur: cominus agamus. Jam enim ſcire velim, quodnam litterarum, aut doctrinæ genus ſine Hiſtoriæ adminiculo conſiſtere poſſit. Non ſane poeſis, quæ facta imitari fingendo ſolet; non noſtra hæc dicendi facultas, quæ rerum vetuſtarum exemplis tum ad ornandum, tum vero etiam ad probandum frequentiſſime utitur; non Juriſprudentia, quæ ſine Romani imperii totiuſque antiquitatis notitia intelligi omnino nequit; non denique Civilis ſcientia, quæ multiplici rerumpublicarum hiſtoria conſtat, & ex ea maxime conflata eſt. De Philoſophia vero quid dicam? Mitto quærere, utrum animalium & plantarum hiſtoria huc re vera pertineat: ſed cum pulcherrrima ſit Philoſophiæ pars de officio differens, ſive a Pythagora, ſive a Socrate inventa, num hæc præceptis tan-

tum-

tummodo continetur? Nempe aut ipſa morum doctrina nihil eſt aliud, niſi Hiſtoria; aut ita cum Hiſtoria conjuncta, ut ſi caret exemplis, ſcholaſtica ſit, jejuna, ſupervacanea. Tibi intus cane rigida illa & adducta virtutum genera, quorum uſu & poſſeſſione felicitatem definis: nihil nobis hujuſmodi perſuadere poteris, niſi rerum eventu & hominum factis oſtendas, quid pati poſſit humana conditio, minime nota illis, qui pallio incluſi intra parietes philoſophantur. Quid fieri debeat, oſcitantes audimus; at cum id factum eſſe intelligimus, nec ſine fructu, & a præſtantibus viris factum, tum vero ſtudio movemur conandi ſimilia, tum æmulatione exardeſcimus. Magna eſt hæc Hiſtorici ſtudii ad philoſophica tractanda neceſſitas, & haud ſcio an maxima; non tamen major illa, quæ Theologicas diſputationes comitatur. Utrum enim ullus poteſt eſſe, aut dici Theologus, tanto par nomini, qui omni prorſus Hiſtoriæ cognitione careat? Iners profecto eſt, qui profanam ignorat, ſiquidem Canum, optimum ac ſolertiſſimum harum rerum diſceptatorem, conſulimus: at ſiquis ne ſacram quidem tenet, quem ego illum Theologum dicam? Niſi forte parum pertinent ad Theologiam Moſaicæ narrationes, acta Pontificum & Conciliorum, priſcorum Patrum memoriæ, Apoſtolorum & Martyrum vitæ, totius denique veteris diſciplinæ cognitio, unde multo firmius & clarius Chriſtianorum ſacra, quam ex *poſſibilium*, & *impoſſibilium* contemplatione, multarum ſcholarum otio familiariſſima, demonſtrantur. Quod nolim perinde accipiatur, quaſi ego Scholaſticam Theo-

de loc. Theol. l. XI.

lo-

logiam ſummovere cupiam; & eruditionem quamdam ejus loco ponere ſine illo doctrinæ ordine, quam μέθοδον Græci dicunt, ſine acumine, ſine diſputationibus, uno verbo, quæ ingenio parcat, memoriam exerceat. Multa in Theologo eſſe oportet; nec ſatis muneri facit, qui Dialecticis commentationibus tantarum rerum ſcientiam circumſcribit; nec item ſatis, qui omnia religionis dogmata ex Eccleſiæ faſtis & annalibus egregie recitat, niſi eadem poſſit luculentis acutiſque rationibus illuſtrare, & contra oppugnatorum perfidiam communire. Ardeo, mihi credite, in parte tam ampla dicendi deſiderio; ſed multa neceſſario omittenda ſunt, ut de Critico Hiſtoriæ ſtudio, quemadmodum initio propoſui, quæ ſentio, vobis exponam. Vereor enim, ne ſibi quidam emendandi gloriola abrepti nimis indulgeant, ſuiſque illis judicandi regulis temere uſi, non modo leviora antiquitatis monumenta concutiant, ſed in arces quoque ipſas invadant, tantumque ſibi licere putent, quantum Criticæ concedendum prædicant; quæ ipſa per ſe optima eſt, magnoque in litteris uſui, ſed invidia laborat, quod ad ingenia furioſa aliquando perveniat. Neque vero iccirco actionem inſtituo, ut ea judicio perſequar, quæ legitimæ cenſuræ modum & poteſtatem prætergrediuntur. Nimis hoc longum eſſet, majoriſque ingenii opus. Sed illud mihi tamen non difficile erit oſtendere, pauciſſimis hominibus ætate & ſapientia valentibus arma hæc concedenda eſſe; quibus non recte adhibitis, ſolitudo & vaſtitas nobiliſſimis hiſtoriis, multarum ætatum fide confirmatis, afferri poteſt. Etenim ſi Criti-

cum

cum hujus facultatis ſtudium in eo conſiſtit, ut nihil omnino credatur, quod non certiſſimis monumentis traditum ad nos devenerit, quotus quiſque curam hanc tantam ſuſcipere poteſt, ut obſcuriſſimam antiquitatem excutiat, probet, caſtiget, excipiat, condemnet? Quot genera rerum, linguarum, ſtudiorum teneat oportet; quam multa legerit, viderit, audierit, perceperit ex omni vetuſta recentique doctrina, qui tantum in litteras ſibi permittat, judiciumque tam periculoſum, volentibus reliquis, aut ſaltem non ægre ferentibus, exerceat? Jam vero illud quantum eſt, vulgares opiniones deponere, ab omni odio atque amore ſibi cavere, nimios animi motus modo in vetera, modo in nova pronioris coercere, veritatem unam tamquam ducem ac pæne Deam ſibi proponere; contra ſuos, contra patriam, contra ſeipſum, ſi ita neceſſe ſit, aliquando ſentire, & quæ ſentias, libere pronunciare? Nemo ſane eſt, qui ita non profiteatur communi illo Criticis omnibus, ac fere jam ridiculo ſcribendi proœmio, in quo vitia humanæ naturæ omnia, veritatem uni tenentes, ſtatim ejurant, multis ingenio abutentibus maledicunt, de ſua fide & integritate magnifice pollicentur. At Carneades tanta ſapientia vir, quanta nemo ignorare poteſt, niſi qui totam antiquitatem ignorat, ita ſibi hac in re diffidebat, ut cum adverſus Zenonem ſcribere conſtituiſſet, ad bilis impetus temperandos helleborum ſumſerit. Nunc tantam illam diligentiam plurimi rident, quibus purgandis ne tota quidem ſufficiat Anticyra; vixque in provinciam tam difficilem ingreſſi, continuo ſtilum exacuunt, ma-

gna-

gnaque Scriptorum nomina ad cædem deſignant. Et hoc quidem juvenum ſolet eſſe vitium, aut eorum maxime, quod ſibi videantur aliena obtrectatione creſcere, matureque ad famam ſine multo labore pervenire. Herodotus, inquiunt, Xenophon, ceterique Græci poetarum ſimiles ſunt; Thucydides vero minus ad mentiendum aptus, obſcuritate ſermonis veritatem obnubit: ex Latinis Livius ſuperſtitiones conſectatur, nec patriam verborum poſitionem dediſcere poteſt; Salluſtius vetuſtatem affectat; Cæſar glorioſus, Curtius mendax, Florus declamator eſt: ex Eccleſiaſticis Sulpicius miracula venditat; Theodoretus fuco & metaphoris ſtudet; Rufinus futilis eſt; Euſebius, Socrates, Sozomenus favent Hæreticis; omnes autem negligenter ac ſupine tempora ſignant. Utrum quilibet unus ita loqui poteſt? Non nego poſſe aliquos, ſed eos ſcilicet, qui maximam vitæ partem in optimis ſtudiis collocarunt; qui multas ſibi litteras ac reconditas, præter latinas, addiderunt; qui ſumma denique opinione ingenii conſecuti ſunt, ut extra invidiam poſiti judicentur. Nempe hæc ſibi multi tribuunt, ſed pauci præſtare poſſunt. Ex hoc enim tam ingenti hominum numero, qui in hoc pulvere deſudamus, quique nobis ipſi, ut fateamur ingenue, tacito quodam ſenſu blandimur, aliis fere valetudo deeſt, aliis voluntas, aliis ingenium, aliis ſubſidia librorum, aliis in veſtigando contentio, aliis patientia, aliis denique alia, quæ ſingula ubi deficiunt, multi adhuc ad planiora litterarum genera aditus patent, ad Criticum Hiſtoriæ ſtudium pæne nullus. Fac enim, ſe tam immen-

menſo ac ſcopuloſo pelago adoleſcentem committere: jam primus ejus labor Sacra Biblia, quo in codice ſine controverſia fideliſſimo quam ſæpe tamen ſecum ipſe luctabitur, ſi omnia ad Criticæ leges exigere volet! Agedum incipe computare tempora, unde ſtudium hoc exordia ducit: ecce tibi ſtatim nubem offundunt Septuaginta Interpretes, qui annos centum generationibus ſingulis adjicientes, Hebræam, vulgatamque χρονογραφίαν in magnum diſcrimen conjiciunt. Conſtitue mihi Beli tempus, de quo non uno, aut altero ſæculo, ſed annis ferme mille principes hoc in genere Scriptores inter ſe differunt. Quandonam Aſſyriorum, quando Perſarum imperia cœpere; quos in annos confers egregium Judithæ facinus; unde Babilonicæ captivitatis tempora numerare incipis, unde Danielis hebdomadas, unde ipſum Chriſti Domini adventum tam celebrem, tam notum, tam illuſtrem, de cujus tamen anno, ſi orbis conditi rationem habeas, opiniones plus nonaginta, partim aliquo modo varias, partim omnino contrarias invenies? Te vero miſerum, ſi ſacra cum profanis componere velis, nomina nominibus, facta factis conciliare. Te Belus vexabit, te Nembrothus, te Cyrus, te Aſſuerus, te Artaxerxes, te multi Darii, te non modo temporum, ſed regionum terrarumque deſcriptio; quæ omnia ſiquis diſtinguere recte poteſt, & ſuo quæque loco ſtatuere, hunc ego hominem non cum cetera Criticorum turba comparo, ſed in primo ſubſellio colloco, & Muſis ipſis proximum judico. Quod ſi tanta eſt in hiſtorico illo difficultas, qui nec falli potuit, neque fallere voluit,

luit, quo animo ad eos accedes, qui homines ſunt, humaniſque erroribus obnoxii? Qua mentis acie, quo conatu opus erit, qua prudentia, quo ingenio, ut cum te ad horum lectionem contuleris, quanti quiſque valeat, ſtatim attendas; ſitne natura ſua ad laudandum inclinatior, an ad carpendum; quam ſit ambitioſus, quam credulus, quam ſuperſtitioſus; utrum dubia, utrum contraria narret; unde ſumat, quomodo ſciat, a quibus acceperit, quorum partes ſequatur, quibus adverſus ſit? Neque vero cum tantam animi intentionem, tantamque diligentiam adhibueris, ſalva res erit. Solent enim Scriptores, ubi imponere volunt, ſtilum naturamque commutare; & interdum quidem veraciſſimi falſa dicunt, quemadmodum fallaciſſimi interdum vera. Quo fit, ut cum facta, & auctoritates inter ſe pugnant, nemo niſi ſapientiſſimus momenta illa colligere poſſit, quibus in partem omnem penſitatis, judicium conjiciendo feratur. At enim regulæ Criticæ ſunt ab hominibus perſpicaciſſimis compoſitæ, quarum ope ne adoleſcenti quidem difficile fuerit iſtiuſmodi freta, & ſi quid iſtis infeſtius eſt, ſuperare. Fateor equidem eo me compulſum, velut in acie declinando atque effugiendo, quo minime volebam; non quod vulgari Sophiſtarum artificio uſus, libenter graviora diſſimulem, ſed quod regulæ iſtæ a præſtantiſſimis ingeniis excogitatæ magnam quamdam animo venerationem metumque objiciunt, nec liberam vocem erumpere ſinunt. Verumtamen audendum in loco eſt; tametſi idipſum parciſſime faciam, ne forte videar caput artis eatenus petere, ut totam

tam

tam convellam. Prætereo igitur, quod vulgo fit; regularum auctores ſeſe invicem labefactare; non dico, ex iiſdem contraria concludi, quod Abgari litteræ, ne multa recenſeam, per eadem oppugnatæ propugnatæque demonſtrant; taceo, ſi quid in illis eſt nimis ſubtile, nimis varium, nimis multiplex, non tam ad veritatem enodandam, quam ad involvendam accommodatum; omitto præterea multa magni quidem momenti, ſed quæ nec invidia carent, nec tantula oratione comprehendi poſſunt. Verum date mihi hanc, quæſo, veniam, ut de illa nonnihil dicam, quam Critici omnes ceterarum principem judicant, certiſſimam, inconcuſſam, ante oculos diu noctuque habendam. Age igitur recita. SIQUID IN ANTIQUIS MONUMENTIS OBSCURUM, PERPLEXUMQUE ERIT, CRITICI INTERPRETES SUNTO. Euge, nihil moror. SI NARRATIO NARRATIONI OPPONITUR, HOC PRIMUM JUS ESTO: QUA QUIS ÆTATE, QUOVE LOCO VIXIT, EJUS ÆTATIS LOCIQUE HISTORIAM SCRIBENTI FIDEM HABETO; TUM QUI PROXIME VIXIT, CONSULITO; AB ALIIS CAVETO. Hoc tamquam filo per avia ducti memorias antiquiſſimas Critici quidam condemnarunt, & narratiunculas neſcio quas multorum ſæculorum contemtu ſituque obſitas in earum locum ſuffecerunt, parati negare verenda quælibet, ſi quis Scriptor ab inferis repente erumpat eorum æqualis, de quibus eſt controverſia. Numquid igitur priſcis temporibus nullæ erant animi perturbationes, affectus nulli, non amor, non odium, non injuria,

non

non beneficium, quibus Scriptores labefacti rerum fidem violarent, ſeramque poſteritatem aut malitia, aut infirmitate deciperent? Nunc certe Deum quendam eſſe oportet, qui potentum virorum facinora, ſeu pulchra, ſeu turpia, viventibus ipſis, fideliter ſcribat. Amicorum quoque ducenda ratio eſt, multo vero magis filiorum, interdum etiam nepotum; ut numquam fere ſimplex ac nuda veritas, niſi tardiſſime effloreſcat. Multa profecto in hanc rem dici poſſent, nobis ipſis non audita modo, ſed viſa, niſi eſſet hoc ipſum periculoſum; ut jam conjicere poſſitis, quam vera de aliis hiſtorici dicant, cum de hiſtoricis ipſis vera dicere intutum ſit. Quapropter ad illos redeamus, *quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina*. Numquam enim ego eorum opinionem probavi, qui nova & inuſitata vitia ſæculo affingunt. Veteribus morbis laboramus, repente in ſingulos homines teterrima lue, qua ſe primus ille parenſque ceterorum ad totius generis humani exitium contaminavit. Non eſt, opinor, Tacitus inter recentes adnumerandus; nec ſane inter illos, qui minus acute aliorum peccata vident. Is tamen tanti ingenii, tantæque calliditatis vir nihil valentius invenit, quo ſuam in narrando fidem commendaret, aliorum infringeret, quam ſi oſtenderet, ceteros ante ſe Scriptores eorum facta retuliſſe, quibuſcum vivebant. *Veritas*, inquit, *pluribus modis infracta: primum inſcitia reip. ut alienæ, mox libidine aſſentandi, aut rurſus odio adverſus dominantes. Ita neutris cura poſteritatis inter infenſos, vel obnoxios. Sed ambitionem Scriptoris facile adverſeris, obtrectatio & li-*

Juven. ſat. 1.

hiſt. l. 1. c. 1.

vor pronis auribus accipiuntur : quippe adulationi fœdum crimen ſervitutis , malignitati falſa ſpecies libertatis ineſt . Mihi Galba , Otho , Vitellius nec beneficio , nec injuria cogniti . Videte igitur , quanti ſit ad veritatem canon iſte , quem nobis Critici primo loco conſtituunt , niſi ſumma ſapientia , quæ paucorum eſt , adhibeatur . At quo canone , quove duce per ea tempora ibis , quæ omni litterarum luce carent ? Quis te , niſi ſit multarum rerum cognitione firmata mens , quis te , inquam , in iis tenebris reget , in quibus Pontifices Pontificibus oppoſiti , ſacerdotia pecuniis emta , magna rerum divinarum ignoratio , & ex ignoratione error , ſcelerum & armorum impunitas , exiguum ſacri & profani diſcrimen , quædam veluti nox Eccleſiæ offuſa , in qua vix oculatiſſimi ſine periculo verſari poſſunt ? Ætatis æſtus , & levitas , & humani ingenii curæ in pejora vergentes , tranſverſum agent : nihil jam ſanum tibi videbitur , nihil certum ; quodque ipſe percipere non poteris , neminem probe percepiſſe judicabis . Accedet illa etiam , quæ multis exitio fuit , antiquarum rerum ſatietas , & mutandi libido , qua fieri ſolet , non ut vera , ſed nova delectent ; omnino ut in cibis aliquando uſuvenit , quorum exquiſitiſſimi conſuetudine vulgati faſtidium afferunt , deteriores novitate probantur . Quod ſiquis primos verecundiæ fines tranſierit , & antiquitatem contemnere cœperit , ubique Annios , ubique Inghiramos , ubique Ceccarellos , ubique Ligorios inveniet ; modo hunc , modo illum auctorem criminabitur ; nunc de ſtili varietate dolebit , quæ tamen poteſt eſſe quæſita ; nunc de temporis fal-

lacia

lacia queretur, quæ tamen ad librarium referri poteſt; nunc illum Scriptoris nomen, aut libri titulus commovebit, quæ multis tamen caſibus fere variantur. Quid multa? Vel in ſcirpo nodos quæret; neque putabit ex Critica dignitate eſſe, ſi quippiam apud ſe valeat, quod vulgatum ſit, multiſque commune: ex quo etiam falſa conſulto defendet, ubi vera ab aliis occupata videbuntur. Siquidem hoc ipſius artis proprium ac præcipuum eſt, ut homines faciat præſtandi cupidos, aliorum contemtores, rerum mirabilium nimis ſtudioſos; quæ vitia tanto magis tantoque facilius penetrant, quanto molliori accedunt ætati. Ac nimis undique magna, & fortaſſe etiam aliquibus moleſta dicendi ſeges mihi ſuccreſcit: temperandum orationi eſt, temporique ſerviendum. Quod reliquum eſt, ingenuam hanc ſtudioſamque juventutem, quæ ſe nobis in diſciplinam tradidit, oro atque obſecro, ut in ſuſcepto præteriti temporis ſtudio pergat. Neque enim eſt, cur antiquas ſtatuas, arcus, thermas, theatra, ſepulchra tam curioſe inſpiciamus; eorum vero animos immortales ac ſplendidos, qui hæc poſuerunt, quibuſque poſita ſunt, in hiſtoriis deſcriptos cognoſcere nolimus. Egregium quiddam eſt ac dignitatis plenum majorum noſtrorum memoriam revocare; religionis initia, incrementa, propagationem intueri; gentium ac populorum migrationes, bella, fœdera, regimina, fata ad prudentiæ uſum perluſtrare. Horum notitiam qui nullam habent, cenſentur inter pueros; qui ne habere quidem volunt, inter amentes. At ſimul illud ex animi ſententia moneo, ne plus capere

velit, quam poſſit; hoc eſt ne nimis ſapere, neve maturius, quam oporteat. Nemini umquam crimini datum eſt, quod tardius ſe ad reprehendendum contuliſſet; multis quod citius: & nimirum gravius eſt judicandi opus, quam ut properari debeat. Ad hoc, qui narrat, aut laudat, impune alicubi peccare poteſt; qui cenſorem agit, ne in minimis quidem rebus ſine ſummo dedecore delinquit. Neque vero Criticorum inopia laboramus, ut undique omnes aſſumendi ſint: quin etiam affirmare licet, ut ſuum cuique ſæculo ingenium eſt, quaſique ſidus, ita noſtrum hoc ubertate atque indole quadam ſua Criticos ferre. Verumtamen decus hoc tam pulchrum & exquiſitum in quodam veluti præſtantiæ acumine conſiſtit, unde minima quavis inclinatione in vitium & noxam detorquetur; ex quo fit, ut tamquam e longinquo adoleſcentibus aſpiciendum putem, nec ante attingendum, quam diuturna mentis exercitatione vires confirmaverint. Hanc mihi cogitationem Criticæ arti honorificentiſſimam cum illa injecerunt, quæ hactenus dixi; tum etiam noſtrum hoc vivendi inſtitutum non nimiæ contentionis capax; tum denique tua, Princeps Eminentiſſime, toties teſtata voluntas prudenſque judicium, nequid nobis in rerum memoriam, præſertim ſacrarum, tam cito licere exiſtimemus.

EPISTOLA

Præpoſita editioni primæ hujus Orationis.

Recte judicandi ſtudium, quod mutuato a Græcis nomine, Criticum dicitur, etſi per omnia litterarum ac diſciplinarum genera late fuſum, ubique locum habet, attamen Hiſtoricam provinciam jure quodam præcipuo tenet, eamque in primis moderatur. Nam præterquamquod ipſa per ſe narrandi ratio, quod ex multorum fide pendeat, lubrica eſt, magiſque periculoſa, quam cogitandi; accedit inſuper Hiſtorico vel oculatiſſimo admirationis cura nimia, qua fit, ut ſponte aliquando aberret, nec tam ſollicite vera perſequatur, quam mirabilia. Et ipſa igitur Hiſtoriæ natura, & Hiſtoricorum indoles artis Criticæ auxilium flagitat, eoque nititur uno, ut nobiliſſima facultas ad otioſos detruſa, in ſcholarum lucem interdum exeat, & cum ceteris conſiſtere poſſit. Id magis certum eſt atque exploratum, quam facile, præſertim vero illis, qui ob ætatis infirmitatem fidei noſtræ ac tutelæ commiſſi ſunt. Itaque his publica oratione commendaturus Hiſtoriam, & quod Hiſtoriam ſequitur, Criticum ſtudium, non ſtimulos tantum, ſed frenos quoque adhibendos putavi, ob eas cauſſas, quæ, ut alibi minus valeant, in hoc certe loco magnum momentum ac pondus habere debent. Siquis hæc aut ſibi, aut ſuis non ſatis exiſtimat opportuna, ne me tamen iccirco ita fatuum credat, ut idem omnibus propinare velim. Vale.

ORATIO IX.

AD ETHICA.

Moralis inſtitutio magis a Poetis, quam a Philoſophis petenda eſt.

NOn deerunt, qui mirentur, cur ego meo quodam conſilio, fortaſſe non malo, ſed certe inuſitato, ex aliis in alia quotannis aberrans, nova dicendi argumenta quæram, ſingulisque facultatibus in hanc lucem adductis, perinde diſputem, quaſi univerſum ſcientiæ orbem tantulo ingenio complecti velim, meque, ut vani Sophiſtæ ſolent, conflato ad invidiam nomine multiſcium venditare. Attamen qui me, moreſque meos parumper attendet, facile intelliget, neminem eſſe, qui iſtiuſmodi ἐγκυκλοπαιδείαν aut minus ſibi tribuat, aut aliis ægrius concedat, veluti quamdam mortalis ingenii intemperantiam ultra vires nitentis, & ſiquidem ſe poſſe, quod nititur, putat, etiam inſani. Neque tamen inficior, id mihi a prima adoleſcentia fuiſſe propoſitum, ut ſtudiorum decurſu quam plurimas litterariæ provinciæ partes obirem; non ut aliquando immenſum aliquid profiterer, ſed nequid eorum omitterem, quæ ad Oratorium & Poeticum artificium aliquo modo conferre poſſent; tantumque doctrinæ & eruditionis haurirem, quantum de re omni probabilia dicturo in tempore ſatis eſſet. Nulla eſt enim ars, aut facultas ita cum

alia

alia conjuncta, ut omnes ſimul cum Poetica & Oratoria: quod cujuſque artificis ſit propria materia ſuique fines; Poeta vero & Orator nullam certam ac definitam regionem habeant, ſed late vagentur, omnemque dicendi & ſcribendi copiam, cujuſcumque ſit ordinis, jure ſuo ſibi arrogent, comprehendant, moderentur. Ac de Oratoribus quidem video inter omnes convenire: de Poetis autem, ne rem infinitam aggrediar, quo tempore aliud quiddam inſtituo, alii viderint. Hoc ego dumtaxat in præſentia dicam, ſive in omni ſermonis & humanitatis genere recte verſentur, ut multis viſum eſt ſapientiſſimis viris, & in his etiam Ciceroni; ſive aliqua tantum rerum capita complectantur, ut moroſi quidam triſteſque Grammatici ab hac laude repulſi ſcriptitarunt; unum tamen eſſe, quod illis negari ſine injuria nequit, in quo præſertim tamquam in regno ſuo ab ipſa litterarum origine conſederunt, quodque uni cum maxima dignitate & utilitate generis humani diutiſſime tenuerunt. Hæc Moralis inſtitutio eſt, quam cum olim Philoſophi, ſive Pythagora, ſive Socrate duce, ad certa officiorum capita redegiſſent, quidque ſit in unoquoque primum, quid proximum, quid poſtremum, ratione atque ordine explicaſſent, in ea repente tamquam in fundo occupato pedem poſuerunt, non admodum reclamantibus Poetis, genere hominum minime frugi, litium incurioſo, & in diem vivente. Verum ſi tandem aliquando expergefacti jus ſuum perſequi velint, eoque reſtitui, unde ſine cauſſa dejecti ſunt, ego illis hodie tamquam in judicio Centumvirali fidem meam operamque præſtabo;

de Or. l. 1. c. 16.

vobiſque cognoſcentibus, ſponſionem faciam, ni pareat, officii præſcribendi rationem, quam Latini Moralem dicunt, Ethicen Græci, non tam ad Philoſophos, quam ad Poetas pertinere. Quod ut perſpicue faciam, omnemque dubitationem tollam, altius mihi repetenda ſunt Poeſeos initia: ex quo cognoſcetis, cui potiſſimum litterarum parti, velut ab ipſa natura naturæque auctore, morum diſciplina commiſſa ſit; tametſi poſtea Philoſophi jura turbarint, & in rem alienam quaſi vacuam & caducam dolo malo irrepſerint.

Quod ſinguli homines facere ſolent, ut a prima pueritia fabulas ſequantur, nullumque ſtudii genus ad multam ætatem libentius tractent, quam Poeticum, id ipſum univerſe ab humano genere factum eſt, cujus prima cura Poetice fuit, eaque una divinæ humanæque litteræ diutiſſime comprehenſæ ſunt. Quicumque aliquo doctrinæ genere excellunt, ſuoque ordine cenſentur, Theologi, Philoſophi, Juriſperiti, olim a Poeticis ſcholis exierunt, in quibus ſcientia omnis parta eſt, atque unice culta, ut Strabo, ut Plutarchus, ut Max. Tyrius, ut ille, qui unus nominari poterat, M. Tullius, nullo ferme repugnante, tradiderunt. Quod quidem non ad ipſa Mundi incunabula referendum eſt, nec divinando conjiciendum, cum ex hoc numero fuerint Muſæus, Homerus, Heſiodus, Parmenides, Epimenides, Solon, Empedocles, aliique notiſſimæ memoriæ Græci, qui diviſionem, ut nunc eſt, diſciplinarum & artium cum præceſſiſſent, variam multiplicemque eruditionem carminibus comprehenderunt, & modo Poetæ habiti ſunt, modo generali no-

nomine Sapientes dicti. Crevere ab eorum ætate mirandum in modum litterarum ſtudia, exorientibus undique neſcio quo ſidere magnis ingeniis; laticeſque ex uno fonte manantes in varios ſubinde rivulos deducti ſunt, qui magis magiſque una cum Græciæ opibus adaucti, ingentia doctrinarum flumina certis finibus diſtincta celeriter conſtituerunt. Hinc enim Juris & æqui ſcientia propagata eſt; hinc illa, quæ de Deo rebuſque divinis diſſereret, Theologia; hinc Phyſicæ & Mathematicæ diſciplinæ, quæ naturam latenteſque naturæ cauſſas ſubtiliter inveſtigando patefacerent. In quo ſane Poetarum ſapientiam & æquitatem recognoſcimus, ſed adverſæ fortunæ conjunctam. Cum enim ultro rerum naturalium ſcholas abdicaſſent, quod viderent, in ſingulis partibus jam præter modum amplificatis totam hominis induſtriam deſiderari; novæque litteratorum claſſi, qui ſe vel Sophos, vel Philoſophos dicerent, provinciam hanc tam amplam ac nobilem liberaliter conceſſiſſent; homines iſti a Poetis ut ita dicam geniti, in parentes arma verterunt; quamque illi ſibi reſervaverant officii explicandi poteſtatem, eam ipſam compilare conati ſunt. Sed quo ſucceſſu jam habete. Prodierunt novi iſti morum magiſtri, ut eorum eſt inſtitutum, obſoleto nigroque pallio, obſtipo capite, ore inculto atque horrido, barbati, capillati, ſuperciliosi, hominum potius terriculamenta, quam homines: cum autem ſe tamquam cælo demiſſos ad hominum licentiam coercendam magnifice jactaſſent, tum dogmata fundere cœperunt, quæ cum illo vultu atque habitu convenirent;

pec-

peccata omnia eſſe æqualia; de re nulla dolendum, de nulla lætandum; voluptatem omnem turpem eſſe; paupertatem, morbos, captivitatem non recte haberi inter mala; jus omne, niſi ſit ſummum, iniquum eſſe; nullum amicitiæ locum, nullum gratiæ, nullum miſericordiæ tribui debere; & id genus multa, quæ ſi communiter perſuadere potuiſſent, jam nullas haberemus civitates, hominesque cum hominibus vivere nequirent. Porro autem quia prava infinita ſunt, ſibique minime cohærent, vulgato arcano, bonorum & malorum fines pro libidine philoſophantium variari poſſe, multi ſe repente familiarum duces conſtituerunt; in eo ſibi uno convenientes, quaſique conjurati, ut per pudenda & ridicula officium omne perverterent. Vix equidem mihi perſuadere poſſum tantam aliquando fuiſſe hominum patientiam, ne dicam ſtuporem, ut cum viderent Diogenem cum ſuis Cynicis nudum ac ſordidum ex profeſſo maledicta jacere, Ariſtippum cum Cyrenaicis mollem & unguentis delibutum voluptatibus operam dare, Zenonem Stoicoſque ceteros veluti lapides nullo rerum humanarum ſenſu tangi, Democritum in ridendo occupatiſſimum, Heraclitum in lacrimando; hos tamen non ſolum ferrent, ſed & ſapientes, & morum quaſi canonas judicarent. Qui ſi aliquid probabile in tam ridiculo vitæ genere attulerunt, non tamen Poetas de antiqua poſſeſſione detrudere debuerunt, elegantes homines ac politos, qui ſua præcepta ad naturam & communem ſenſum conformare ſolent, more hominum vivere, & id quod eſt in unaquaque re bonum, quamvis non ſit admirabile,

bile,

bile, ad imitandum proponere. Et hæc quidem magnæ hujus diſciplinæ principia fuerunt, quæ morum cenſuram tam proſpere ſuſcepit, quam videtis; donec ad Academicos, & Peripateticos ventum eſt, qui magis aliquanto ad humanitatem accederent, ſed tamen Philoſophi eſſent. Nomen hoc tam ſerium & grave jam apud omnes fide laborat, quod tota Philoſophia litibus & controverſiis implicita, cultores ſuos factionibus addicat, pugnaces faciat, acerbos, acres, redarguendi cupidos, per abſtruſa & difficilia admirationem ſectantes. Ac ſi officia diſputandi cauſſa diſcerentur, iſque optime moratus eſſet, qui ſubtiliſſime de moribus diceret, non eſſet ab his diſcedendum, qui in omnes humanas affectiones acutiſſime penetrant, multiplicique diviſione rerum ac diſtributione minimas quaſque differentias perſequuntur: ſed cum omnis hujuſmodi diſputatio ad actionem referri debeat, non video, tam minuta ſubtilitas quid valeat ad hominum animos permovendos; aut quomodo tandem plus valeat, quam poetica oratio, rebus confecta de medio ſumtis, lucida, ſuavis, ornata, per numeros, per imagines, per figuras, non in aures ſolum, ſed in omnes pæne ſenſus contorta & vibrata. Niſi quis forte putet monogrammos, qui rem nudis lineis repræſentant, magis movere oculos, atque allicere, quam picturas perfecte coloratas, umbriſque ac luminibus diſtinctas. Equidem non diffiteor, ut in monogrammis partium varietatem, numerum, ac poſitionem, ita in Philoſophicis libris omnes officii partes, & partis cujuſque membra clare diſtincteque apparere; at in

hac

hac tanta luce rerum etiam minimarum friget animus, & in ſermone tam bono vir bonus deſideratur. Neque vero magna doctrina opus eſt, ut virtutem, ejuſque pulchritudinem cognoſcamus; quod cum ſecundum naturam ſit, ſuo ſe lumine prodit, & in cujuſque oculos incurrit: itaque in eo potius præcipientis induſtria verſari debet, ut per omnia artificioſæ dictionis inſtrumenta naturam revocet ad prava converſam; & in ſuæ dignitatis cogitationem adducat. Quod cum Æſopus, Philoſophus non indiligens, animadvertiſſet, abjectis diſputationibus, ad apologos animum convertit, initoque cum Poetis fœdere, ſpem omnem formandæ vitæ in rerum communium imaginibus collocavit. Genus hoc fabularum miræ urbanitatis ac virtutis ad perſuadendum, non in familiari ſolum ſermone, aut in cantiunculis locum habet, ſed etiam in graviſſimis deliberationibus; quod multitudinem valde afficiat, trahat, deliniat, pertentet, callidoque artificio ducat ad earum rerum aſſenſum, quæ certis ac notis ſimiles ſunt. Cedo mihi Philoſophum aliquem, cujus ſcripta ſimul omnia tantum potuerint, quantum una illa fabella, qua Menenius Agrippa Romanam plebem cum Patribus conciliavit, & in urbem reduxit. Nimia ſunt hæc. Cedo qui non gratis clamet, quem populus libenter ferat; cujus præcepta, quamvis egregia, ſi cum Æſopeis hiſce noſtris conferantur, non frigida ſint, & audientibus moleſta. Agedum enim, ſiquis a Zenone contendat, aurum habenti nocere, quis patienter audit, quis non Stoicam
lib. 2. fab. 7. ſeveritatem accuſat? At ſi idem Phædrus per apolo-

pologum muli a latronibus ſpoliati eleganter tecteque ingerat, accipitur, probatur. Fac, nimium vindictæ ſtudium Philoſophus damnet: creditur ſcilicet umbraticus homo conſulere timori ſuo. At ſiquid hujuſmodi Poeta velit, equo illo deſcripto, qui hominem armavit adverſus aprum, placet narratiuncula, perpenditur, imbibitur. Non eſt, cur ſingula commemorem. Quæcumque litteris conſignata ſunt de mendacio, de furtis, de fraudibus, de maleficiis, ſi ex ſchola Philoſophica veniant, aures fatigant; ſi blanda & eleganti comprehenſione verborum per fabulas efferantur, facile ſubeunt animos, & ubi inſederunt, conſcientiæ ſtimulos excitant. Si igitur res, non ex ſpecie & magnitudine, ſed ex uſu judicandæ ſunt, pluris mehercule Phædri opuſculum, quam decem ipſi ad Nicomachum libri, & ſexcenta volumina ad eorum interpretationem ſcripta, non meo quidem, quod video quam leve ſit, ſed multorum ſapientum judicio æſtimari debet. Atqui adhuc in limine ſumus, nec niſi minimam fabularis induſtriæ partem nutriculis ipſis familiarem adverſariorum contentionibus oppoſuimus. Quid ſi ad graviores fabulas, quas proprie *μύθυς* appellant, orationem ducamus? Quid ſi Comicas fictiones, ſi Tragicas, ſi Epicas in partes vocemus? Tamen ne impetum morales Philoſophi ſuſtinebunt? Verum ego neminem veſtrum tam expertem litterarum exiſtimo, ut harum fabularum commoda & utilitates ad civilis prudentiæ uſum, & communis vitæ inſtitutionem non ſæpe audierit; mihique potius verendum eſt, ne inopia dicendi latiſſimum campum quæſiſſe videar, in quem *μυθόγραφοι* ipſi,

Id. l. 4. fab. 4.

Poe-

Poetarum explanatores, Critici, & Grammatici omnes infinitam prope ſegetem congeſſerunt. Itaque non docebo, vivendi præcepta figmentis iſtis involuta latere; ſed potius cauſſas exequar, cur ita Poetæ latere voluerint, cum ſimplex rectuſque ſermo, a Philoſophis tanto poſt occupatus, ne ipſis quidem deeſſe poſſet. Omitto quod ante dixi, non admodum egere homines ſchola & magiſtro, ut in quo ſit virtus intelligant, ejuſque contrarium; ſed figuris potius & imaginibus, per quas moniti, de ſe ipſi cogitare cogantur, & digna ſuſcipere natura ſua. At ſi docendi tamen ſumus, ut aliquo certe modo ſumus, nonne qui docet, rationem inire debet, quæ cum maxime impellat, tum vero etiam moleſtia careat & ſatietate? Poterat enimvero, poterat Poeta quoque de laboribus ac periculis fortiter adeundis, quemadmodum Philoſophus, multa verba facere; at quanto magis mulcet ac movet, cum Herculem nobis monſtra ſuperantem ob oculos ponit, & per hæc divinos ſibi honores promerentem? Poterat de calamitatibus æquo animo tolerandis illa omnia proferre, quæ Philoſophis tam pulchra videntur; at cum Ulyſſem & Æneam per magnas ærumnas ad immortalitatem perducit, nonne & eadem canit, & canendo ad æmulationem incendit? Poterat denique de virtutibus omnibus, de amore patriæ, de fide, de juſtitia, de religione præclaros iſtos libellos ipſe quoque conficere, niſi vidiſſet, quanto magis per exempla proficeretur. Unum vero neque ille conſequi verbis poterat, neque Philoſophi, quantumvis ſe ament, conſequentur umquam, ut heroicam virtutem,

quæ

quæ in ſummo præſtantiæ faſtigio, ac pæne ſupra hominem poſita eſt, ſuis coloribus ornent, & recte ſubjiciant imitaturis. Eximiam hanc & inuſitatam excellentiam, quæ ad Superos proxime accedit, ut exprimeret Ariſtoteles, ipſe quoque ad poetica ſimulacra confugit, & Homerico Hectore producto, fidem quæſivit ex fabula. Et vero unum hominem exercitibus reſiſtere, maria & navigationes aperire, populis ſalutem reddere ac libertatem, condere urbes ac gentes, orbem terrarum a tyrannis liberare, cujus putatis eſſe facultatis, quam divinæ, quam incredibilis? Quis talia, aut cui diſſerendo perſuadeat, quamvis diſrumpatur? Aut omnis profecto inanis conatus eſt, aut unus hiſtoriæ fabularis heros ab egregio Poeta deſcriptus in tam difficili negotio plus valet, quam omnes omnium Philoſophorum diſputationes de hoc toto virtutis genere, de natura, de partibus, de fine, de ſede, de nomine; de adjunctis, de contrariis; quæ ipſa dum nomino tam macra & ſpinoſa, jam in ore veſtro moleſtiæ ſigna conſpicio. Malebam equidem ſcholarum tædia præterire, quæ nimis jam multos inimicos habent: ſed hæc potiſſima ratio eſt, quæ fabulas peperit, veluti quædam blandimenta ſanitatis, per quæ ſalutaria pocula promte & alacriter ſumerentur. Quam porro ſuave, in theatro ſedentem ſine ulla animi corporiſque contentione, non audire modo, quid ſit honeſtum & inhoneſtum, quid utile & inutile, ſed hæc ipſa in illuſtribus perſonis varia fortuna jactatis aſpicere, eo rerum apparatu, ac verborum genere propoſita, quod cum ad monendum plurimum

Eth. l. 7. c. 1.

va-

valet, tum etiam ad movendum? Videtis, ut ad hæc omnes ordines libentiſſime conveniant, ut attente audiant, ut numquam fatigentur, ut vel in lacrimas jucunde ſoluti Tragicos eventus excipiant? Conferte nunc frequentiam iſtam cum ſolitudine, quæ circa Philoſophos eſt; & plane intelligetis, utrum præſtet per noſtras haſce Poeticas blanditias, an per acumina Philoſophica mores civitatis caſtigare. Ægre homines apertum monitorem audiunt; gravia ſunt verba illa, *ne dicas*, *ne facias; debet*, *non debet; licet*, *non licet*; & cum vitia aliqua, nullo compellato nomine, reprehenduntur, ille ſibi exprobrari putat, cui conveniunt. In ſcena neque hiſtrioni, neque ſatyro iraſcimur. Iraſcimur autem? Tanto magis ſavemus, quanto acrius aſpergunt; modo amicos, modo ſodales, modo nos ipſos in iis moribus recognoſcimus, & abditum ulcus ridendo tractari patimur. Ergo tota illa juvenum turba, quam a-
Eth. l. 1. c. 4. perto Morali ludo, Ariſtoteles excluſit, habet ex hac officina unde ſanetur; hinc nemo repellitur; nulla ætas, nullus ordo, nulla conditio Poetæ gravis eſt; omnibus animi perturbationibus, iræ, libidini, invidiæ, cupiditati medicamenta hæc adhiberi poſſunt. Huc etiam viri Principes invitandi ſunt, quibus nullum monitum niſi callido artificio, & per ambages ingeri poteſt: quod tamen non ad reprehenſionem referri velim, ſed ad ipſam principatus naturam, quæ tueri majeſtatem quacumque ratione, modo honeſta, debet; & privatorum in ſe arbitria cavere. Ad hos ſcilicet Philoſophus accedat de jure & injuria diſputaturus; his, ſiquis animus, edicat, ne tantum

ſibi

ſibi licere putent, quantum poſſint; hos doceat aliud regem eſſe, aliud dominum; illum in primis parere legibus debere, cui legum cura commiſſa eſt; neminem peccare gravius, quam cujus exemplum tranſit ad alios. Amentem eſſe oportet, qui tantùm audeat, præſertim propoſito ante oculos Seneca, qui ſi tantum ſapuiſſet, quantum profitebatur, non dicam tantas opes non collegiſſet, in quo a multis eſt accuſatus, ſed & opes quaſcumque habuiſſet, & quæſitam in habendo paupertatis laudem, & totam illam, qualiſcumque eſſet, Philoſophiam procul à Nerone venditaſſet. Id tamen, quod Philoſophus ſine invidia atque adeo ſine vitæ diſcrimine facere nequit, per ſuas fabulas Poeta facit, ita Principibus fere omnibus gratus, ita acceptus, ita aliquando etiam neceſſarius, ut jam inter aulæ inſtrumenta cenſeatur. Hic unus monere poteſt imperantem ſibi, ancipitem fortunam, fœdoſque tyrannorum exitus adumbrando; hæc una reliqua eſt virtuti via, qua ſe per poetica involucra non quærentibus inſinuet, & in illo etiam faſtigio aliquando conſiſtat. Quo in loco id velim tantiſper cogitetis, quam anguſtis regionibus Philoſophorum diligentia contineatur, quæ primum ultra privatos non progreditur; deinde hos ipſos, ſi adoleſcentiæ cupiditatibus irretiti curatione indigeant, tamquam ſibi minus idoneos alio dimittit. Ergo nihil reſtat aliud, niſi ut tota hæc graviſſima diſciplina, quæ ad mores formandos ſpectare deberet, ingenio & diſputationibus ſerviat, conſuetudinem ſequuta reliquæ Philoſophiæ, quæ mentes contemplando conterit, & in ſe ipſa

quodammodo vertitur. Quare nihil mirum ſi tota eſt in argutiis, nec jam laborat, ut optima edat, ſed ut παράδοξα, & quæ minime probentur
Sen. ep. 61. 113. 117. in vulgus, *Sapientiam bonum eſſe, ſapere bonum non eſſe; inter magiſtratum & repulſam intereſſe nihil; bona eſſe paria; mortem a vita non differre; virtutes eſſe animalia;* & multa ſimilia iſtis. Tu ne igitur, bone Seneca, hæc ſcriberes, ſi vitiis ſanandis non ex Stoica ſuperbia, ſed ex animi ſententia operam navares? Tu hiſce luſionibus felicitatem ineſſe putas, ſummum illud humani generis negotium; noſtroque Homero tamquam nugatori dicam impingis? At is per ſuas fabulas, ſi recte intelligeres, aut quod intelligis, ſine invidia fateri velles,

Hor. 1. ep. 2. *— quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,*

Plenius ac melius Chryſippo, & Crantore dicit.

Nolite, quæſo, mihi ſuccenſere, Auditores, quod de ſummo viro, & ut illa tempora ferebant, etiam probo libere dicam. Concoquere enim nullo modo poſſum, quæ ille in Homerum ſive Poetam, ſive Philoſophum, certe ſapientiſſimum,
ep. 88. atque adeo ſapientiæ parentem, audacter ſcribit, ubi ad ludificandum aggreſſus more ſuo, cuncta liberalia ſtudia contemnit, & numerat in ſupervacuis. Hæc ſi in illa Metronactis ſchola jactabantur, injuria profecto populum Romanum accuſat epiſtola ſeptuageſima ſexta, quod ad pithaulem & tibicinem libentius iret. Quamquam ut nihil diſſimulem ex veritate & fide loci hujus,
De Rep. l. 3. ipſe quoque Plato ab ea republica, quam ſibi animo ad perfectiſſimam formam effinxerat, Home-

merum, Poetaſque ceteros, qui omnia promiſcue imitarentur, abeſſe juſſit: quod nobis adverſarii tamquam ex judicato objicere ſolent. Grave eſt hoc, Auditores, non tam ipſum per ſe, quippe a Philoſopho, quam fama & auctoritate Platonis, cujus judicio vel in ſua cauſſa multum deferre pro noſtra æquitate volumus. Alios igitur ſibi Heraclides Ponticus ſubſcriptores adjungat, cum divinum hunc Philoſophum, tamquam Ὁμήρου συκοφάντην, calumniæ poſtulat. Nos quandoquidem reputamus, Platonem Homeri ſtudioſiſſimum fuiſſe; imo poetas omnes tanto ſtudio, ſeu potius veneratione coluiſſe, ut Deorum filios appellaret, & ipſi quoque Antimacho Clario, inepto ac verboſo verſificatori, unus ex omni Athenienſi populo aures præberet; quandoquidem, inquam, hoc reputamus, aliud quiddam illum ſpectaſſe credimus, quam quod vulgo exiſtimatur, cum has delicias ſuas ab ea civitate removit, quæ nulla eſſet; aut ſi eſſe poſſet, heroum magis, quam hominum congregatio dici deberet. Piſtores etiam mehercule & cupediarios excluſiſſet, ſi cives ſuos, quemadmodum ſine vitiis & multarum voluptatum uſu, ita ſine cibis vivere poſſe exiſtimaſſet. At enim ne Epicurus quidem Poetas probavit. Videlicet intemperantiæ patronus. Parcat vitiis neceſſe eſt, qui iſtius hominis benevolentiam captat. Ego vero non miror, poetica ſtudia alicui Philoſopho diſplicere, ſed ob eam diſplicere cauſſam, quæ ſolet afferri, quod obſcena multa a Poetis ſcripta ſint; quaſi vero quod multa herbarum ac frugum genera valetudinem lædant, herbas frugeſque omnes odiſſe oporteat. Ac pri-

Cic. in Brut. c. 51.

mum ſi negem, qui ita ſcribunt, eſſe Poetas, non injuria facere videar, ſed ex ipſo antiquitatis judicio, quæ cum Muſas huic ſtudio præfecerit, ſatis ſuperque oſtendit, quam eſſet hoc nomine indignus, qui puellas honeſtiſſimas turpi lenocinio contaminaret: deinde ſi dicam, artibus omnibus ad ſalutem inventis commune infortunium eſſe, ut improborum ſcelere ad perniciem convertantur, dicam id, quod & notiſſimum eſt, & vel in ſumma Poetarum nequitia poeſim tamen ab omni reprehenſione liberare debeat. Quod ſi quidquam eorum querelæ valerent, qui tam male animati in poetica ſunt, quodnam de D. Baſilio judicium ferendum eſſet, qui Græcorum Poetarum lectionem adoleſcentibus commendat, multaſque ad virtutem opportunitates apud Homerum, apud Theognidem, apud Heſiodum, apud Prodicum Chium eloquentiſſima oratione demonſtrat? quodnam de ipſo D. Paulo, qui cum ex Arato, ex Mænandro, ex Epimenide aliqua referat, perſpicue ſignificat, in hoc litterarum genus quo animo fuerit. Eſto, jure queruntur: Poetas ablegemus, totamque arenam Philoſophi teneant, ſi ita demum ſalva res eſt. Quid? Utrum nos ignorare putant, quid doceat Epicurus, totuſque ille voluptarius grex? an ita bonos eſſe, ut Calliphoni, & Dinomacho credamus, qui Epicuream voluptatem cum honeſtate copularunt, *tamquam cum homine pecudem*, ut Tullianis verbis utar. Hi nempe nobis Poetarum nomina recitant, qui a modeſtia deſciverunt. At ego illis non unum aut alterum Philoſophum, ſed ſectas objiciam, Hegeſiacos, Theodorios, Annicerios,

Orat. πρὸς τοὺς νέους.

Cic. 3. Off. c. 33.

&

& quos modo dixi, Epicureos, qui facto agmine virtutem oppugnant; nec ut Poetæ in conviviis & ludis genio indulgentes licentius canunt, ſed in locis ad docendum graviſſimis ſerio & ex inſtituto turpitudinis illecebras, & indignas homine voluptates commendant, inculcant, ratas faciunt. Adde his & qui contra verecundiam diſputant, & qui fraudes tuentur, & qui utile ab honeſto ſejungunt, & qui privata commoda anteponunt publicis, & qui Deorum timore ſublato, cetera concedunt ſine diſcrimine. Apud Cicer. off. 3. Quæ ego vitia hominum non commemoro, quod in facultatem innocentiſſimam redundare putem; ſed ut hac in parte ſi vincere non poſſumus, ex æquo pugnemus; nec magis Poetarum licentia Poeſi noceat, quam Philoſophorum imprudentia Philoſophiæ. Eſt utrobique, ſi verum quærimus, quod caveri debeat: neque Philoſophorum amatores Philoſophica omnia ſine delectu probent; & nos Poetis noſtris ſæpe illud commemoremus, quod eſt apud Ariſtophanem in Ranis a. 4. ſc. 2.

> ..... ἀποκρύπτειν χρὴ τὸ πονηρὸν τόνγε ποιητὴν,
> Καὶ μὴ παράγειν, μηδὲ διδάσκειν· τοῖς μὲν γὰρ
> παιδαρίοισιν
> Ἐστὶ διδάσκαλος, ὅστις φράζει, τοῖς δ᾽ ἡβῶσίν γε
> ποιηταί.
>
> ..... *quæ mala ſunt, abſcondere poeta debet,*
> *Non producere, neque docere. Nam puerorum*
> *quidem*
> *Magiſter eſt dicendi peritus, adultorum autem*
> *Poetæ.*

Sed jam amotis criminationibus, in viam redeamus, ut pauca quædam extremo loco de poeticis nu-

numeris habeatis, quandoquidem in fabulæ commodis ſatis, ut opinor, verſati ſumus. Altera igitur pars, & neſcio etiam an prima, quæ poeſim conſtituit, carmen eſt, a quo res ſubjectæ tantum virium & virtutis accipiunt, ut ſe in animos facile inſinuent, firmiter adhæreant, motuſque illos vehementiſſime excitent, quorum gratia ſunt comparatæ. Quod cum totum quantum eſt, explicari non poſſit, majus etiam aliquid ac mirabilius, quam veritas patiatur, huic arti tribui ſolet, ut & feras mitigare dicatur, & morari flumina, & ſilvas lapideſque commovere. Quare ut Poeta nihilo plus rerum, quam Philoſophus, ad vitæ præcepta conferat, quantum tamen in eo putatis eſſe momenti, quod alter ſoluta ac ſimplici, alter ligata & numeroſa oratione utitur? Huc illud pertinet, ut opinor, quod Pythagoras ſcripſit, plus poſſe tibicines ad mores corrigendos, quam Philoſophos. Certe niſi quid excellens ac divinum ad mentes impellendas in poetico ſono numeroque eſſet, neque Archilochus Lycambem ad ſuſpendium adigere per jambos potuiſſet; neque Tyrtæi verſibus fuiſſet in acie locus; neque Solon, aut Terpander ſuas leges carminibus concluſiſſent. Nunc ſi quis officia & vitæ communis rationem numeris adſtringere poſſit, morbiſque animi tam valida remedia adhibere, hunc tamen Philoſophus extrudet, ſuiſque commentationibus, ad differendum ſeu potius ad rixandum comparatis, ſubſellia franget? Sed urget indictus mihi orationis modus. Jam ex veteri Quiritium more, unde initio conſtituendæ cauſſæ formulas duximus, ite in conſilium, Viri ſa-

Empiricus adverſ. Mathe. c. 22.

ſapientiſſimi, & quod bonum, fauſtum, felix, fortunatumque ſit, ſuam legitimis dominis poſſeſſionem fraude interceptam reſtitui jubete. Tu vero, Corneli Eminentiſſime, huic judicio moderando præpoſitus, cum plurimum legibus, quemadmodum ſemper ſoles, tum aliquid etiam benevolentiæ tribue: ſiquidem & Romani Cornelii, ſuæ gentis principes, Ennio, Lucilio, Terentio familiariſſime uſi, hac ſe Poetarum amicitia vel in primis nobilitarunt. Nihil tibi a Philoſophis polliceri potes, in ſuas contemplationes abditis, nullique viventibus; Poetæ cum ſingulorum officia juvant, tum publicam gloriam, & magnorum virorum geſta ad immortalitatem propagant. Quamquam nihil te magis in præſenti movere poteſt, aut debet, quam ſi tibi perſuadeas, vera eſſe, quæ dixi; tuamque iſtam Juventutem, de cujus inſtitutione majorem in modum ſollicitus es, ad virtutem & optimos mores per poetica ſtudia fingi poſſe: qua de re ſi teſtimonium quoque flagitas, Horatianum producam, eoque vel apud Philoſophos longe graviſſimo finem dicendi faciam.

Os tenerum pueri balbumque Poeta figurat,
Torquet ab obſcenis jam nunc ſermonibus aurem,
Mox etiam pectus præceptis format amicis,
Aſperitatis, & invidiæ corrector, & iræ.
Horat. l. 2. epiſt. 2.

EPISTOLA

Præpoſita editioni primæ hujus Orationis.

Quo die Orationem hanc habere debebam, ſtudiiſque noſtris ex more atque inſtituto præludere, accidit ut abeſſet hujus Seminarii Auſpex Eminentiſſimus graviſſima illa de cauſſa, quæ totius Chriſtiani Orbis Cardinales Romam concivit. Itaque ſuperſedi, maluique carere voluptate illa, quæ mihi quidem mortalium omnium maxima eſt, publice dicendi, quam dicere inauſpicato. Ne tamen videar ignavia potius, quam ratione feciſſe, ut publico judicio abſtinerem, hoc quidquid eſt, in lucem edo; in quo etiam ſuperiorum annorum conſuetudinem ſequor, ſed mehercule parum fidenter. Nam antea cum vulgarem, quæ recitaveram, videbar quodammodo mihi tenere judicia hominum, eoſque ſponſores habere, qui mihi aures non gravate præbuiſſent. Nunc me totum fortunæ committo, plane incertus quo caſura res ſit. Neque enim, ut audientium, ita legentium ora vultuſque notare licet, ubi caput avertant, ubi oſcitent, ubi lacunar ſpectent, ubi proximum de hora interrogent; ne quid poſtea librario tradatur, quod fatigarit, aut offenderit. Hoc anno jacta eſt alea: ferendum, quidquid evenerit. Quamquam ego, ut verum fatear, ex recitatione magis ſperavi fructum aliquem, quam perceperim; quod fere nugarum tædia brevitate compenſem, habeamque auditores vel ad ea, quæ minus probant, attentos. Quod igitur dictioni audientiam facere conſuevit, idem, ut ſpero, benevolentiam ſcriptio-

ptioni conciliabit ; brevitas videlicet , in qua ego mihi maxime placeo , quæ me in primis , meaſque lucubrationes ornare ſolet, quam ego unus ſi deſero, jam quomodo conſiſtat in hujuſmodi exercitationibus, omnino non habet . Nam plerique omnes, quos identidem audio , diſertiſſimi cum ſint , temperare ſibi nequeunt ; ego vel ſi velim multa dicere , tamen inopia ingenii intra cuticulam cohibear . Sed altera jam pagella procedit ; ac pæne in epiſtola modum præterii , quem tibi in Oratione polliceor . Hactenus ſatis . Vale .

ORATIO X.

AD MATHEMATICAM.

Adverſus eos, qui nimis paucis Mathematica ſtudia concedunt; tum adverſus eos, qui nimis multis.

QUod opus decem abhinc annis juſſu & auſpicio tuo (P. E.) ex hoc illuſtri atque edito loco ſolemnibus verbis inſtitui, tandem aliquando exædifico; Diiſque immortalibus grates ago, quod mihi homini valetudinis parum firmæ, ingenii vero infirmiſſimi, tantum virium vitæque tribuerint, ut curſum hunc, quem ne ipſe quidem, cum auſpicarer, totumque proſpicerem animo, conficere me poſſe ſperabam, tamen confecerim; & ad Mathematicam facultatem, quæ orbem claudit ceterarum, non ſine aliqua certe felicitate, quantum ex hujus lectiſſimæ coronæ benevolentia conjicio, nunc demum pervenerim. Verum quod in magnis operibus fere accidit, ut ultima quæque difficillima ſint, aut feſſis jam viribus difficillima videantur, hic me poſtremus quaſi actus vehementer terret, graviore quadam, ut ſentio, perſona impoſita, novaque objecta non laboris modo, ſed etiam difficultatis ac periculi ſpecie. Nam de aliis quidem cum dicerem facultatibus, id unum requiri videbam, ut quæ cujuſque tradendæ ratio mihi maxime probaretur, ex animi ſententia declararem:

nunc

nunc ipſa rei poſſeſſio in controverſiam vocatur; nec jam oſtendere oportet, cujuſmodi ſit Mathematica ſcientia, aut quomodo comparetur, ſed quem deceat, quemve dedeceat. Scilicet non deſunt aſperi homines ac difficiles, qui eam nobis invideant; & cum ipſi inter ſe de toto hoc genere ſermones conferant minime æquos, tum nos quoque ipſos, ut ſibi videntur arguti, aliquando interrogent, ecquid juventutem in ſpem Eccleſiæ nobis concreditam, in angulis ac triangulis dimetiendis inaniter occupemus.. His ego animis tam parcis & anguſtis, ut magnam partem generis humani, eamdemque ſtudioſiſſimam ad Euclidem & Archimedem accedere nolint, aliud quoddam genus hominum opponere conſuevi, qui neminem doctum virum exiſtimant, cujuſcumque ſit ordinis, ſi doctrinis careat Mathematicis. Cum enim utrique abeant ad extrema, ipſi ſe mutuo conficiunt. Sed jam ego quoque manus conſerere tamquam in judicio conſtituo, nec ſolum priores illos propellere, qui nos aggrediuntur, ſed hos quoque laceſſere, quorum opinionem utilem quidem noſtris rationibus ad tempus duxi, univerſe autem numquam probabilem. Quod ut ratione & ordine faciam, duplex mihi via non diverſa modo, ſed etiam adverſa ineunda eſt, quarum prima veluti defenſione conſtet, altera accuſatione. Defendam operam & induſtriam noſtram, quæ in Mathematicis diſciplinis impenditur; accuſabo labores eorum nimis, ut ita dicam, ambitioſos, qui has ipſas diſciplinas in aliarum fines inducunt, infinitaque contentione ſuſcepta, quæ Dii Deæque ſepararunt, communi vinculo jungere &

copu-

copulare conantur. Ac defendendi quidem propoſitum ſive ſit neceſſarium, ſive ſupervacuum, quod nolo in præſenti quærere, a nemine reprehendi poteſt; illud vero accuſandi cum re ipſa, tum nomine odioſum ita moderabor, ut omnes intelligant, non me levitate aut perturbatione aliqua ductum, ſed ſtudio veritatis ac juſtitiæ, ſuis finibus Mathematicam terminare; quos dum tenebit, in maximo ubique honore erit; ubi egredi incipiat, multas in ſe graveſque offenſiones concitabit. Id vero quemadmodum ſe habeat, non auſim mehercule in hac luce exponere, niſi veſtræ ſapientiæ multis mihi rebus perſpectæ magnopere confiderem; qua me una tamquam ſcuto adverſus invidiam tuebor, ſiquis forte tam cæcus atque audax obtrectator erit, ut cum audierit, quo ego ſim in Artem plane noſtram animo, quam benevolo, quam ſtudioſo, quam illius amplificandæ cupido, mihi tamen crimini tribuat, quod omnem litterarum provinciam per fas nefaſve occupatam Mathematico non condonem. Nemo profecto eſt, qui poſſit de re ulla publice dicere ſine periculo: at me præter ceteros timere oportet, qui quod ſentio, non circuitione & anfractu tegere, non ad gratiam & voluntatem audientium temperare poſſum, ſed cujuſquemodi eſt, ex officio & gravitate perſonæ, quam hoc loco ſuſtineo, perinde proferre debeo, ac ſi aram tenerem. Atque hæc valuere ſemper: illud vero hujus anni proprium ac peculiare eſt, quod peregrinus atque hoſpes in difficillimam regionem venio; nec ducere argumenta niſi ex univerſo genere poſſum, & ex communi quadam ratio-

ratione, in quam litteræ omnes ac diſciplinæ conveniunt. In his difficultatibus atque anguſtiis ſiquid efficere tamen potero, plane intelligetis, neque nobis Eccleſiaſticam vitæ rationem ingreſſis omittenda eſſe Mathematica ſtudia, neque ulli ultra modum & rerum naturam promovenda.

Qui in hanc facultatem alieno ſunt animo, apertaſque gerunt inimicitias, nihil ſane afferunt valde firmum, ſed tamen ita multa dicunt, ut ſi reſpondere ſingulis velim, in re non tam difficili, quam longa & moleſta nullo litterarum bono tempus teram. At eſt callidum quoddam & inſidioſum genus hominum, quod ut cognoſcam, Auditores, indigeo ſapientia veſtra; ut refellam, auctoritate & auxilio. Soleo enim pro munere hoc meo, quod neque ego tanta aſſiduitate ac vigilantia obirem, neque ullus obibit pro hac rerum temporumque conditione, qui non ſe divinitus vocatum exiſtimet, Deumque unum, contemtis mortalium conſiliis, in omni actione & procuratione ſibi proponat; ſoleo, inquam, diligenter omnia circumſpicere; neque amicos ſolum, ſed inimicos etiam, ſiqui ſunt, audire, ut quantum fieri per me poteſt, ſtudia noſtra perficiam, & ab omni reprehenſione liberem. Sunt igitur quidam ad litteras juvandas voce atque ore præclare compoſiti, qui Mathematicæ dignitatem multis verbis extollunt, ſed uſum ajunt non videri Clericis convenire. Quid hoc ſit, non ſatis explicant; ſed ita tamen multa turbant, ut eos appareat profanum aliquid hoc nomine deſignare, quod in militari Architectura, aut in vana divinandi arte poſitum ſit. Quid dicam, Auditores?

res? quid ſuſpicer? Eoſne malitioſe facere, ut inde alios abſterreant, quo ipſi accedere non potuerunt? At illi certe non ſunt ita vafri: quamvis non negem, eſſe aliquos, ubicumque tandem ſint (nam & Momo debet eſſe locus) qui pulcherrima quæque ſtudia ob id unum carpere audent, quod ſe ab illis excluſos videant. Cum his nobis nulla res eſt, qui toti ſunt a mendacio, quorum vita fallaciis conſtat, quibus ſiquis unus fidem habet, is ipſe fabula fiat. Ergo illud eſt reliquum, ut qui nos a Mathematica revocant, non ſatis advertant, quam multa hoc nomen complectatur, quæ cum hoc noſtro vitæ inſtituto conſentiunt optime. Age enim, quid eſt in Phyſica ſcientia, niſi forte hanc quoque nobis denegant; quid eſt, inquam, in Phyſica ſcientia tam Philoſophi privatum ac proprium, ut non magnam illius partem Mathematicus vindicet? Ratione quidem atque ordine contemplandi inter ſe differunt, rebus non differunt, niſi perpaucis. Quidquid numero, aut figura aliqua conſtat, quidquid ſono judicatur, quidquid luce diſtinguitur, quidquid aliquo menſuræ genere comprehendi poteſt in toto terrarum orbe, non tam Philoſophici, quam Mathematici juris eſt. Atque hæc ante pedes. Quid μετέωρα, quid aſtra, quid planetæ, quid cælorum orbes? An hæc ignorare Philoſophus poteſt, aut ſine Mathematico ſtudio ſcire? Ego vero ne ſatis quidem puto ad philoſophandi præſtantiam hæc ſtudia conjungere: præcedant Mathematica neceſſe eſt, quæ animum a ſenſibus excitent, & ad intelligendi celeritatem exacuant: ſiquid modo vidiſſe Pythagoram credimus,

mus, qui nullum auditorem in ſua illa Philoſo-
phica adyta admittebat, niſi prius Geometriam, Gell. 1.
Gnomonicam, Muſicam, Aſtronomiam didiciſſet. c. 9.
Hunc ſecutus eſt Plato, qui Mathematicam ic-
circo προπαιδείαν vocat. Platoni acceſſerunt Xeno- de rep.
crates, & Speuſippus, qui eiſdem legibus Acade- l. 7.
miam poſt ipſum tenuerunt: tum ipſe quoque A-
riſtoteles, qui certe a Magiſtri ſententia diſceſſiſ- Eth. l.
ſet, ſi ullo modo adoleſcentem his auxiliis deſti- 6. c. 8.
tutum fieri poſſe Philoſophum exiſtimaſſet. Ita-
que homines iſti divino ingenio præditi, non
Philoſophorum modo principes, ſed Philoſophiæ
parentes, ea ſcripta reliquerunt de Phyſicis re-
bus, quæ ne legi quidem niſi a Mathematico
poſſent. Aut igitur nobis tota interdicatur Phy-
ſica provincia; aut concedatur, ut in eam tam-
quam cives & habitatores, non ut ſervi fureſve,
ingrediamur. Phyſica porro commemoro, non
quod Logica & Metaphyſica Mathematicis com-
modis careant, non quod Ethica ipſa alicubi
non indigeant, non quod facultates reliquæ vim
ſuam omnem ac dignitatem ſine illis obtinere
poſſint; ſed quia nihil afferre conſtitui, quod
ſubtiliter excogitatum videatur magis ad inge-
nium, ſiquod ſit in nobis, quam ad veritatem
oſtendendam. At enim Philoſophi ſunt, & valde
etiam, ſi Diis placet, beati, qui ne ipſum qui-
dem quid ſignificet Mathematicæ nomen, didi-
cerunt. Eſto: non tam bene cum litteris agi-
tur, ut ſapere non videantur, niſi qui ſapiunt.
Adhuc tamen eſt, quod nobis ætatique noſtræ
gratulemur. Nam per ſæcula ante Galilæum be-
ne multa unum illud Philoſophicum ſtudium pri-

vatas ſcholas publicaſque tenuit, quo iſti boni viri videntur eſſe contenti. Habete autem, quale fuerit. Sectæ hoſtili odio invicem infeſtæ; ingenia certis hominibus ſacramento addicta; impotens atque infinita pugnandi libido; nova rebus nomina indita ad lites alendas ex compacto inſtitutas; fallaces & captioſæ interrogationes; certæ quædam ſolemneſque formulæ, quibus nihil ſubeſſet niſi ſtrepitus; ſubtiles & acutæ ſpeculationes de iis, quæ numquam fuiſſent, aut vero eſſe poſſent; perpetuæ & ad ravim uſque productæ inani labore diſputationes; omnia prius quæſita, quam veritas & natura. Videtis familias Gladiatorias (nolo enim Scholaſticas dicere, quod nomen eſt, aut eſſe debet honeſtiſſimi ordinis) at hæ tamen ipſæ, ſilentibus Mathematicis, famam occuparunt Philoſophiæ. Cum caput Mathematica extulit, ſuaſque vires Phyſicæ adjunxit, tum veluti renovato orbe, magni illi extitere naturæ interpretes cum omni antiquitate comparandi, Galilæus, Carteſius, Gaſſendus, Borellus, Hugenius, Leibnitius, Neutonus; & qui horum ſecuti veſtigia, Philoſophi re vera ſunt, & habentur. Quis igitur nobis tam erit infenſus, ut inventis frugibus, rurſus ad glandes mittat? Ergo ſi tempus & induſtriam vanis contentionibus impendamus, ſimul Phyſici, ſimul Clerici nomen præclare tuebimur; ſi naturam ſerio ſcrutemur, ſaltabimus extra chorum? voces & nomina perſequi licebit, res non licebit? pro ſectæ ſtudio diſrumpi glorioſum erit, pro ſtudio veritatis indecorum philoſophari? Nihilo plus dico, quam quilibet unus ex imis litterarum ſubſelliis

co-

cognoſcere poſſit; modo non ignoret, quam viam & rationem Philoſophi teneant, ex quo iidem Mathematici eſſe cœperunt, ſuiſque ſpeculationibus ſenſuum teſtimonia & mechanicam operam adjecerunt. Atqui ego nimis exiguam laudem Mathematicis ſtudiis tribuo, ſi nobis hactenus retinenda ſtatuo, ut Phyſicis opem ferant: ſtant ipſa merito ſuo, eoque in primis magno atque admirabili, quod nullum vitæ ſtatum, nullumque ingenium reſpuunt. Si enim is non inditus arte, ſed animis innatus ſcientiæ amor, quo cuncti exardeſcimus, honeſtiſſimus eſt, lociſque omnibus ac temporibus aptus; quid eſt, quod Clericus ignorare illa debeat, quæ cum maxime ad diſcendum referantur, præſtabile hoc diſciplinæ genus conſtituerunt, non a rebus ipſis, quas comprehenderet, ſed ἀπὸ τȣ̃ μαθεῖν, hoc eſt *a diſcendo*, nuncupatæ? Pœniteret me profecto conditionis hujus, ſi mihi naturam adimeret, qua impellor ad ſciendum; aut ſi cum multa ad ingenium exercendum concedat, ſive levia, ſive fallacia, ſive ambigua, hoc tamen intercluderet, quod unum propemodum cadit in ſcientiam. Habeant ſibi Peripatetici contentiones ſuas, habeant Academici, Stoici, Epicurei: volumina voluminibus opponant, factiones factionibus, ætates ætatibus; omnia ſollicitent, turbent, miſceant; ut non ſolum ſempiternis laboribus nihil ſciant, ſed illud etiam dubium faciant, utrum ſciri poſſit aliquid. Mathematica ſane una ab incertis certa ſeparat; ubicumque ſit veritas, eo accedit; non de tempore, non de loco, non de ſecta laborat; libera, ſoluta, expedita, uti eſt quidque, ſeu album,

N ſeu

ſeu nigrum, ſine ambage demonſtrat. Hanc nobis qui auferunt, ſi nullum præterea litterarum genus relinquunt, parum abeſt, quin pecudes faciant; ſin autem & Poetica, & Critica, & Dialectica, & Philoſophica omnia liberaliter condonant, quid eſt quod illa excipiant, quæ ad doctrinam & eruditionem omnium certiſſima atque exploratiſſima ſunt? Niſi forte, ut initio ſignificavi, quod multæ Mathematicæ partes ſint, aliquæ vero etiam hominum vitio corruptæ, unius aut alterius invidiam ad univerſas traducunt. Ita ſiquidem fit in rebus omnibus, ut cujusque laus ac reprehenſio ſumatur ex proximo. In quo ego tam communi malo nihil nobis præſertim dolendum puto: tantum dico, ſiqua ſunt in Mathematicis, quæ cum hoc noſtro inſtituto non apte cohæreant, ea, judicio & temperatione adhibita, ſecerni poſſe, & quatenus expediat, conciliari. Si me a militari Architectura abſtinere volueris, parebo lubens; ſi a civili quoque, honeſte reſiſtam: ſi Muſicam extorquebis, nobiliſſimam illius partem mihi reſervabo, mollem ac theatralem ſponte remittam: ſi Arithmeticam interdices, Pythagoricam retinere conabor, ſed illam illiteratiſſimam ultro abjiciam; quæ tamen (pro mores!) fortunatiſſima eſt, ridetque Theologiam noſtram: ſi me divinatricem Aſtrologiam ejurare jubebis, ejurabo non invitus, quam nemo umquam coluit niſi ſtultus, vel ut ſtultos deciperet; at interim non deſinam de corporibus cæleſtibus quærere, quid ſint, ubi ſint, quid efficiant, quomodo moveantur, quando concurrant; quod genus Aſtronomiam vocant, nulli magis propriam, quam qui men-

mente atque animo aſſurgere ſupra ceteros debet, ea contemplando, in quibus, vel ipſo Tullio teſte, divinæ virtutis ratio maxime apparet atque exſtat. Tantus hic ampliſſimæ diſciplinæ modus, tantopere caſtigatus ac ſanus, video tamen quibus non probetur; quorum haberi fortaſſe ratio non deberet: ſed quandoquidem in animum induxi, ut omnibus per nos ſatisfieret, id ab illis peto, ut quam opinionem animo comprehenderunt, ſi ego illam hodie ratione labefactabo, tandem aliquando in hoc loco conſeſſuque veſtro deponant. Quodnam igitur eſt horum hominum de ſtudiis noſtris judicium? Quale ſcilicet rudi ævo illorum fuit, qui nobiliſſima Græcarum Latinarumque litterarum monumenta undique conquiſita, tamquam impura & exſecranda, devovebant; veriti, ne ſe a divinarum rerum cogitatione averterent, aut etiam contagione aliqua religionis ejus, unde eſſent profecta, contaminarent. Quantam tempeſtate illa jacturam fecerimus, nihil attinet commemorare. Nunc id agitur, ut cognoſcatis, unde iſti præclari monitores exierint, qui omnia perhorreſcunt, quæ ad ſacrarum rerum intelligentiam, aut morum compoſitionem aliquo modo non referantur. Hos enim nobis fines præſtituunt, a quibus Mathematicos judicant abeſſe longiſſime. At non hercle ita judicabat Origenes, qui (ut eſt apud Euſebium) quos maxime idoneos ad ſacra ſtudia crederet, eos in Geometricis & Arithmeticis mature exercebat; ut tamquam præſidio aliquo eorum ingenia muniret, ſine quo multi defeciſſent. Verum non accipiunt Origenis teſtimonium; credo quod erraverit in rebus ma-

de Haruſp. reſp. c. 9.

Hiſt. Eccl. l. 6. c. 13.

ximis; at in hoc certe ſapuit, in quo ſubſcriptores approbatoreſque habuit ſine controverſia ſapientiſſimos, Hieronymum, & Auguſtinum, qui in ſacrorum librorum interpretatione numerorum ac ſiderum ſcientiam tamquam ad multa neceſſariam adſciſcunt. Sed quid opus eſt teſtibus, ubi ratio non deeſt? Mitto, quantum momenti habeant Geometrici atque Arithmetici calculi in diſputationibus de Arca Noe, de Babelica turri, de Salomonis templo, de Holocauſtorum altari: mitto, quam ſibi partem vindicet Aſtronomia in controverſiis longe maximis de Hebræorum annis Solaribus, & Lunaribus; de computo Diluviali, de principis Planetæ motu vel inhibito, vel revocato; de variis denique modis, quibus hæc explicant Ptolemaici, Copernicani, & qui Gigantum more cum Superis bella gerunt, Spinoſiſtæ: mitto etiam, quæ novi Teſtamenti ſtudioſos exercere ſolent, Eclipſis Chriſti mortem conſecuta, Magorum ſtella, cærimoniæ ad Lunæ tempora ordinatæ, omniſque calendarum ratio, quam Eccleſiæ Proceres, non adhibitis in conſilium Mathematicis, numquam conſtituiſſent: hæc, inquam, mitto omnia, non quod exigua ſint, ſed quia nimis nota, multiſque uſurpata. Unum illud in præſenti veſtris judiciis ſubjicio, de quo neſcio an multi cogitent, ſed mihi tamen graviſſimum eſt: ſiquis Mathematicus pro ea, quæ nunc gliſcit in dies magis, hujus facultatis propagandæ cupiditate fortaſſe nimia, ut mox oſtendam; ſiquis, inquam, tantum ſibi ſumat, ut ſacrorum myſteriorum veritatem Geometricis momentis expendere velit, huncne feremus arma tra-

ctare

ctare nobis ignota; nec ſolum Eccleſiaſticam pœnam, ubi jus lædat Religionis, ſed etiam judicium effugere? Non hic vanus metus eſt. Vidi ego, qui tamen in alio pulvere verſor, lepidulum libellum, cui titulus, *Theologiæ Chriſtianæ principia Mathematica;* quibus callidiſſimus auctor Joannes Craigius cæleſtis doctrinæ fidem non tam ex divino teſtimonio, quam ex rerum humanarum conditione metitur, & utriuſque Teſtamenti auctoritatem ſpecie confirmantis infirmat. Anne hæc ſua quadam lingua & notis arcanis ſcripta Theologi noſtri ita ignorabunt, ut ne legere quidem valeant? Nihil ne juvabit, cum ejuſmodi bella ingruent, eſſe ex hoc ordine, qui reſiſtere poſſit? Non id ab omnibus requiro: at eſſe tamen aliquos ſingulis ætatibus neceſſe eſt, qui communem cauſſam quoquo modo petitam, ubi res poſtulet, æquis armis defendant. Non deerunt exempla, quæ ſequantur, Riccius, de Cuſa, Caramuel, Cavalerius, Ricciolius, Petavius, Tacquettus, Merſennus, Villalpandus, & præterea multi pietatis ac doctrinæ fama nobiles, qui cum ſe ſacramento obligatos Eccleſiæ dediſſent, non ideo tamen exiſtimarunt, Mathematicam palæſtram ſibi eſſe præcluſam. Sive autem operam ſuam Religioni navarunt, ſive navandi defuit occaſio, nemo certe repertus eſt, qui non eos magnopere admiraretur, ſummiſque honoribus dignos cenſeret. Numquid habent, quod iſtis objiciant, qui nos ab eorum imitatione deterrent? Nam quod a Seneca ſumunt, nihil Mathematicis doctrinis ineſſe frugis; quod a Polyæno, & Ariſtippo, nihil veritatis; cum tam ſit aperte fal- Ep. 88. Cic. Acad. 4. & Ariſt. 3. Met.

falſum, miror equidem, cur Stoica & Sceptica ingenia non agnoſcant. De toto hoc genere hominum anno ſuperiore diximus: neque opus eſt pluribus, in his præſertim anguſtiis, in quibus alteri quoque parti initio poſitæ debet eſſe locus. Jam vero ad illam venio, quam pro modo temporis mihi ad dicendum conſtituti breviſſime abſolvam, magis ut rem tantam attigiſſe videar, quam tractaſſe. Neque vero mihi in animo eſt illos arguere, qui cum ſibi Mathematicam laudandam proponunt, eam in omnes artes ac doctrinas, maximas minimaſque, nobiles atque ignobiles, tamquam neceſſariam inducere conantur, ut neque bonus aliptes, neque coquus, neque piſtor eſſe poſſit, niſi Mathematicos diligenter audierit. Vetus eſt hæc, communis, protrita laudatorum conſuetudo, ut nihil ſe dixiſſe putent, niſi omnia rerum genera comprehendant, fidemque hominum, & naturæ modum prætergrediantur. Non deerit alius querelis locus, quæ neque ceſſabunt umquam, neque proficient. Illa me hoc tempore cura ſollicitat, quid tandem in mentem venerit Medicæ artis profeſſoribus, ut ſua omnia ad Mathematicam referant; nihil jam loquantur, niſi particularum figuras; fluida, ſolida, media, quæcumque corpori adhærent, aut corpus conſtituunt, ex pondere, ex niſu, ex mole, ex numero penſitent; medicamentorum vim & facultatem, bonam malamve corporis habitudinem, ipſum quoque ſpiritus motum Geometricis notis definiant; tandem illud efficiant, Medicum eſſe neminem, in quem Euclidis anima non migrarit. Non ſum neſcius, Hippocratem quo-

que

que ad Theſſalum filium ſcripſiſſe, ut animum ad Geometriam & Arithmeticam converteret, unde eſſet aliquis in Medicina facienda uſus: at nunc eo res adducta eſt, ut non jam Medicus ſtudia ſua Geometricis ornet, ſed totus Geometra ſit. Illud etiam fateor, morbos plane omnes, eorumque curationes formulis explicari poſſe ex arte Mechanica ductis, ſicui tantum ſit otii, ut nihil novi ad hominum ſalutem cum afferat, uſitata verba mutare velit: verumtamen cum id fecerit, tam certum erit, Medicum iccirco eſſe Mathematicum oportere, quam certum eſt, ſutorem ac textorem eſſe Geometram, quod ſutrina ac textrina Geometricis formis explicari poſſint. Non vereor, ne nimio plus dicam, quoties reputo, Joannem Fernelium, qui ad Celſum elegantia, doctrina ad Hippocratem proxime acceſſit, nihil Mathematicum ſuis ſcriptis, quibus univerſam Medicinam complexus eſt, aſpergere voluiſſe; cum tamen ita ductus natura ipſa, omnes induſtriæ nervos in Matheſi contenderet; multoque maximam diei partem, & domeſticas fortunas in hoc ſtudii genus inſumeret. Quid? Huncne admirabili ingenio virum, non ſuæ modo ætatis, ſed omnis ab illa memoriæ Medicum præſtantiſſimum, cum omnes morborum cauſſas & remedia perſequeretur, poſſetque unus, ſiquis umquam, Mathematicis ſpeculationibus ſcientiſſime uti, penitus abſtinuiſſe; noſtros vero ne reduviam quidem ſine illis curare? Diſcrimen hoc tantum unde ſit, alii viderint: interim accipite, quid cum a nobis urgentur, minus tecti reſpondeant. Sæculum cauſſantur Methodicis averſum;

Plant. Vita Fernel.

potentum mores nihil probantium, quod ipſi intelligant; divitum avaritiam, unde abradi pecunia nequeat, niſi per iſtiuſmodi miraculorum ambages. Hactenus ſapiunt: pergant, quod bene vertat, in hoc curriculo. Huc addunt, magnam ſuæ Arti injuriam fieri, ſi ejus criminis poſtuletur, quod ſibi fortaſſe aliquam levitatis notam inurit, at in Politicis, in Theologis, in Juriſperitis, quorum jam multi audire Mathematici volunt, capitale eſt. Ne hic quidem prorſus aberrant a vero. Quas enim præſtigias afferat neceſſe eſt, qui ſibi imperavit movere omnia, quæcumque ingenio poſſit, ut Theologicas doctrinas, omnemque civilem & Eccleſiaſticam gubernandi rationem Mathematicis momentis adſtringat? Tituli ipſi horum librorum, de quibus nihil amplius commemoro, offendunt oculos; & in quo ſe putant gratiam & auctoritatem Mathematicæ conciliare, in eo plane ipſo faſtidium pariunt & ſatietatem. Atqui malum malo mederi nequit. Non dico, Medicos tantum aliud agere: utinam quidem ſoli peccarent; at illi tamen, quod eſt in primis grave, noſtro periculo peccant. Ceterum in libros quoque Philoſophorum jam nimis multæ videntur mihi irrepſiſſe Mathematicæ tabulæ; quamvis alioquin non tam ipſæ inter ſe Philoſophiæ partes conjunctæ ſint, quam earum quædam, ut paullo ante dixi, cum Mathematica. Sit artibus ac diſciplinis inter ipſas conjunctio & ſocietas, ſed cujuſmodi ſolet eſſe fœderatis civitatibus, quarum unaquæque ſuo jure utitur. Quid in rem quamlibet Mathematicos appellas; quid eorum methodum ad omnem diſputationem

Elementa Politic. Civil. & Eccleſ. methodo Mathem. propoſita. Lond. 1716.

tra-

traducis; quid jura perturbas? Non eſt ille ad veritatem ſatis numerorum linearumque apparatus. Neque enim Mathematica demonſtrandi ratio tantam ſibi fidem & auctoritatem acquiſivit, quod per lineas & numeros conficiatur; ſed quod principiis fulta certiſſimis, quæ ex his colligit, ea quoque certa eſſe neceſſe eſt. Linearis & numerica probatio in omnem fere artem ac diſciplinam adduci poteſt, principia poni Mathematicis æqualia vix alicubi poſſunt. Quoties igitur in magna illa volumina incidimus, quæ in latentibus cauſſis & naturæ obſcuritate verſantur, nos quidem nihil moveant Geometricæ figuræ tabellis inſcriptæ elegantiſſimis, nihil illa Mathematica methodus tantopere jactata, ſi rebus inædificetur natura labantibus, ut ſæpe uſuvenit. Haud equidem auſim magnos Auctores nominare, præſertim & ſupra nos poſitos, & famæ ſecuros: at videre tamen, quam nihil ferre nimium poſſim. Ille ipſe Artis noſtræ magiſter Quinctilianus, Inſt. l. 1. Rhetorum oculus ac deliciæ, cum jubet orato- c. 10. rem Geometrica percipere, ut ubi neceſſitas flagitet, de terminis ac menſuris appoſite dicat, geſtumque digitorum ad computationes accommodet, videtur mihi propemodum ſui oblitus ad Sophiſtarum ſollicitudinem delabi. Nam id ſi accipimus, jam & Miles, & Architectus, & Hiſtrio, & Muſicus debebit eſſe orator, ut de his artificiis verba facere poſſit, vocemque & manus ex arte moderari. Quid illi, qui Grammaticum quoque ad Geometras mittunt, ut de orationis numero, & ſyllabarum quantitate recte judicet? Satis ne ſani habendi ſunt? Sentio me magno quo-

dam

dam æſtu commoveri; & ab eo litore, cui ſponte mea conſilioque adhæſi, in altum quodammodo abripi: ſed jam, ut in lubrico, nimis multa. Summa ſit, Mathematica ſtudia patere latiſſime; nec ipſa per ſe ſolum, quæ colantur, digniſſima eſſe, ſed aliis præterea multis ſuffragari: nobis vero in primis amplectenda videri, illuſtranda, promovenda; quod ſtatus hic vulgari conditione exemtus, & in illuſtri faſtigio collocatus, rebus ornari debeat omnibus, quæcumque humani ingenii ſolertia parari poſſunt; ut non muneris tantum dignitate atque excellentia ceteros mortales Clericus ſuperet, ſed ſeipſum quoque dignum oſtendat, cui tale tantumque munus committeretur. His ſe igitur dabunt adoleſcentes noſtri; modo, quod Fabius de Græco ſermone præcipit, ne uſque ad ſuperſtitionem. Facio equidem minus libenter, ut eorum induſtriæ modum ponam, cum ceteroquin aliunde non careant deſidiæ invitamentis: ſed nihil in omni vita tam lædit officium, quam quod extremum eſt. Magnum crimen iſtius ætatis, atque adeo ætatum omnium, ignavia; ſed nihilo tamen minus ingenii oſtentatio: tametſi utrumque fortuna, orbis terræ domina, ſuis bonis ſæpiſſime cumulet. Ego illos in omni re & actione veritatem & honeſtatem ſequi volo, nec omnino ſpectare aliud, quam quod tibi, P. Eminentiſſime, in cujus tutela poſiti ſunt, mea voce declarandum videtur.

Inſt. l. 1. c. 1.

EPI-

EPISTOLA

Præpoſita editioni primæ hujus Orationis.

ÆGre admodum tuli, quoſdam ſe altera hujus Orationis parte læſos putaſſe, quos ego nec fando audieram, neque omnino ſuſpicabar Medicos eſſe. Diſpeream, ſiquid egi malitioſe. Cum illa ſcriberem, gravi quodam valetudinis genere conflictabar: itaque dolor iram concitavit, ira veritatem expreſſit. Cum recte valeo, Medicos omnes, eorumque technas libentiſſime laudo; ſed quædam ægrotanti condonanda ſunt. Jam extra jocum. Ego equidem ſocietatis ejus, quæ Medicinæ cum Mathematica intercedit, utilitatem agnoſco, fateor, inculco; nec mihi aliud propoſitum fuit, quam quod nimium videretur, oratorio ſtilo notare. Si quis hoc tamen in crimen vocabit (nam quibuſdam nihil eſt ſatis) is ſciat, rem ſibi cum homine fore neque Medico, neque Mathematico, at certe rerum humanarum non prorſus ignaro. Vale.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO XI.

IN FUNERE
GEORGII CARD. ÇORNELII
EPISCOPI PATAVINI

Habita in Æde Cathedrali.

VIdeo vos, NN, ſicuti præter conſuetudinem mœſtos ac ſordidatos, ita in me oculis animoque defixos valde mirari, quomodo poſſim tam miſero ac luctuoſo tempore non dicam verba facere, ſed in hanc lucem acerbiſſimo caſu contaminatam prodire; eumque jacentem aſpicere, qui me a prima ætate educavit; quicum perpetuo vixi; quem, in ipſo adoleſcentiæ flore parentibus orbatus, parentis loco habui; cui uni tantum debeo, quantum homo homini proxime ac ſecundum naturam debere poteſt. At ſi quis umquam filius, quod & Tiberium admodum juvenem, & multos præterea veterum Romanorum more atque inſtituto feciſſe accepimus, ſi quis, inquam, filius in patris funere tamdiu compeſcere lacrimas potuit, dum illi oratione parentaret, hanc mihi, quæſo vos atque obſecro, veniam date, ut cum præter ceteros quærere ſordes ac latebras ad explendum dolorem debeam, tamen aliquantiſper in hominum conſpectum procedam, ea dicturus, quæ ad deplorandum GEORGII

CAR-

CARDINALIS CORNELII Epiſcopi noſtri interitum ego illi tam multis rebus addictus pertinere exiſtimabo. Nullum jam eſt eximiæ virtutis ac nobilitatis teſtimonium, quod levitas & adulatio non vulgarit; ipſaque hæc laudandi funeris conſuetudo jamdiu ab antiqua inſtitutione deſcivit, & ad multitudinem traducta eſt: ex quo fit, ut cum honor ipſe obſoleverit, non videatur Principibus viris dignus, niſi pondus aliquod ab eo, qui dicit, ad hominum exiſtimationem judiciumque accipiat. Atque in me quidem neque ullus dignitatis titulus, quarum rerum numquam ſtudioſus fui; neque præſtabilis dicendi facultas, quam mihi comparare pro hac ingenii tenuitate non potui; neque aliud quippiam ad ſpeciem & pompam ornamenti eſt: ſed ea tamen ſemper fuit obſervantiæ ac pietatis meæ erga Principem beneficentiſſimum vis & magnitudo, tam diuturna, tam conſtans, tam omnibus nota, ut hoc ipſum, quod ego loqui, quod hiſcere, quod reſpirare in tanta calamitate poſſim, mirabile quiddam ſit, veſtriſque cogitationibus & poſterorum memoria aliquo modo dignum ac celebrandum. Itaque hæc ne laudatio quidem dici poterit, ſed debita quædam mœroris ac luctus publico in loco ſignificatio; in qua ſi vobis, quemadmodum ſpero, ſatisfecero, mihi tamen certe numquam ſatisfaciam: quia cum plus etiam contendero, quam poſſim, minus tamen ſemper, quam debere me intelligo, ipſe mihi contendiſſe videbor. Non deerunt memoriæ tanti Viri laudatores, donec ſtabit virtuti honos; eoque plures erunt, quod tale genus, dum viveret,

veret, pati non poterat: ego ea dicam, quæ ipſe quoque ſi vivus adeſſet, atque audiret, improbare non poſſet; quæque boni filii & officii memoris, non viri callidi & ad dicendum exercitati judicentur. Suſtinete me tanto dolori imparem humanitate & auctoritate veſtra, *Nobiles ac Reverendiſſimi Viri*, princeps hujus Eccleſiæ pars, in quorum fidem ac tutelam Patavina ſacra & ſacrorum Miniſtri conceſſerunt; ſuſtinete, inquam, me, atque adeſte ſupremo hoc in illum officio, qui vos univerſos perpetuæ concordiæ & caritatis vinculo complexus, plurimi ſemper fecit atque adamavit; qui multos ex vobis in celſam hanc amplitudinis ſedem evexit, familiariter adhibuit, privatis publiciſque benevolentiæ teſtimoniis ornavit: neque plus quippiam poſtuletis, quam quantum a mœſto turbatoque ingenio in tam magna ac recenti ægritudine præſtari poteſt.

Quantum igitur ad humana ac divina præſidium in unius hominis morte amiſimus, Auditores! Amiſit patria Civem ornatiſſimum ſuæ nobilitatis & gloriæ amplificatorem; amiſit Chriſtiana reſpublica Cardinalem religionis ſtudio, conſilii magnitudine, rerum gerendarum experientia præſtantem; amiſit Pontificem Patavina Eccleſia (pro Deum atque hominum fidem, quo tempore, quam importuno!) amiſit tamen Pontificem integritate morum, pietate, intelligentia, vigilantia, liberalitate dignum prorſus, qui Ven. Gregorii Barbadici exemplum, non in hujus tantum Civitatis oculis, ſed in totius Europæ luce poſitum unus exciperet; ipſeque aliis, qui ſuccederent,

rent, exemplo eſſet. Jacturam hanc tantam ſi quis ex noſtris ſine lacrimis ac lamentatione ferre poteſt, ſi quis cogitando non commoveri, non plorare, non ingemiſcere, is duritia & immanitate efferatus, ne inter homines quidem, nedum inter noſtros habendus eſt. Sed ut tantiſper a nobis diſcedamus, eique Urbi ac Familiæ donemus aliquid, unde ortum Georgius duxit, quem eſſe putatis in vulnere tam acerbo Venetorum civium ſenſum, eorum præſertim, qui illi cognatione aliqua conjuncti fuere, hoc eſt nobiliſſimorum? quem Sereniſſimi Fratris uno eodemque tempore, neſcio quo ſiderum conſenſu & conjuratione, ut omnia dira eſſent, letali morbo proſtrati? Sed qua ego te voce appellem, optime Princeps, amantiſſime Frater, Joannes Corneliorum decus atque ornamentum, qui jam vel mortuus, vel morti proximus, ſqualori ſqualorem addis? O nos miſeros atque perditos! Ita ne duo lumina patriæ ſuæ longe maxima, tam illuſtria, tam ſplendida, tam benefica uno pæne articulo temporis obſcurata jacere? Ita ne Imperium noſtrum, ac Sacerdotium uno ictu repente perculſum funebri ſpecie ſordibuſque fœdari? O tempora nobis aſpera, o fata fera, o dies atri! Quis ita rerum humanarum ſenſu caret, ut cogitatione mali fatalibus cauſſis impliciti non frangatur? Quis ſi non privata, at communi ſaltem cauſſa non dolet? Quis Dei præpotentis indignationem non ſentit; aut ſi ſentit, cur non placare atque avertere conatur? Subeat animos veſtros Gentis hujus ſplendor tam antiquus, quam patria ipſa; tam magnus, quam qui eſſe in privata fortuna

pot-

poteſt; tam late fuſus ac ſublimis, ut non ſupremum modo Civitatis ſuæ gradum iterum ac ſæpius occupaverit, ſed ad Regium quoque faſtigium pertingere potuerit: hic porro vetuſta quæque nomina uno intuitu prætereuntes, duo hæc ætatis noſtræ decora ſplendidiſſima mentibus veſtris infigite, attenteque contemplamini, Joannem Venetorum Ducem, Georgium Cardinalem Patavinorum Epiſcopum; utrumque altiſſimo loco poſitum, eique parem; utrumque complexum virtutes omnes, maximas minimaſque, quæ tantam dignitatem ornarent, utilemque humano generi facerent; ſed ea præſertim animorum ac voluntatum conſenſione, eoque amore conjunctos, qui ſanguinis vim & naturam ipſam quodammodo ſuperaret: tum vero reputate, par hoc Principum tam inſigne, & pro temporum ratione plane unicum, eodem fere articulo temporis, quod certe ne poſterorum quidem admiratione carebit, eodem inquam articulo ſublatum. Me miſerum atque infelicem, cui hæc tam fœda atque ominoſa commemorare contingit! Vereor, ne aliquid in tantis terroribus lateat, quod nobis irati Superi hac ratione denuntient, ut ad veterum diſciplinam moreſque redeamus. Verum quo me rapit doloris impetus? Dii meliora. Exeamus jam patria, in qua ſatis querelarum, ſatis mœſtitiæ luctuſque eſt. Te, Roma, te inquam jam appello, altera veluti Georgii patria, quam ſibi ipſe divino conſilio elegit, ubi graviſſimos Magiſtratus geſſit, cujus nomine celeberrimam Legationem ad Luſitaniæ Regem obivit, cui ſuffragio ſuo bis Principem ac Pontificem Maximum dedit, viſus

ipſe

ipſe non longo intervallo abeſſe ab illo dignitatum omnium culmine, ſi quantum valebat animo, tantum etiam corporis viribus & valetudinis firmitate valuiſſet. Audiat ſummus religionis Antiſtes idemque optimus, extinctum ſibi & Eccleſiæ Cardinalem, qui nihil umquam aggreſſus temere, fide ac veritate ſacra jura defendit, magnumque prudentiæ exemplum litteris & poſteritati mandandum reliquit. Scio equidem, quam ex iis multa, quæ nobis admirationi eſſe ſolent, in urbe illa omnium principe exigua ſint; ſed tempora ipſa faciunt, ut cui aliqua Eccleſiæ procuratio commiſſa eſt, is mirifica ſapientia præditus ibi quoque videri debeat, ſi in tot hominum cupiditatibus, ſine ullius offenſione ac ſine turbis, ſuam provinciam adminiſtret. Hæc ſingularis prorſus Cornelii laus fuit, quod per annos quatuor & viginti in regimine tam varie diffuſo ac difficili nihil acciderit ſingulare. Neque enim tam periti Medici eſt accedentes morbos curare, quam ne accedant præcavere. Viderat hoc, multiſque ad imitationem memorare ſolebat, verum illud ſummi Sacerdotii exemplum cum antiquis comparandum, Clemens XI; in cujus egregia ſenſa ſucceſſiſſe credendum eſt, qui in ipſam humanarum divinarumque rerum poteſtatem Dei Optimi Maximi providentia ſucceſſit Innocentius XIII. Atque hunc etiam multo magis vidiſſe exiſtimo, qui olim Georgio in Luſitana Legatione ſuffectus, recentia adhuc admirabilis virtutis veſtigia in florentiſſimo illo regno ad immortalitatem impreſſa legit, & qualis quantuſque eſſet, jam inde ab eo tempore cognovit. Hic tamen tanti no-

minis tantæque gloriæ Cardinalis ereptus eſt, hic inquam tibi, Roma, ereptus ſenectute prima, qui ne extrema quidem ſine bonorum querimonia decedere potuiſſet. Verum ego quid diutius Romæ jacturas queror, noſtrarum immemor? quid in tam lugubri hujus Civitatis conditione lugendi cauſſas aliunde peto? Nobis ille, nobis ereptus eſt; noſtrum eſt totum hoc infortunium; Patavium amiſit ſacrorum præſidem, religionis cuſtodem, pietatis aſſertorem, Paſtorem, Patronum, Parentem. Revocate animo, quicumque Georgium paullo familiarius cognoviſtis, compoſitam illam in tanta dignitate facilemque naturam, ſenſa illa in rem quamlibet prudentiſſima, acumen illud ingenii ad difficillima quæque expediti; intelligendi celeritatem, decernendi conſilium, agendi induſtriam: reputate cum mentibus veſtris perpetuam illam verborum vitæque continentiam, flagrans ad omnia pietatis opera ſtudium, ſollicitam Chriſtianæ inſtitutionis curam, effuſam in egentes ac miſeros benignitatem, totam denique illam optimæ indolis rationem, quæ ubi ſe alicui dederat, in eo ſtatim admirationem & benevolentiam commovebat. Id cujuſmodi ſit, intelligi magis poteſt, quam ex toto explicari: ſed multi tamen animadverterunt, hoc proprium ejus ac peculiare fuiſſe, ut minimæ quoque virtutes excellentem quandam ſpeciem ac dignitatem ab ejus moribus ſumerent, & quod in aliis vulgare eſſet, in eo tamen inſigne atque eximium appareret. An ille, niſi tantus fuiſſet, aut etiam major, Barbadici famam, ut modo dicebam, excipere potuiſſet, ejuſque locum magna omnium volun-

luntate ac lætitia tenere, qui tamquam e cælo deſcendiſſe viſus, eoque regreſſus unde venerat, non humanis tantum laudibus, ſed prope Superum voce ac prodigiis celebrabatur? Jacebat populus fere omnis ingentium damnorum memoria abjectus atque afflictus; mœrebant ſacrorum Miniſtri præteritorum memores, anxii trepidique futurorum; querebantur ſacri mulierum ac virorum cœtus in diem viventes, & ad incerta caſuum ſolliciti; ejulabat egentium puellarum ac viduarum turba, tam certo ſubſidio ad vitam tuendam atque honeſtatem privata; litteræ quoque ac diſciplinæ tam ſecura ſpe dejectæ atque exanimatæ ſibi metuebant. Hic tamen in tanto doloris ac timoris æſtu ſuperveniens, veluti Sol poſt atram ac turbidam tempeſtatem, omnium vultus explicuit; brevique effecit, ut hominem interiiſſe tota Civitas judicaret, non virtutem. Nihil mutandum ratus eorum, quæ inveniſſet a Viro illo divino conſtituta, eamdem ubique juſtitiæ, diſciplinæ, religionis viam tenuit; quidquid ingrueret, ad illius decreta & majorum conſuetudinem confugere conſuevit; ac ſi quando enaſcentes novi generis morbi nova remedia poſtularunt, quæ ipſe egregie conſtitueret, maluit videri reperiſſe, quam feciſſe. Quamquam ita quieta ſub hoc Præſule ac tranquilla fuere omnia, ut cunctas ampliſſimæ diœceſeos rationes qui ſuis momentis expenderent, & tempora temporibus compararent, præſtantiſſimum hominis ingenium ex hoc maxime agnoſcerent, & ſupra omnem ſæculorum memoriam prædicando efferrent. Princeps Veneta prudentia & Romana gravitate com-

poſitus, duas res non tam natura diverſas, quam moribus diſſociatas præclare copulaverat, obſequium, & libertatem; obtinueratque, ut boni mores æquitate temperati plus valerent, quam antea bonæ leges. Ipſe autem præibat omnibus intaminata quadam innocentia vitæ, ingentique inſtructu virtutum omnium, quæ in hunc ſtatum cadere poſſent: cumque initio eſſet paullo natura iracundior, ut plerique omnes ſollertis ac vividi ingenii homines, ita ſeipſum brevi tempore edomuit, ut inditos ignes pertinaci exercitatione patientiæ non compeſcuiſſe, ſed prope extinxiſſe videretur. Utinám vero eam valetudinem vegetam ac firmam, quam primum in hanc Urbem attulit, non intercepiſſet aliquanto poſt articulorum dolor, qui cum in dies magis cœpiſſet eſſe gravis ac frequens, in cauſſa demum fuit, ut ipſe per ſe diœceſim ſuam non tam ſæpe, quam voluiſſet, obire poſſet; inſuper vero etiam aliqua omittere, aut differre, aut ad alios delegare cogeretur, quæ non animi ſolum imperio, ſed corporis etiam miniſterio indigerent. Hæc illum cura magis, quam morbus ipſe conficiebat; hoc unum, de quo aſſidue querebatur; hoc pretio æſtimata valetudo; huc vota preceſque converſæ; ſenſu ceteroquin ad perpetuos dolores obdurato. Ut vero aliquantum reſpiraverat, lecto adhuc affixus admittere humaniſſime omnes, audire graviſſima negotia, inquirere, decernere, expedire ingenio ita libero, ita celeri, ita experrecto, ut ipſo corporis labore purgari animus atque illuſtrari videretur; tantoque magis exſurgere atque unus dominari, quanto illud magis ex-

cru-

cruciatum ac miſerum contabeſceret. Ubi porro ſtare, ubi ſacras veſtes ſumere, ubi exire cubiculo poterat, ſtatim quæ Pontificis munia eſſent, peragere omnia; nulla in re ſibi parcere; non infirmæ adhuc valetudinis, non æſtus, non frigoris ratione habita, quo commiſſi ſibi gregis utilitate vocaretur, promtiſſime advolare. Quoties ego illum imbecillis adhuc viribus, pedibuſque labantibus ad Seminarium accedentem vidi, quem locum, traditæ ſibi provinciæ partem certe non ultimam, miro patrocinio ac benevolentia proſequebatur; quoties cum mane ibi fuiſſet, veſperi redibat; quoties per multos dies ſine intermiſſione exercitationibus noſtris aderat: ut ſtudiorum morumque rationes exigeret; ut omnes non præceptores modo, ſed etiam diſcipulos noſceret; ut cuncta inveſtigaret, pervideret, diſtribueret; ut litterulas noſtras, qui maximus mihi ſemper fructus laboris fuit, ſua præſentia judicioque honeſtaret? Hinc ſibi potiſſimum, nomine ipſo Seminarii admonitus, ſurculos illos ſumendos eſſe intelligebat, qui in omnem Patavinæ Eccleſiæ agrum pro temporum ac locorum neceſſitate transferrentur: de hoc & ipſe libenter loquebatur, & alios loquentes audiebat; in hoc ſibi magnopere placebat; huc hoſpites mittebat ſuos; nihilque abire patiebatur, quod ad iſtius pulcherrimæ atque utiliſſimæ inſtitutionis incrementum quiſpiam moneret. Jamvero eo deveni, ubi cogor tamquam ſcopulo adhæreſcere. Cogitatio hæc una ita me totum obruit atque occupat, ut nihil verſare aliud animo poſſim; ita me angit atque enecat, ut vocem jam ipſam pæne intercludat. Te

ne Seminario tuo, te ne mihi, Optime Præſul ac Parens, tam ſubito caſu ablatum? O cæcas hominum mentes! Te ne mihi tam multa, pridie quam ægrotares, benevole amanterque dixiſſe, quæ noſtra cauſſa cuperes, nulla plane tantæ hujus calamitatis præſenſione, quæ tibi tam prope nobiſque imminebat? Ita ne illa omnia momento temporis cecidere, quæ mihi conſtitueras, ut hoc ipſo die, quo ſtudiorum noſtrorum curſus veteri more abſolvi conſuevit, tuo nomine edicerem? Ille, ille igitur dies mihi ultimus erat, quo te alloquerer, nec tamen, homo tibi devinctiſſimus, ullo naturæ motu commonebar, quam dicunt ſentire in poſterum terribilia? Pro dolor, pro fatum, pro rerum omnium repente facta converſio! Sed ille jamdiu humanarum rerum tædio affectus, quod æterno dolore conflictaretur, uſuque pedum ferme omni careret, ad quietem & beatitatem æquo animo ac libenti commigravit; neque mehercule verbum ullum protulit his totis octo diebus, quibus ſe morti proximum ſenſit, dimiſſaque cura rerum ceterarum, ſe proximum eſſe unus aſſeveravit; nullum, inquam, verbum protulit, quo vitæ longioris deſiderium oſtenderet, malletque aliud, quam quod Deus ipſe vitæ neciſque dominus conſtituiſſet: nos vero lacrimarum pleni, multarum rerum meditatione ſuſpenſi, abjecti, profligati, unde abierit aſpicimus, non quo aſcenderit. Erigamus tantiſper animum, Auditores; & ſiquid eſſe ſolatii poteſt, ab eo loco ducamus, ubi ille ſuſceptæ ad noſtram utilitatem ſollicitudinis præmio fruitur: quod certe ægre ferre non debemus, niſi ingrati videri volu-

lu-

lumus. Quamquam quæ ego ſolatia quæro? Vix humana mens humi defixa ſummum illud immortalitatis bonum, quod nemo niſi moriens conſequitur, intelligere poteſt; & ad hujuſmodi calamitatum levamen ſincere vereque transferre: nos autem, ut in hoc tandem illius cauſſa conquieſcamus, adhuc tamen rerum noſtrarum cura tangit, tangetque diu; minuenda fortaſſe aliquando, numquam prorſus deponenda.

EPISTOLA

Præpoſita editioni primæ hujus Orationis.

Fervens adhuc erga Epiſcopum de ſe optime meritum Civitatis ſtudium & voluntas, inſolito omnium ordinum luctu ſignificata, jubet me Orationem hanc emittere, quam ad ejus funus impetu quodam doloris effudi. Ac ſi mihi perſuaderem, laudes ejus æquari dicendo poſſe, valde dolerem, paullo plus biduo ad rem tantam comparandam ingenio tam exiguo conceſſum fuiſſe: ſed cum ita vixerit, ut a nemine pro dignitate laudari poſſit, id unum faciendum puto, ut de tota ejus Vita quædam præmittam annalium more, qualia fere ad Ughelli *ſupplementum altero abhinc anno brevi ſimplicique narratione exaravi. Ego equidem virtutem ejus, dum viveret, non fortunam admiratus, mortuum quoque perpetuo colam; nihilque omittam eorum, quæ ad ejus memoriæ propagationem quoquo modo facere videbuntur.*

GEORGIUS CARD. CORNELIUS natus eſt ex Federico Equ. & Cornelia Contarena Kal.

 Aug.

Aug. MDCLVIII. Paucis poſt annis Melitenſem Ordinem accepit, & Magni Commendatarii Cypri titulum, hujus Familiæ hæreditarium. Politioribus litteris Veronæ, Philoſophia & Jurisprudentia Patavii inſtructus, more majorum, anno MDCLXXVII Doctoris nomen & inſignia ſumſit; ſtatimque per Europam iter inſtituit. In patriam cum rediiſſet, Navalibus præfectus eſt anno MDCLXXXV: quo in munere ita ſe temporibus difficillimis geſſit, ut gravioribus curis par judicatus, ad Gallicam Legationem deſignatus ſit. Sed ille quidem alio ſpectabat. Itaque Eccleſiaſticæ militiæ nomen dedit, Romamque commigravit anno MDCXC. Biennium fere in ea urbe commoratus, per eos Magiſtratus, quibus maxime ſolent Præſulum ingenia explorari, magnam de ſe expectationem movit. Proinde maritimæ oræ in magna peſtilentiæ ſuſpicione præpoſitus eſt, deinde annonam curare juſſus, demum vero ad Petrum II. Luſitaniæ Regem Legatus miſſus anno MDCXCII. Inſignem jacturam rerum ſuarum in eo itinere cum feciſſet, incredibili virtute fortunam eluſit. Tanta enim rerum omnium apparatione & magnificentia, tanta fide ac ſapientia munus illud longe graviſſimum ſuſtinuit, ut XI Kal. Aug. MDCXCVII ab Innocentio XII. Cardinalis creatus ſit., & paullo poſt Epiſcopus Patavinus, cum in ipſo Legationis initio Archiepiſcopi Rhodienſis titulum obtinuiſſet. Inde igitur Patavium venit ingenti omnium civium lætitia & expectatione, quam poſtea non explevit modo, ſed etiam ſuperavit. Omnino is unus efficere poterat, ut optimi Deceſſoris Gregorii Card. Barbadici deſiderium in hac urbe moderate ferretur: quippe inſtituta ejus omnia non retinuit ſolum, ſed etiam

iam amplificavit ; ac ſiquid neceſſitate temporum aut moderari, aut tollere coactus eſt, id ſingulari quadam prudentia fecit, ſine qua ipſum quoque religionis ac diſciplinæ ſtudium interdum vanum, interdum etiam exitiale eſt. Diœceſim litteris, aut pietate cultiorem haud facile invenies : unde ſatis apparet, tantæ rei momentum in uno fere Epiſcopo eſſe. Capitulum habuit magna ſibi obſervantia & caritate conjunctum, ſed præſertim Eccleſiaſtica diſciplina & morum honeſtate ſupra vetera exempla laudabile. Treſtenſe Collegium ſuſtulit, qnod a prima inſtitutione degenerare cœpiſſet, nec jam remedium pati poſſet. Ejus loco publicum Grammaticæ Gymnaſium in urbe aperuit, optimoſque præceptores ſine ulla juventutis impenſa docere juſſit. In Seminario multa egregie conſtituit, quæ undique alumnos ſupra ipſam loci capacitatem invitarunt : ſed quod caput eſt, Magiſtrorum numerum auxit ; ſuaque humanitate & æquitate obtinuit, ut non deeſſent, qui ſe, libertatem, ac valetudinem, tenuiſſima ſpe propoſita, devoverent. Duobus Conciliis Pontificiis interfuit, quorum altero Clemens XI. altero Innocentius XIII. Summus Eccleſiæ Pontifex creatus eſt. Patavii diem obiit IV. Id. Auguſt. MDCCXXII: ipſiſque Idibus elatus eſt, cum paucis ante horis Joannes Venetiarum Dux, frater ejus cariſſimus atque amantiſſimus, dira prorſus fatorum conſenſione deceſſiſſet.

ORA-

ORATIO XII.

IN FUNERE
ALOYSII PISANI
DUCIS VENETIARUM.

LAtendi conſilium, quod Superis bene faventibus anno ſuperiore ceperam, numquam ſane depoſuiſſem, niſi acerbiſſimus caſus, qui nec opinato civitatem perculit & afflixit, me quoque excitaſſet, communemque calamitatem fletu & lamentatione proſequi coegiſſet. Obiit Dux & caput Venetiarum ALOYSIUS PISANUS, quod bonis omnibus debet eſſe grave: atque ita obiit, ut quaſi Romulus alter ex oculis ſpectantium repente ſublatus, mentes hominum ſtupore quodam defixas reliquerit. Dii meliora! Nondum plane depulſo terrore illo, quem nobis repentina intulit Patriarchæ CORRARII mors, ſtatim ſuccedit alter, & caſus celeritate, & mole rerum aliarum ſuper alias decidentium longe atrociſſimus: ut nemo mirari debeat, ſi inter ipſa civitatis gaudia pro rerum viciſſitudine conſecuta, multi adhuc ſilentio hærent, prima illa cura & cogitatione ſuſpenſi. Cum enim in privata domo hoc genus mortis ſiquando contingat, vicinos terret, tum præſertim in viris principibus fatale aliquid habere videtur, quod non finibus illis, nec capite uno coerceatur. Sed juvat bene ominari.

Quod

Quod autem in magnorum virorum funeribus inſtitutum eſt, ut eorum facta ad animi ſolatium e ſuggeſto referantur & ornentur ; id in præſenti vix locum habet. Nam quæcumque ALOYSIUS fecit tum in primo illo privatæ vitæ genere, tum in altero hoc publicis inſignibus titulisque ornato, cum omnia ad benemerendum de humana ſocietate firmo quodam animi propoſito conſtantique retulerit, quomodo ego vos amiſſa bona commemorando ſolari potero? Non ſum neſcius, præſidia quædam ab eloquentia peti ſolere, quibus rerum formæ coloreſque mutentur: at horum præſidiorum copia mihi quidem pæne nulla relicta eſt, qui per annos admodum ſexdecim longe aliis exercitationibus occupatus, nihil aliud quæſivi, quam quomodo rerum veritas, quolibet ſive fuco, ſive ornamento ſpoliata, in aperto poneretur, hominumque ſtudia ipſa per ſe alliceret. Ergo qui mihi id oneris impoſuerunt, magis quid vellent ipſi, quam quid ego poſſem, æſtimarunt; vel ſi hoc ipſum æſtimarunt, hominem quæſierunt, qui cum induſtriæ vires omnes laudando contenderet, idem tamen fidem & pudorem retineret. Sed illud quoque fortaſſe ſpectarunt, ut cum in ceteris funeribus Oratores adhibeantur, qui præficarum more ad vanam quamdam doloris ſpeciem querelas e medio ſumant, ſciteque jactent ; is ALOYSII funus dicendo ornaret, qui multis officiis obſtrictus ex animo loqueretur, concionemque ipſam veri doloris explicatione commoveret. Et vero ſi quæ animo complector, aſſequi verbis potero, ſimul illud efficiam, ut intelligatis, me non tempori ſervire,

ſed

ſed perſonæ: ſin minus, efficiam tamen hoc ipſo, ut quæ non dixero, qualia & quanta ſint, cognoſcatis.

PISANA domus, cujus origo in ipſa civitatis hujus antiquitate latet, eum in Rep. curſum perpetuo tenuit, ut vel in ſumma opum ac dignitatum copia careret invidia. Ac ſiquis ex illa in hujuſmodi inſtituto recte feliciterque permanſit, is certe ALOYSIUS fuit, cui ad honores ac divitias, quantum ordinis & loci natura patitur, cum fere nihil deeſſet, ipſa ſe quoque hominum benevolentia, & communis quædam animorum propenſio comitem adjunxit. Neque enim propinqui ſolum & amici, ſed populus omnis, atque adeo illi ipſi, qui ne de facie quidem hominem noſſent, nomini ejus mirifice favebant; ægre admodum ferentes, ſiquis forte utcumque de patria meritus, in contentionem veniret aliquam, & cum illo dignitates peteret. Itaque nihil illi in hoc ambitionis curſu difficile fuit, nihil non expeditum. In ipſo juventutis flore ad conſultandum de Rep. Sapientum Collegio adſcriptus eſt, cum fuiſſet annali lege ſolutus ob patrui Laurentii merita Cretico bello ſublati. Atque in illo quidem graviſſimo Conſilio ita ſe geſſit, tantamque ſui ſpem excitavit, ut ad Gallicam legationem, ubi primum licuit, delectus ſit. Iter ejus adhuc eſt in ore hominum, inſtitutum comitatu ingenti, præmiſſis ad principes urbes, qui laute exciperent advenientem, effuſis in hoſpitia cuncta & diverſoria regio more pecuniis, quæſitis opera omni benigne faciendi occaſionibus. Per hæc Lutetiam cum veniſſet, in Aulam totius orbis

bis ſplendidiſſimam, ipſi per vos cogitare animo & conjicere poteſtis, qua rerum omnium apparatione, quam copioſa, quam inuſitata legationem inſtruxerit. Illud certo conſtat, ipſum Regem Ludovicum XIV. & nomine magnum, & ad magna omnia natura factum, non ſine admiratione aliqua tantum privatæ fortunæ ſplendorem adſpexiſſe. Valuit hoc ad gratiam & benevolentiam, & quod conſequitur, ad eam gerendi negotii rationem valuit, quæ ſine benevolentia ejus, quicum agitur, multis eſt difficultatibus impedita. Incidit enim in tempora valde aſpera, primo quidem cum de Hiſpanica ſucceſſione, vivente adhuc Hiſpaniæ Rege, agitari cœptum eſt, intentis in curam hanc Principibus cunctis, aliis cauſſa alia: deinde vero cum, illo mortuo, Italia bello flagravit; noſque in terris noſtris ingentes exercitus, amicos illos quidem, ſed tamen exercitus, pro illa rerum ac temporum conditione vidimus. In tanto rerum motu quanta prudentia opus eſſet agenti cum Rege illo, qui unus omnia miſcebat, non eſt, cur pluribus explicem. Ea fuit Ludovici natura atque indoles, ut audendum in loco crederet, & fortunæ fidendum, quæ nimiis conſultationibus fatigatur: cum ex adverſo Rerump. ratio poſcat, ut nihil fiat niſi conſulto, nullaque conditione committatur, ut liberæ civitatis homines ad incerta caſuum trepidare debeant. Quapropter Regis conſilia cum laudarentur officii cauſſa, reſiſtere tamen periculoſa proponenti oportebat, atque ita moderari reſponſa, ut & cauſſam ſuam probari crederet, nec tamen in illam poſſe deſcendi. Attamen Rex,

ut

ut erat ſummo ingenio ſummaque prudentia prædiтus, non ſolum non querebatur, ſed quoties opus eſſet, PISANUM libenter audiebat, complexuſque favore omni, credi mallebat, ſe homini tribuere, quod tempori dabat. Abſoluta legatione, quæ jam quinquennium exceſſerat, diſcedendum fuit: quo tempore maxime apparuit, quantus eſſet erga ALOYSIUM non Regis modo, ſed Aulæ totius, atque adeo civitatis amor, collatis in illum undique officiis, donis ultra morem & exempla liberaliter datis, votis etiam pro ejus itinere, tantum non publice, ſuſceptis.

In patriam cum rediiſſet, Sexvir publicis regendis conſiliis creatus, ſingulari quadam innocentia, fide, integritate Remp. adminiſtravit; eamque de ſe omnibus opinionem indidit, ut locum hunc tam celſum non alia de cauſſa quærere crederetur, ſi modo quæſivit umquam, niſi ut multis benefaceret. Itaque nemo unus inventus eſt neque ætate noſtra, neque ſuperioribus, qui tanta illum civitatis approbatione, tamdiuque tenuerit, donec ad ſummum evectus eſt. Inter hæc, jactatis Europæ rebus, cum Britannici regni poſſeſſio ad Annam veniſſet, Legatus extra ordinem ad gratulandum miſſus eſt, una cum Equite Nicolao Eritio, magni nominis Senatore. Quid quæritis? Cum res tota ad dignitatem & pompam referretur, nec ignoraret ALOYSIUS, hac ipſa de cauſſa munus hoc ſumtuoſum & grave ſibi potiſſimum fuiſſe delatum; quibuſcumque rebus potuit, efficere conatus eſt, planeque effecit, inſtituto per Germaniam itinere, ut Veneti Senatus majeſtatem circumferre videretur. Ubi vero

ro Londini fuit , ubi ſe Britannis oſtendit , ubi in conſpectu Reginæ ſtetit, ut officioſe pro Rep. faceret ; quanto rerum omnium apparatu , quam ſplendido, quam magnifico uſus eſt ! Magnopere vereor , ne quis exiſtimet , me ex communibus locis laudes ALOYSIO quærere ; qui tamen illa ipſa cum faceret, quæ communia ſunt , pro animi ſui magnitudine ita faciebat , ut communia eſſe deſinerent , ejuſque propria viderentur ac ſingularia. Hinc factum eſt, ut cum Carolus VI. Romanorum Imperator Mediolani eſſet , & Catholici Regis titulo urbem illam teneret , idem ad gratulationes & officia eligeretur ; addito collega Andrea Legio D. Marci Procuratore, qui animo præditus æque magno , cuncta fieri vellet, quæ in tanta Italiæ luce Veneto digna nomine judicarentur. Nihil profecto Legatione illa neque fieri, neque cogitari magnificentius potuit, nihil ornatius, nihil gravius ; ad quam celebrandam , præter ipſum Legationis comitatum longe pulcherrimum, fama rei ex vicinis civitatibus viros nobiliſſimos acciverat. Eminebant ſupra omnia Legati ipſi, hominumque oculos ad ſe trahebant ; quod conſtaret , non mitti extra ordinem a Senatu niſi ſummos viros & in rebus graviſſimis exercitatos.

Jam vero litteræ quoque præſidium ab ALOYSIO ſibi quærebant ; litteræ, inquam, quæ ſi magnis patrociniis careant , vel parum procedunt , vel in ipſo curſu fatigatæ contabeſcunt. Hunc igitur ſibi patronum depoſcebant , & rerum ſuarum moderatorem , qui honeſtatem & verecundiam amaret , velletque modeſte petentibus , vel

et-

etiam non petere auſis, jura ſua tribui. Res ex voto cecidit. Nam Patavini Gymnaſii cura & adminiſtratio ad illum delata eſt, hominem non dicam litteratum (cur enim illi bonis ſuis tam multis ornato tribuantur aliena? *Tu regere Imperio populos, Romane, memento: hæ tibi erunt artes.*) ſed tamen nec illitteratum, & ad recte de litteris judicandum natura ipſa rerumque uſu ſatis idoneum. Magiſtratu hoc tam gravi, quem majores noſtri inter primos eſſe voluerunt, iterum ac ſæpius defunctus, quantam ſibi exiſtimationem & benevolentiam apud ſingulos & univerſos, qui in hoc curriculo ſumus, compararit, cum multa declarant, tum in primis monumentum illud, quod ejus nomini in ipſo Gymnaſio communibus impenſis poſitum eſt ad memoriam poſterorum ſempiternam. Nos, quod unum licuit, voluntatem erga illum noſtram verbis teſtati ſumus: at Reſp. titulis & honoribus, quantoſcumque capere civis poteſt, non dicam datis, ſed effuſis ALOYSIUM ornavit, auxit, cumulavit. Nam cum Eques jam eſſet, qui fructus communis legationum eſt, eoſque magiſtratus teneret, quos modo memoravi, ipſa quoque D. Marci Procuratio, dignitas in civitate maxima, & uno Principatu minor, incredibili civium conſenſu populique ſtudio, ubi primum tulit occaſio, adjecta illi eſt. Statim erecti omnes in gratulationes, & publicæ poſſeſſionis ſpectaculum; quod ſane fuit ejuſmodi, ludis, congiariis, totius urbis ornatu, ut neque tot annorum curſu, neque exemplorum ſimilitudine ejus memoria deleri potuerit. Fama rei late pervaſerat, nihilque magis homi-

Virgil. 6. 852.

mines expectabant, quam ut vertentibus annis ſupremam in civitate ſedem ALOYSIO fortuna præberet: fortuna, inquam, quæ in hac una Reip. parte plurimum valet, & cum virtute meritiſque ita certat, ut interdum ſuperior ſit. Ventum igitur eſt ad interregnum. Meminiſtis, opinor, qui concurſus ad Piſanorum ædes ſtatim factus ſit, quantus univerſi populi favor, quæ voces, & quam inſolitæ animorum ſignificationes. Forte accidit, ut cum eo peteret Senator graviſſimus, ætate major, Eques ac D. Marci Procurator, Carolus Ruzzinus, cui cum a virtute nihil deeſſet, ne fortuna quidem deeſſe voluit. Magnum repente conſecutum eſt civitatis ſilentium ob ſummam hominis auctoritatem, quem ordines omnes ſuſpiciebant, & loco dignum ſine controverſia fatebantur. Verum fervente adhuc in Piſanos patrum populique ſtudio, ipſa D. Marci Procuratio a Ruzzino depoſita ad ALOYSII fratrem Carolum Equitem translata eſt; quod uni accidit ex omni memoria non petenti. Ego equidem quoties reputo tantum illum animorum motum, de quo nec dici ſatis, neque fortaſſe cogitari poteſt; ſic exiſtimo, ſi illi ipſi, qui Remp. hanc conſtituerunt, patriæ parentes in hanc honoris contentionem cum Carolo veniſſent, repulſam fuiſſe laturos. Nolim tamen exiſtimetis, impetu potius, quam conſilio factum, ut dignitas tanta Carolo tribueretur. Modus & tempus ad gratiam, qua ſummopere valet Piſanum nomen, referri debet; res ipſa ſtat jure ſuo. Cum enim vellent cives obtrectanti fortunæ reſiſtere, & deſiderio ſuo facere ſatis, quæſierunt aliquid, in quo ratio ſola

P &

& libertas valeret. Non eſt hic locus, ut de Caroli meritis dicam, quem a prima adoleſcentia in omnibus Reip. bellis fortuna virtuſque exercuit, ipſum quoque Principali faſtigio dignum, niſi maluiſſet fratri cedere. Interim ALOYSIUS animum revocavit, ſuamque repulſam recte, ut debuit, interpretatus, fratris honorem erectus & alacer excepit. Satis enim perſpiciebat, pro conſueto naturæ curſu non ſibi negari, quod petierat, ſed differri, ut familiæ tituli dignitateſque augerentur; & hoc ipſum in beneficii loco ponendum ſperabat, quod non ſtatim obtinuiſſet. Ita prorſus evenit. Etenim extincto Ruzzino, quaſi jus ad rem prima illa petitione acquiſiviſſet, nemo præter illum inventus eſt, qui nomen ſuum profiteretur. Non deerant ſane, qui putarent, ſibi cauſſas eſſe profitendi; ſed noluerunt cum eo de dignitate certare, qui eſſet omnium ſine controverſia meritiſſimus. Hic vero ineptus plane ſim, ſi putem poſſe me ſpeciem aliquam illorum dierum informare dicendo, quibus de novo eligendo Duce actum eſt, electuſque ALOYSIUS in populi conſpectum venit. Cum ordines omnes præter morem læti eſſent, plebs bacchari quodammodo & furere lætitia videbatur; viæ, fora, templa novo quodam genere plauſus & acclamationibus perſonabant; cives civibus non tamquam de communi bono, ſed de ſuo quiſque, gratulabantur. Hic mihi triduum illud explicandum eſſet per ludos & ſpectacula ſplendidiſſime actum. Sed utcunque dicendo contendam, nunquam tamen illis, qui viderunt, ſatisfaciam. Sunt enim quædam, quæ verbis exprimi nequeunt;

&

& cum eloquentia res parvas ornet, in magnis ſæpe deficit. Enimvero ſiqua umquam in hac urbe Romani triumphi imago fuit, ex illa novi Ducis proceſſione ſpecies aliqua ad conjiciendum duci potuit. Reliqua ſubinde conſecuta ad initia tantæ dignitatis illuſtranda proceſſioni paria fuere. Ceterum traducta in Prætorium familia omni, Hermolaus frater a domeſtica bibliotheca divelli non potuit. Hermolaus, inquam, Senator emeritus, quo uno neminem vidi, qui animum ab honorum cupiditate facilius revocet, qui ſeipſo magis gaudeat, qui humanæ vitæ viciſſitudines benignius interpretetur. Hujus in primis cura factum eſt, ut bibliotheca ad civitatis commodum in Piſanis ædibus conſtrueretur; nullaque conditione committendum putavit, ut honoris ſpecie ſuum illud ſenectutis ſolatium dեſereret, in quo jamdiu conquieſcebat. Interim Aloyſius viam omnem ac rationem quærere cœpit, qua ſe ſuis civibus probaret, & veterem, quæ de ipſo erat, expectationem ſuſtineret. Quid enim fuit, quod a Veneto Principe vel in Rep. adminiſtranda præſtari poſſet, vel in perſonæ dignitate tuenda, vel in publicæ majeſtatis ſplendore ſuis exteriſque oſtendendo, quod non abunde præſtiterit opera, conſilio, largitate?

Negari profecto nequit, magnum aliquid in divitiis eſſe, quod homines capiat & in admirationem trahat: attamen ſapientum judicio majores habentur, qui eas contemnunt, quam qui habent. ALOYSIO utrumque contigit, & habere, & contemnere. Tantam hanc ſeu virtutem, ſeu felicitatem reliqua comitabantur animi bona, quæ

quidem mortalis natura capit, & quæ qui habent, beati dicuntur; ſingularis quædam ad optima quælibet ſuſcipienda voluntas; ordo & conſtantia vitæ non ad legem modo, ſed ad rationem compoſitæ; eximia rerum omnium diligentia etiam minimarum; exquiſitum & elegans in veſtibus, in ſervis, ceteroque rei domeſticæ apparatu judicium; ſumma in rebus contrahendis æquitas & facilitas; dictorum & factorum omnium pro ſua dignitate gravitas, & cum gravitate conjuncta moderatio; pietas & religio nec privatim intermiſſa umquam, & publice ad exemplum ſplendide culta. Hæc ſcilicet homines movebant, ut ALOYSIUM magnopere admirarentur ac diligerent, ut honores omnes illi delatos vellent, ut prodeunti ſine ſatietate acclamarent. Accedit, quod natura quoque ſuavitatem quamdam induxerat ori ejus, quæ aſpicientes ſtatim alliceret, & ad benevolentiam conciliaret. Quid vero ſi ſe tibi daret, ſi alloqueretur, ſi operam ſuam promitteret? Tum ſane non vultus dumtaxat, ſed ipſæ quoque cordis affectiones apparebant: ut ſi nihil daret niſi verba, tamen verba ipſa, ex animo ducta minime tecto, pro factis acciperentur.

Sed quæret fortaſſe aliquis, numquid in tanto proſperitatis curſu ALOYSIO contigerit, quo ſe hominem eſſe & humanis caſibus obnoxium reputaret. Eſt enim quiddam in ipſa quoque felicitate nimium; ſi humanam naturam & mortalitatem Chriſtianis momentis expendamus. Quin etiam contigere multa gravia & atrocia, eaque fere in ipſo ſecundarum rerum articulo. Sed qui alienis calamitatibus ita commovebatur, ut eas

aſpi-

aſpiceret tamquam ſuas; idem in ſuis fortiſſimus erat. Nolo ſingulas commemorare, ne illam attingam mihi quoque acerbiſſimam, quæ Principatus initia contaminavit. Id unum dicam, quod omnibus notum eſt, & crebris ſermonibus per hoſce dies ad miſerationem repetitum, vidiſſe illum non modo parentum ſuorum interitum, quod æqua naturæ lege comparatum modice ferri debet; ſed & uxoris, & fratrum, & filii, & nepotis, temporibus alieniſſimis: cumque ſuos omnes vehementer amaret, nullam tamen in tantis luctibus doloris ſignificationem dediſſe, quæ modum excederet. Accidit, audiente me, ut honeſta lætitia exultanti luctus denunciaretur. At ille compoſito celeriter animo reſpondit, quidquid boni Deus dederit, eo loco ponendum eſſe, ut idem repetere, nobis non repugnantibus, ſtatim poſſit; ſe quidem nec extolli rebus proſperis, nec adverſis deprimi. Ceterum ſiquis inter ejus infortunia recenſet, quod repente ſublatus ſe mori non ſenſerit, is mihi de humanis rebus non recte judicare videtur. Hoc ego ipſum ad quemdam quaſi cumulum felicitatis refero, quod non morbo proſtratus & ſenſim confectus luctari cum natura debuerit; quod non fœdam mortis ſpeciem ac terrificam aſpexerit; quod propinquorum lectulo adſtantium lamentationes non audierit; verbo dicam, quod vitam cum vita commutarit. Cum enim ille in hoc poſtremo quaſi actu, quo Principis perſonam ſuſtinuit, nullis ambitionibus diſtractus ſibi uni vacarit, atque ita vixerit, ut ſiquid humanitus accideret, quotidie paratum inveniret; quid erat optandum magis, quam ut e-

jus animus, fractis repente vinculis, momento temporis liberaretur? Quidquid eſt igitur in hac repentina morte calamitatis, non ad ALOYSIUM, ſed ad nos pertinet, coactos carere adjumentis, quæ adverſus mala ſumma paullatim ingruentia parari ſolent. Si ille febri correptus jacuiſſet dies aliquot, ac veluti per gradus veniſſet ad extrema; licuiſſet nobis inter ſpem metumque jactatis parare animos in partem utramque; licuiſſet haurire oculis aviditate ultima vultum ejus; licuiſſet ad Superos abeunti ſupremum vale dicere, noſque illi ac noſtra commendare: id quia non licuit, jure dolemus. Veruntamen quia dolemus de incommodo noſtro, videndum eſt viris bonis & fortibus, ex hoc genere quantum liceat. Excitemus mentis vires; & quod tempus eſt allaturum, conſilio & prudentia prævertamus. Non probat ille certe dolorem noſtrum in æterna animorum quiete collocatus, qui dum viveret, ferre non poterat, quippiam alteri ſua cauſſa moleſtum eſſe. Deſiderio noſtro delectari poteſt, mœrore non poteſt. Demus hoc Principis memoriæ de nobis meritiſſimi, ut nihil agamus, quod non ſit ex voto ejus. Hac vos in primis cogitatione animum confirmate, Religioſiſſimi Patres, qui peculiari hoc officii genere Duci optimo parentare voluiſtis, factiſque pro more ſacris ad expiandas minores culpas, quibus in tanta naturæ infirmitate nulli fere mortalium carent, laudes ſupremo Numini grateſque agite, quod vir tam bonus, tam integer, tam pius, humanæ vitæ laboribus ac periculis egregie functus, in beatorum ſedes ſubito facilique tranſitu convolarit.

At-

Digitized by Google

Atque hæc ad hominem. Ad patriam quod attinet, quidquid in hoc infortunio jacturæ eſt, ſatis ſuperque publici Conſilii prudentia reparavit, ſuffecto cive illo ſui ordinis principe, qui ab ipſa adoleſcentia in Reip. adminiſtratione verſatus nihil unquam ſuſcepit, ſive domi ſive foris, quin ſumma felicitate perfecerit; quem tota civitas ſingulari ſtudio ac benevolentia proſequitur; cui natura ipſa & rectum ingenium, & ſpeciem imperio dignam largita eſt. Ergo cum juſta Piſano ſolverimus, pro novi felicitate regiminis vota faciamus; ut quando in humanis nihil eſt æternum, ſic tamen diuturnum ſit, ut noſtra omnium deſideria expleat.

EPISTOLA

AD LECTOREM.

ORationem hanc ſemel atque iterum ab aliis editam, & publici juris jam factam, mihi quoque proferre libet, ceteriſque conjungere. Et quia pro temporis brevitate, quo ſcripta eſt, alicubi paullo anguſtior videbatur, magiſque Orationis Commentarium, quam Oratio, ubi commode fieri potuit, eam nonnihil extendi. Principis tanti merita fortaſſe poſcebant, ut capita rerum ſingula plenius explicata pro dignitate dilatarentur; ſed nec fides publica patitur, nec ſtili ratio ad eas temporis anguſtias accommodata, ut nimis multa adjiciantur. Intelligentibus id erit ſatis, litterariæ plebeculæ admodum nihil. Vale.

ORATIO XIII.

AD DIALECTICAM

Habita in Gymnaſio Patavino coram

JO. ALOYSIO MOCENICO

PATR. VEN. URBIS PRÆTORE.

Dialectica quaſi contracta & adſtricta Eloquentia putanda eſt; Eloquentia vero Dialectica dilatata. Cic. in Brut. cap. xc.

QUa ſexdecim ante annos alacritate Philoſophicum ſtudium intermiſi, ut humanitatem & eloquentiam, ad quam me natura ipſa illiuſque ætatis impetus ferebat, amplecterer, eadem nunc, deferveſcente jam ſanguine, ad primum illud inſtitutum redeo; rerumque mearum fata, manifeſtis indiciis cognita atque comperta, libentiſſime ſequor. In quo videor mihi, ſi licet cum magnis parva componere, divini illius hominis, cujus ingenium unice admiratus, imitari etiam pro viribus ſemper ſtudui, M. Tullii dico, litterarum curſum vitæque inſtitutionem aliquo modo tenere: niſi quod ille, mutato reip. ſtatu, ab arte dicendi cum jactationibus fori curiæque conjuncta, in Philoſophiæ quaſi ſinum & complexum ſe ſe recepit, ubi conquieſceret; ego improviſa quadam mutatione rerum a Rhetoricis ad Philoſophica rejectus, in novum diſcrimen adducor, eoque periculoſius, quo locus hic in totius Eu-

Europæ luce collocatus, majorem operam induſtriamque requirit, quam quantam ad veteres illas noſtras exercitationes, honeſtas quidem ac liberales, ſed tamen anguſtis terminis circumſcriptas, olim afferebamus. Atque utinam Cicero, quæ initio Topicorum pollicitus fuerat, abſolvere potuiſſet; aut, ſi quidem abſolvit, vetuſtas & barbaries non confeciſſet; ut quemadmodum in dicendi ſtudio ab eo numquam diſceſſi, ita in hoc diſſerendi, quod nunc aggredior, eo duce atque interprete uti poſſem. Attamen erit in poſterum quoque, ubi illum cum Ariſtotele non inepte componam: non quod nullam eſſe Dialecticam putem in ſcholis ferendam, niſi ex fontibus Rhetoricæ manet, vel in eos demum derivetur, quod ipſum tamen nec ſine ratione, nec ſine auctore facerem; ſed quod artes ipſæ natura valde ſimiles in eadem ſæpe veſtigia incurrant, & communione quadam rerum plurimarum contineantur. Ex quo fit, ut in eodem ſtadio manere quodammodo mihi videar; aut certe non tam longe abire, quam homines quidam exiſtimarunt, de nobis illi quidem optime meriti, ſed pro humani ingenii cura plus nimio ſolliciti. Ipſe quoque me ad eorum judicium aliquando compoſui; & in ſpeciem dolentis conformatus, quod ita requirere viderentur, quaſi ad Antipodas mitterer, officiôſe reſpondi. Nam & periculoſum putabam, quid eſſet Rhetorica & Dialectica, extra loci hujus auctoritatem docere velle; & utcumque acciperer, plane videbam, tam gravem diſputationem tamque illis inauditam familiari ſermone expediri non poſſe. Nunc jam publico decreto munitus,

tus, & quod in hujuſmodi rebus valere plurimum debet, ſapientiſſimorum virorum præſentia & judicio confirmatus, curam illis omnem ac dubitationem eximam; tantamque oſtendam horum ſtudiorum conſenſionem eſſe, quanta eſſe maxima in litteris poteſt. Quod antequam faciam, Triumviris litterariis, totique Veneto Senatui, muſarum noſtrarum cuſtodi, præſidi, moderatori, laudes grateſque ago; quod hoc mihi bonarum artium omniſque doctrinæ domicilium patere voluerint; ubi, ſiquid poſſem, ad florentiſſimæ juventutis inſtitutionem expromerem, & immortalis Reip. gloriæ ipſe quoque ingenio tam exiguo pro virili parte conſulerem. Fecere illi ſane pro ſuæ magnitudine auctoritatis, cum me nihil tale cogitare auſum, & in umbra pæne privata deliteſcentem, repente in hanc lucem extulerunt, quam ſiquis non reformidat, is mea quidem ſententia aut ſupra mortales videt, aut nihil videt. Et quamvis certo ſciam, ab eorum conſiliis divinam quamdam vim ac providentiam pro rerum humanarum ordine abeſſe non poſſe; quæ me cogitatio valde erigit atque confirmat: attamen cum reputo, quibus me quantiſque Viris adjunxerint; quidve præſtare debeam, ut in clariſſimum ordinem non irrepſiſſe videar, ſed veniſſe, magno quodam æſtu commoveor; nec mehercule, ſiquid eſt in tanta honoris amplitudine jucunditatis, ut certe debet eſſe plurimum, ejus ego fructum, niſi facto virium mearum periculo, magnaque itineris parte confecta, percipere me poſſe ſpero. Sed jam audere incipiamus, & quæ ſit Rhetoricæ cum Dialectica affinitas, uti modo poſi-

tum

tum eſt, ex ipſarum natura, & antiquitatis teſtimonio explicemus.

Sentio me in quæſtione verſari neque nova, neque difficili; in qua multa de medio ſumta, & Latinis Græciſque litteris vulgata afferre neceſſe ſit. Sed primum qua de re Dialectici Rhetoreſque omnes initio ſuorum operum ſcribere ſolent, non mihi de illa tacendum puto; nec ſiquid verum ab illis dicitur, iccirco omittendum, quia ſit occupatum; quæ ratio ſi valeret, jamdudum homines de rebus præclariſſimis ſiluiſſent: deinde non omnia, ut ſpero, communia erunt: tum communia ipſa & publica ſiquis conferre voluerit, inveniet a nobis more quodam noſtro pertractata, & quomodo jubet Horatius, *privati juris facta*. Atque hoc primum conſtituo, orationem omnem, quæ ſit modo litteris ac luce digna, Grammaticorum opera indigere ad emendationem, Rhetorum ad ornatum & elegantiam, Dialecticorum ad fidem & probabilitatem. Id enim mihi dari puto atque concedi, noſtram hanc ſive Dialecticam, ſive Logicam ἀπὸ τῦ λέγειν, ideſt *a loquendo* nomen inveniſſe, in eoque eſſe poſitam: qua de re vix ullus jam dubitat; niſi forte illi, qui eam *Cogitandi Artem* appellare malunt, de quibus poſtea verba faciam. Igitur, cum ſit nihil homini pulchrius, quam loqui; nihil vero dignius homine litterato, quam recte loqui; totum hoc tanti momenti opus triplici diſciplina comprehenſum eſt, ut veluti per gradus perficeretur. Ætas prima, quæ minus ingenio valet, in ſermonis proprietate cognoſcenda exercetur; & cum pure atque emendate poteſt, hoc eſt ſine ſolœciſmis

&

& barbariſmis verba componere, Grammatice loqui dicitur: proxima, in qua roborari animus incipit, & ipſe per ſe aliquid parere, ad ornandum & augendum promovetur, in quo eſt eloquentiæ virtus: tum demum quæ ordine ſuccedit ætas, ad inveniendum & judicandum apta, argumentandi vim & rationem perſequitur; ut rebus dubiis fidem faciat, & aſſenſum temere negantes tamquam telo pervincat & jugulet. Quamquam vero hæc rationis inveniendæ atque adhibendæ facultas, quæ Logica dicitur, aliquo modo ſtare ſine Rhetorum arte poteſt, velut oſſa nervis adſtricta; attamen Rhetorica ipſa ſine Logicæ præſidio nulla eſt, ut ſuccus & ſanguis humani corporis ſine oſſibus ac nervis conſiſtere nequit. Quod ſiquis recte accipere voluerit atque expendere, cito intelliget, quicumque probationes ab Eloquentiæ ſcholis ablegarunt, in quo graviter ab Ariſtotele Rhetoricorum initio reprehenduntur, non eos quidem exiſtimaſſe, dicendi artem tueri ſe nomenque ſuum ſine probationibus poſſe, ſed eas petendas ab alia facultate eſſe, cujus tota ratio & natura in hoc uno conſiſteret. Nunc quandoquidem cum Ariſtoteles, tum Cicero, tum etiam Quinctilianus (quid enim alios attinet commemorare?) probationes quoque in Rhetorum ditione eſſe voluerunt, iiſque locos aſſignarunt, quibus ad inveniendum uterentur, non jam mihi duæ iſtæ facultates ſociatæ videntur ad eam, quam modo dixi, loquendi virtutem perficiendam, ſed in unam quodammodo coaluiſſe; quæ cum fuſe lateque incedit, verborum ac ſententiarum luminibus ornata, Rhetorica appellari ſolet, cum ſub-

ſubtilior eſt & ſqualidior, Dialectica nuncupatur. Nam cum ajunt horum ſtudiorum duces atque antiſtites, Rhetoricam rebus Civilibus contineri, reliquis Dialecticam; alteram certa tempora cauſſaſque complecti, quæque illis conveniant videre; alteram in ſummis generibus verſari, non habita rerum ſingularum ratione; hanc ſcrutari naturam rerum, uti eſt, vel ſapientibus eſſe videtur; illam populares opiniones ſequi, ex iiſque argumenta ducere; diſcrimen afferunt ſane aliquod: at cum iidem ſcribunt, utramque in rebus omnibus cerni, nullis regionibus clauſam; quæſtiones finitas ad infinitas revocari; tum Oratorem, tum Dialecticum diſputare in partes contrarias; utrumque communia quærere; utrumque ab judiciis hominum pendere; utrumque fidem facere dubiam & labantem; tum vero cuncta miſcent, & unum quoddam atque idem diſputandi & dicendi genus efficiunt. Hinc nihil frequentius apud illos, quam alteram facultatem ex altera efflorеſcere; ſibi invicem reſpondere; mutuis rebus ali; Dialecticam contractam eſſe Eloquentiam, Eloquentiam Dialecticam eſſe dilatatam: quæ loquendi formæ quamquam niſi in res duas aliquo modo diverſas cadere nequeunt; attamen differentia ita eſt exigua, ut nec rerum variare naturam, nec omnino in quo conſiſtat explicari facile poſſe, viri ſapientiſſimi judicaverint. Sed hæc ſingillatim atque ordine videamus. Quacumque de re diſputetur, tria ſunt ferme conſideranda, id de quo ambigitur, argumenta ad probandum comparata, & argumentorum explicatio: quæ ſingula ſi ſuis ponderibus examinentur, vix leve quiddam inve-

veniemus, in quo non ſibi inter ſe Artes iſtæ conveniant. Et ut a primo incipiam, quæ diſputandi materia eſt, & quæſtio in ſcholis dicitur, illud firmum ratumque puto, tam Rhetoricam quam Dialecticam per omnia rerum genera fundi, & in omnibus ſuo quodam modo dominari. Sunt quædam, Auditores, ita ſimplices ac perſpicuæ veritates, ut verbis explicari, & oſtendi quaſi digito poſſint, probari rationibus omnino non poſſint. Non multis igitur contendam. Quidquid in rerum natura, aut ſupra naturam eſt, qualecumque ſit, aut eſſe videatur, ne in mentem quidem cadere poteſt, & intelligentia comprehendi, niſi ſit ejuſmodi, ut dici de illo, ac diſſeri poſſit. Quod ſiquis Hermogenis auctoritate movetur, aut Cornificii, qui quæ moribus ac legibus ad uſum civilem ſunt conſtituta, Oratori tribuunt; cetera a vulgo remota, quæ intelligendi diſciplinam conſtituunt, Dialectico aſſignant; hunc ego ad illos adducam, quos paullo ante nominavi, rei litterariæ conſtituendæ quaſi Triumviros, Ariſtotelem, Ciceronem, Quinctilianum, quibus ſi credimus, & dicendi & intelligendi & judicandi magiſtris ſine controverſia peritiſſimis, nullis neque Rhetorica, neque Dialectica coercenda finibus eſt; quamvis altera in foro præſertim ſedem habeat ac domicilium, altera libentius in rebus verſetur Philoſophicis. At illis, credo, reſpondere difficile fuerit, qui ſtatuunt Oratoris operam intra cauſſas & controverſias concludi, quas Græci hypotheſes dicunt, quæſtiones autem univerſales in poteſtate eſſe Dialecticorum. Ita videlicet, niſi idem ille Cicero, qui hæc in primo

de

de Inventione ſcripſerat, contraria deinde & *in Oratore*, & *in Topicis* præcepiſſet, omnemque theſim ad dicendi copiam Rhetori conceſſiſſet. Porro cum dico, Ciceronem præcepiſſe contraria, ex aliorum ſententia dico. Nam ego quidem ita exiſtimo, cum ea, quæ in facto ſunt, proprie & per ſe ad Oratorem pertineant, id primum ab illo fuiſſe præceptum; deinde vero cum animadvertiſſet, latius de toto, quam de partibus dici poſſe, non ſane quæ ſcripſerat, improbaſſe, ſed illud inſuper addidiſſe, ut in media cauſſa a certis perſonis ac temporibus, velut ex anguſtiis, avocaretur oratio, & in ampliorem arenam adduceretur. Quare cum illi pro Sex. Roſcio Amerino dicendum eſſet, non theſim de parricidis poſuit, ſed hypotheſim, num Sex. Roſcius patrem occidiſſet; quam deinde a Roſcii perſona ad ſummum rei genus traduxit, & de culpa ſupplicioque parricidarum divinitus diſputavit. Sequitur argumentum, ex quo alterum diſcrimen, ſiquod modo eſt, duci debet. Ajunt enim, Logicam ſcrutari naturam rerum, ex eaque rationes capere, quæ aut veræ ſint, aut proxime ad veritatem accedant; Rhetoricam argumentis uti popularibus, qualibet contentam veritatis ſpecie, magiſque fidem & perſuaſionem, quam ſcientiam parere. At mihi quidem non ita videntur Dialectici de veritate ſolliciti, quæ una eſt in rebus omnibus: ſiquidem eorum eſt inſtitutum differere in partem utramque; & parens artis Zeno (Eleatem dico) bilinguis eſt appellatus, quod contraria defenderet. Nam quod aliqui clamant, Sophiſtarum eſſe in Rhetorum ditionem irrepere, & per ea diſ-

pu-

putare, quæ nihil habeant veri niſi ſpeciem: videant, opinor, quantum ſibi licere in Sophiſtas exiſtiment, & quatenus ab hoc nomine abhorreant, quod ipſum per ſe neque turpiter ſonat, nec antiquis temporibus caruit honore. Sophiſtæ enim & Solon, & Pythagoras fuere, ut ſcribit Themiſtius in Orat. 4. qui cum animi & ingenii cauſſa, non fraudis aut quæſtus differerent, tantam doctrinæ & ſapientiæ famam collegere, quantam nemo ignorat, niſi omnem ignoret litterarum hiſtoriam. At vero cum honeſta & liberalis exercitatio in vitium decidit; multique ſe huic ſtudio dediderunt, quibus aliud nihil propoſitum erat, quam ut homines minus ſagaces fallacibus concluſiunculis implicarent, & ex alieno errore lucrum facerent; magna invidia Sophiſtæ laborare cœperunt, & in novam quamdam familiam compulſi ſunt, quæ a germanis Dialecticis non quidem δυνάμει (ut verba ipſa Ariſtotelis teneam) ſed προαιρέσει differret. Tanti ne igitur iſtorum audacia, qui nobiliſſimam facultatem corrumpere tentarunt, apud nos erit, ut eorum cauſſa de jure noſtro decedamus, in locum coacti tam anguſtum, quam anguſta in rebus humanis veritas eſt? Totam ne igitur Logicam, levium Sophiſtarum odio, ad exiguam illam partem contrahemus, quæ ne Logica quidem dicitur ab Ariſtotele? Si enim veritatis nomen ſuis terminis coercere velimus, ut nihilo plus ſignificet, quam quod explicari per cauſſam poteſt ac demonſtrari, non Logici, ſed Analytici juris eſt. Quod ſi vocem hanc late ſumimus, ut omnia complectatur, quæ aliquo modo vera & neceſſaria ſunt, tametſi

Rhet. l. 1. c. 1.

ſi per cauſſam non demonſtrentur; Logica quæ dicitur ab Ariſtotele, non ita veritatem occupavit, ut ſola teneat. In hanc quoque ſegetem interdum Rhetores veniunt; nulliſque ſibi legibus edictum putant, ut vera ubi invenerint, iis abſtineant. Id niſi eſſet, cur in Porticus & Lycea a Cicerone & Quinctiliano mitterentur, ut divinarum humanarumque rerum ſcientiam ſibi compararent? Cur & jura civitatum, & populorum mores, & Deorum immortalium religiones, & quidquid a Philoſophis de natura ſcriptum eſt, cognoſcere juberentur, ſi ſe ad imperitorum captum ubique conformare deberent; nihilque poſſent ex veritatis & ſapientiæ fontibus ductum oratione explicare? Pauca ſunt, inquit Ariſtoteles in lib. I. Rhetor. t. 91. *neceſſaria, ex quibus Rhetorici ſyllogiſmi fiunt*. Concedo eſſe pauca; ſed tamen ſunt aliqua. Ex quo ſequitur illud, nullum eſſe locum, cujuſcumque tandem ſit notæ, Rhetori interclusum; ſapienterque factum a Cicerone eſſe, cum illos ipſos, quos Philoſophus noſter ad Logicas diſputationes paraverat, Oratoriis exercitationibus cauſſiſque accommodavit. Topica dico; quorum interpretationem cum quæſiſſet Trebatius, ut eſt ejus libri initio, ad Rhetorem miſſus eſt. Quamquam mihi ex Topicis cito abeundum eſſe intelligo, quod pulcherrimam hanc artis partem, & natura primam, & uſu planiſſimam, Dialectici noſtri dudum omiſerint, ut ſe totos alteri darent, quæ in judicando poſita eſt. Moverant aliquando ſcholas rei tam neceſſariæ indormientes, viri doctiſſimi Agricola, Ramus, Gorſcius, Titelmannus, Perionius, Carbo, Tra-

pezuntius: ſed quia nimis multa requirere videbantur, quæ ſimulari non poſſent, vicit conſuetudo; jamque ætas noſtra, cum Ariſtotelis Categorias, & pauca quædam de enunciationibus delibavit, octo ipſos Topicorum libros, tamquam alienos prætergreditur, & in illo Analytico Mæandro, multiplici, obſcuro, impedito conſeneſcit. Omnis igitur eorum, qui nunc regnant, Dialecticorum induſtria ad argumenti refertur tractationem, quod erat a nobis tertio loco poſitum. Quia porro non unus eſt argumentandi modus, ſyllogiſmum & inductionem ſibi ſumunt, enthymema & exemplum relinquunt Oratori. Siquis autem ab iis quærat, quid ſit enthymema & exemplum; alterum ad ſyllogiſmum, alterum ad inductionem referunt, tamquam partem ad totum, & imperfectum ad perfectum. Primum quidem hæc ipſa partitio ſatis oſtendit, ea in quæ cadit, genere ſaltem convenire: deinde illud quæri poſſe videtur, quomodo argumentationis forma imperfecta & anguſta Eloquentiæ tribuatur, cujus natura nihil magis refugit, quam jejunitatem; plena & perfecta aſſignetur Dialecticæ, quæ copiam & ubertatem neque deſiderat, neque capit. Sed num enthymema ſit id, quod iſti putant, & qua ratione differat a ſyllogiſmo, alias examinabimus. Nunc, quoniam in argumenti explicatione verſamur, illud per mihi mirum videri ſolet, cur ab Ariſtotelis more deſciſcant, qui ſe puſillos Ariſtoteles putant, homines neſcio qui, quorum oratio tota argumentis conſtat eodem cadentibus, & per veterem quamdam cantilenam numeratis, non brevis, non preſſa, non facilis, non

per-

perſpicua, non ulla denique earum virtutum prædita, quas ipſi magno ſupercilio ab aliis requirunt. Hoſne ego Dialecticos appellem, hoc eſt acres & conciſos diſputatores, qui quæcumque proferunt, in longas & inanes propoſitiones atque aſſumtiones dilatant, crebris concluſionibus in orbem volvunt, bis terve ſingula repetunt, in minimas quaſque particulas ſecant; ne illa quidem enunciata ſine ſuis formularum ambagibus dimittentes, quæ notiſſima cum ſint, nemo niſi bardus ad garrulitatis gloriolam impugnat? Si hoc ex arte fit, valeat Ariſtoteles, qui hac arte tota caret. Hæc enimvero illa Dialectica eſt, cum qua nihil commune Rhetores habent; quæ tantum ab Eloquentia, quantum a ſanitate diſtat; quæ tota argutulis fallaciis conſtat ad oſtentationem comparatis; quam nemo neque profiteri, neque mehercule intelligere poteſt, niſi omni abjecta litterarum humanitate, in barbariem ac cœnum ſe ſe conjiciat. Quid? An tu, inquiet aliquis, ne illud quidem concedis communi opinione vulgatum, Dialecticorum eſſe adſtrictum loquendi genus, fuſum ac multiplex Oratorum? Nempe concedo libens: ſed primum quidem velim, duo hæc genera recte finiri; quod certe non faciunt Logici noſtri, dum rebus ſunt preſſi, verbis redundantes: deinde illud quoque velim, nequid nimis. Nam & Dialectici interdum cum rerum ſcientia eloquendi ſuavitatem conjungunt: qui mos eſt Ariſtotelis ipſius; Ariſtotelis dico, veteris illius Stagiritæ, qui Græce ſcripſit, non Latine: & ſæpe Oratores nudis brevibuſque argumentis adverſarium urgent: unde eſt illa cauſ-

ſarum forenſium pars, quæ dicitur Altercatio. Probo equidem, vehementerque laudo, quod primum a Zenone dictum, multis deinde placuit harum rerum Scriptoribus, Dialecticam eſſe pugno ſimilem, Rhetoricam palmæ: at ſimul illud moneo, utramque facultatem una eademque manu ſignificari; una inquam manu, quæ neque contrahitur, neque diducitur niſi per gradus. Atque ego hactenus perinde dixi, quaſi cum veteribus Dialecticis agerem, qui toti in diſſerendo erant; cum ad eos potius convertenda ſit oratio, qui nunc ſcholas tenent, ſeque *cogitandi Artem* docere profitentur. Horum autem duo ſunt genera; alteri totam hanc laudem in eo collocant, ut notiones inveniantur a communi ſenſu remotiſſimæ, & in rerum univerſarum contemplatione poſitæ, quas ne illi quidem ex toto intelligunt, a quibus tractantur; alteri diligenti quadam idearum omnium, quæ formari poſſunt, meditatione, quid in re qualibet verum, quid falſum ſit, perſpicere ſtudent; & hanc ſive ſcientiam, ſive ſolertiam, quamvis in animo inſiſtat, nec foras ad uſum diſputandi exeat, Dialecticam nominant Platonica loquendi conſuetudine. Non quæro, in duplici hac cogitandi via, utri magis appoſite cogitent: id dico, non eſſe mirum, iſtiuſmodi ſtudia, quamvis pulcra & ſublimia, cum Rhetoricis non convenire, cum abſint a Logicis quoque. Nihil poteſt eſſe nobilius, quam animum corporis pondere humi dejectum ad res altiſſimas meditando tollere, & veritatis lumine undique expreſſo colluſtrare: at niſi totum hoc in diſputationes conferatur, & comprehendi diſ-

pu-

putando poſſit, ad aliam quamdam pertinet facultatem, non ad hanc noſtram, in qua verſamur: ſin autem & confertur, & comprehenditur, quid eſt, oro, cauſſæ, cur cogitandi artem, quam diſputandi appellare malimus? Logicæ nomen in medium afferunt: λόγῳ autem ajunt rationem & cogitationem ſignificari. Mitto, antiquum artis nomen, Græcis Latiniſque familiariſſimum, Dialecticam eſſe, hoc eſt diſceptatricem, ut Cicero; diſputatricem, ut Quinctilianus interpretatur: mitto, ab Ariſtotele dici διαλόγων τέχνην, a Platone προσομιλητικὴν, a Protagora ἐριστικὴν, ab aliis modo ἐρωτηματικὴν, modo ἐπιχειρηματικὴν: quarum vocum ſi habenda ratio eſt, aliquid profecto amplius ſonant, quam quod cogitatione perficitur. Hæc, inquam, mitto omnia; Logica ſit: quid ſentis de hac voce, M. Tulli? Te enim libenter interrogo, tamquam Apollinem quemdam; cujus auctoritatem ſiquis eſt qui contemnat, miror, non dicam, cur hic ſedere audeat, ſed quomodo hæc ſubſellia poſſit aſpicere. *Altera* (inquit l. 1. de Fin. c. 7.) *Philoſophiæ pars, quæ* λογικὴ *dicitur, eſt ars quærendi, ac diſſerendi*. Percurrite ſingulas Organi Ariſtotelici partes, duobus exceptis de Demonſtratione libris: quidquid ubique præcipitur, id fere omne ad interrogandum & reſpondendum pertinet, & in quadam vertitur duorum aut plurium concertatione. Omnes illæ de ſyllogiſmo regulæ; doctrina illa omnis de vocibus Categoricis, de definitione, de diviſione, de enunciatione; omnis denique ratio arguendi ac refellendi frigida eſt ac jejuna, ſi extra cogitationem non progrediatur. Jam vero quo ſe modo tue-

tuebitur Socrates, quomodo Pyrrho, quomodo Arceſilas, quomodo Carneades, quomodo reliqui veteres novique Academici, qui nihil ſciri poſſe putabant, omneſque ingeniorum ſuorum contentiones ad diſputandum referebant? Academicos dico? Dogmatici ipſi, atque adeo Græcia tota, diſputandi ſtudioſiſſima, omnem prorſus veri inveſtigationem contemnat, quæ muta ſit, & cogitatione finiatur. Habeant ergo ſibi ſuam *cogitandi Artem* viri doctiſſimi, & ad eximia quæque invenienda nati; dum nobis in antiquo pulvere libenter manentibus communem illam multis ætatibus ac populis differendi rationem, quod æquum exiſtimamus, non gravate relinquant. Nunc illud fortaſſe requiretur, utrum eos quoque Dialecticos cum Rhetoricis conjungam, qui ſe *Summuliſtas* dicunt, & in nectendis ac ſolvendis verborum cavillationibus otium & ætatem conſumunt. Sunt illi ſane magni ingenii magnæque induſtriæ diſputatores, & ſi quidem vera narrant, ducem ſequuntur Ariſtotelem. Unde hoc ſit, quove ſpectet, jam habete. Cum in ea tempora magnus hic Philoſophus incidiſſet, quibus Megaricæ captiones valerent, eoque plus famæ ſibi quiſque compararet, quo plures poſſet ſuis interrogationibus irretire, & in arctum compellere; id ſerio cogitare cœpit, quomodo inſanam iſtam veritatis contaminandæ cupiditatem extingueret, vanoſque homines ad ſilentium adigeret. Itaque ratiocinandi artem ingenti contentione ſcribere aggreſſus, miras ſubtilitates excogitavit; quibus, tamquam clavo clavum, iſtiuſmodi fallacias truderet; atque ab hac lue jam late fuſa,

&

& in dies gliſcente Philoſophiam liberaret. Id poſteris imitatione dignum viſum eſt, & cum temporum felicitate Sophiſtas non invenirent ad oppugnandum, ipſi ſe abundantia quadam otii calumniari cœperunt, ſibique reſpondere; & quæ prius neceſſitas fuerat, in ludum vertere. De his Seneca epiſt. 45. *Nectimus nodos*, inquit, *& ambiguam ſignificationem verbis alligamus, deinde diſſolvimus. Tantum nobis vacat.* Quid vero ſi nobiſcum viveret, totumque hoc artificium videret infinitis rebus exaggeratum, quæ, ut ipſius verbis utar, *nec ignoranti nocent, nec ſcientem juvant*? Quid ſi grandia iſta volumina aſpiceret *de ente prædicamentali & tranſcendentali, de terminis univocantibus & univocatis, de dici de omni prioriſtico & poſterioriſtico, de futuritionis radice, de præciſionibus objectivis, de principio individuationis, de ſuppoſitalitate, ſuppoſitione, ſubalternatione* (ſic enim inſcribunt) quorum ne titulos quidem aut fando audiſſet, aut cogitando perciperet? Cum enim id quoque in arcanis habeant, non oportere Philoſophum uſitate loqui, nemo ad illos accedere poteſt, niſi prius diſcat, quam cuique voci rem ſubjiciant. Novi equidem, morem hunc a Stoicis manaſſe, qui non ſententia modo, ſed verbis quoque a populo differre volebant: ſed ut multa a Zenone ſuo Seneca ſumſit de bonorum & malorum finibus, omninoque de beata vita, ita nodos illos, & ἀπόρυς λόγυς, in quibus reliqua Stoicorum turba ſibi placebat, neque probavit umquam, neque duxit imitandos. Ex quo intelligitis, quid mihi ſentiendum ſit. Nihil magis Sophiſticum puto, quam quod ab

 hoc

hoc genere hominum adverſus Sophiſtas diſputatur. Opponunt enim acumina acuminibus; & rigidam quamdam metiendi ſermonis ſuperſtitionem docent, per quam ad oppugnandi & repugnandi exercitationem fortaſſe proficitur, ad eam, quam quærimus, veritatis illuſtrationem certe non nimis. Quod ſi teneamus, quid ſit nomina pro rebus ſumere; ludere in ambiguo; tribuere omnibus, quod convenit alicui tantum; ex fortuitis neceſſaria colligere; componere quæ non ſunt componenda; dividere quæ dividenda non ſunt; denique ſi illa captionum genera non ignoremus, quæ ſunt ab Ariſtotele in Elenchis deſcripta, & ab optimis interpretibus ex communi conſuetudine explicata, non erit opus iſtorum bibliothecis impalleſcere, ut per multas ambages & ſalebras tandem aliquando diſcamus, ſignum cæleſte non latrare, etſi *canis* nominetur; Solem & Lunam non eſſe ſeptem, quamvis ex *ſeptem* planetis ſint; poma non eſſe fugienda, licet *mala* dicantur; quamvis Deus ſit *ubique*, tamen non eſſe adverbium. Quæſtiunculæ iſtæ tam leves, tam minutæ, tam frugis expertes, neque dicentem, neque differentem decent; & quod idem Seneca monet, ſubtilius ſolvuntur, ſi contemnantur. Gravius quiddam eſt atque præſtantius, in quo nos diſciplinæ hujus noſtræ rationem ponimus, & cum Oratoris opere conjunctum dicimus. Serio diſſeratur oportet: ſerio autem diſſerere, non eſt cavilloſa verborum comprehenſione populum admirantem, quæ non intelligit, ludificare, aut cum ludificantibus congredi; ſed certa ab incertis, a veris falſa, probabilia ab impro-

babi-

babilibus, ſi fieri poteſt, & quatenus poteſt, plana & perſpicua oratione ſeparare : quæ quidem oratio quamdiu temperate fertur, Dialectica eſt; ubi aſſurgit, figuriſque & affectibus incitatur, cognatæ facultatis nomen aſſumit. Abeant vero hinc apud barbaros, quicumque ſocietatem hanc, non tam ab hominibus, quam ab ipſa natura conflatam dirimere conantur, & Logicæ genere neſcio quo nauſeantes juvenum animos imbuere, per quod omnis antegreſſa litterarum cognitio, libero capite & ingenuis moribus digna, obliteretur. Quærant ſibi alias terras, ubi ſe ſuamque illam tam exſuccam blaterandi formam venditare poſſint, quæ cum hujus loci more atque inſtituto, cum hoc Patavino ingenio ad humanitatem & elegantiam facto, cum hoc cælo atque ſolo a nugis alieniſſimo pugnat mirum quantum. Sed hic certe numquam pedem ponent, quamdiu vos, Viri doctiſſimi, quemadmodum facitis, exemplo veſtro inter pauca præteritarum ætatum memorando reſiſtetis. Audiant, ſi quis eorum tamquam vento jactatus ad hos parietes umquam accedit, audiant, inquam, ab his Philoſophis, ab his Theologis, ab his Medicis, ab his Juriſperitis, quid ſit vere & ſapienter diſputare; hinc cujuſque rei quæ natura ſit, & quomodo explicari debeat, ſi quid remanet ſanitatis, aliquando cognoſcant; ex hoc tamquam templo Palladis voces & oracula, hoc eſt diſciplinarum dogmata rectis momentis examinata, & ad publicam felicitatem volentibus nolentibuſque propoſita, accipiant; ita denique ſtatuant, ſe, ſiquid ſapere ſupra horum ſapientiam velint, omnino deſipere. Ego certe mihi diſpu-

diſputandi leges non aliunde ſumendas duco; quas ubique tenere tametſi pro dignitate non potero, voluiſſe tamen & contendiſſe cum erit mihi ſemper apud æquos æſtimatores honorificum, tum illa carebit invidia, quæ inſolita afferentes comitatur. Hæc mihi exempla ante oculos poſita dies noctesque contemplabor; & ſi quid umquam aut dicendo aut docendo potui, in poſterum eo conferam, ut ad hujus conſuetudinem loci conformetur, in quo Dii homineſque Italicarum litterarum fortunam multis caſibus jactatam ſtatuiſſe videntur, & ad immortalitatem firmaſſe. Voluntatis hujus meæ conſiliique teſtes habebo vos, lectiſſimi adoleſcentes; teque in primis, nobiliſſime atque ornatiſſime *Proſyndice*, qui fraternæ laudis æmulator, non ſolum auctoritate reliquis præes, ſed morum elegantia, gravitate, & ſplendore quodam plurimum præſtas: neque vero vos appellare auderem, ſi aut quippiam pollicerer, quod non eſſet e re veſtra, aut quod polliceor in tanta celebritate, non quavis conditione præſtandum putarem. Quod ſi rerum agendarum felicitas omine aliquo continetur, gratulor egomet mihi, quod primum hunc meorum laborum induſtriæque diem tu præſentia tua, optime ac præſtantiſſime Senator, ornare volueris, ac pignus veluti quoddam mearum contentionum publico nomine accipere. Conſpectus hic tuus admodum gravis, ſed idem tamen longe ſuaviſſimus, ita me recreat atque confirmat, ac ſi Venetum ipſum Senatum, illamque majeſtatem ſummis Principibus verendam repente in has ædes translatam viderem, ejuſque me judicio ac ſapientiæ committerem. *Mocenicum* nomen ex omni

omni temporum memoria Patavinis fauſtum, & ſingulari quadam ratione, quantum in Republica licet, a nobis cultum, numquam ſe magis prodidit, & quale quantumque eſſet oſtendit, quam cum tu, *Aloyſi*, Præturam hanc dudum jacentem ſummo noſtro bono ſuſcepiſti; tuaque iſta prudentia plane Veneta, benignitate iſta plane tua, graviſſimis rerum anguſtiis ac difficultatibus aut levamen, aut ſolatium attuliſti. Tene hunc virtutis ac beneficentiæ curſum a Majoribus cœptum: habes memorem Civitatem, in qua tibi tuorum benefactorum gratia diutiſſime conſtabit. Ego certe, ut de me ſpondeam, cum aliorum beneficiorum, quæ plurima & maxima accepi, tum hujus præſertim memoriam totius vitæ obſervantia ſtudioque colam; & ſiquis addi ſponte currenti ſtimulus poteſt, tu mihi animo perpetuo obverſaberis; neque committam, ut quod opus tam bonis auſpiciis inchoavi, ullo umquam tempore refrigeſcat.

Habita eſt XIII. Kal. Febr. MDCCXXIV.

E P I S T O L A

Præpoſita editioni primæ hujus Orationis.

AD GYMNASII PATAVINI MODERATORES.

Juvit me, SENATORES AMPLISSIMI, Oratoriam Artem cum Dialectica vel ob id maxime conciliare, ut primum hoc laboris ſpecimen juſſu veſtro ſuſcepti ad vos ipſos ominis gratia afferre poſ- *ſem;*

ſem; & ſiquidem recte caderet, alia ſubinde generis ejuſdem producerem, veſtriſque nominibus longe ſplendidiſſimis exornarem. Nam ipſa per ſe Dialectica, ut eſt in Iſocratis epiſtola ad Alexandrum, non pertinet ad viros Principes, qui neque inter ſe contendere verbis debent, neque aliis concedere, ut contra ſe diſputent. Agnoſcite igitur facultatem illius affinem, cujus in primis ad populorum regimen & reip. adminiſtrationem magnus eſt uſus. Quamquam vobis totius rei litterariæ moderatoribus nihil eſt ex hoc quidem genere, quod non magnopere conveniat; niſi ea forte de cauſſa, quod ab auctore non ſatis idoneo proficiſcatur. Et nimirum hoc reſtat excuſandum, quod tam infirmi ingenii homo primum ad vos accedam daturus aliquid, deinde vero exiguum libellum promam, quod horæ unius opus videri poſſit. Ita ſunt, credo, principia omnia: quæ ſi vos modo non improbabitis, tempore ita creſcent, ut etiam timendum ſit, ne magnitudine ipſa aliquando laborent. Quidquid hoc erit, nutu veſtro temperabitur, quibus me totum fidemque meam ita obſtringo, ut laboribus extingui malim, quam aut ignavia deficere, aut malitia fallere. Valete.

ORA-

ORATIO XIV.

DE DIALECTICÆ AC RHETORICÆ DIFFERENTIA

Habita in Patavino Gymnaſio anno MDCCXXIX.

OMnes fere, qui in hunc locum aſcendunt, ut publice doceant, diligentiſſime cavere ſolent in tanta iſta, quæ ſæculum tenet, opinandi licentia, ne quid forte proferant, quod aliquando revocare conentur. Ego vero illo ipſo die, quo me primum vobis dedi, tale aliquid in medium attuli, & perſuadere conatus ſum, quod ſane intelligerem me non perpetuo defenſurum. Quid enim? Cum contendebam, tantam eſſe inter Rhetoricam & Dialecticam ſimilitudinem tantamque affinitatem, ut vix altera ab altera ſecerni poſſet, videbar ne vobis ex animi ſententia loqui, an vero cauſſæ temporique ſervire? Scilicet cum ex mitioribus ſtudiis ad dura hæc atque aſpera tranſirem, & ipſe me collectis undique ſimilitudinis rationibus ſolari quoquo modo conabar, & aliis nimia quadam cura in rem novam intentis admirationem excutere. Nunc quis me jure reprehendat ſive Academicum hominem, ut mihi placet; ſive Peripateticum, ut placet illis, qui ſtudia noſtra moderantur; quis me, inquam, jure reprehendat, ſi animo jam confirmato & ab humanis judiciis ſecuro in contrariam partem dicere aggredior; & oſtendo, quam

quam longo intervallo Dialectica a Rhetorica diſtet? *Mihi ſemper* (inquit Cicero in Tuſcul. 2. c. 3.) *Peripateticorum Academiæque conſuetudo de omnibus rebus in contrarias partes diſſerendi non ob eam cauſſam ſolum placuit, quod aliter non poſſet, quid in unaquaque re veriſimile eſſet, inveniri; ſed etiam quod eſſet ea maxima dicendi exercitatio, qua princeps uſus eſt Ariſtoteles, deinde eum qui ſecuti ſunt*. Quamquam nihil eſt a nobis in prima illa exercitatione ad extrema ductum: ſed ita quæ communia & ſimilia ſunt inter duo hæc ſtudiorum genera commemoravimus, ut non dedeceat hoc tempore, tamquam ex parte altera, afferre propria ac diſſimilia. Addo etiam illud, venientibus primo in lucem hanc more majorum ſtatim eloquentiæ campum patefieri; neque tam ab iis poſtulari in hujuſmodi ingenii periculo, ut vera diſputent, quam ut acute copioſeque oſtendant, ſe inſtrumentis illis non carere, quæ ad publicam diſputandi formam neceſſaria ſunt. At vero dudum occupata a nobis provincia, traditaque iterum ac ſæpius veritatis inveniendæ ac judicandæ ratione, turpe eſſet, artium naturam adhuc obtegere; & per vana quædam ſimulacra, ad illius conditionem temporis quæſita, hominibus fucum facere. Accipite igitur non jam ab Rhetore, ſed a Dialectico, quid inter utrumque differat; ne forte exiſtimetis, artes ac diſciplinas ſine cauſſa multiplicari.

Cum Dialecticam dicimus, vel inſtitutionem quamdam ſignificamus, quæ recte differendi leges continet a rebus avulſas, & *docens* vulgo dici ſolet; vel ipſam differendi exercitationem intelli-

gi-

gimus, cum rebus, de quibus diſſeritur, conjunctam, quæ *utens* communi ſcholarum nomine appellatur. Eodem ferme pacto dividi Rhetorica poteſt, ut alia ſit, quæ rationem dicendi tradit, alia quæ in dicendo occupatur. Utraque igitur utrique conferri poteſt. Nos nequid ambiguum afferamus, primum Dialecticam *docentem* cum *docente* Rhetorica comparabimus; tum ad utramque *utentem* ordine deveniemus.

Dialectica igitur, primo illo modo ſi accipiatur, eſt ars, quæ veri inveniendi ac judicandi præcepta tradit, qualia ſunt ea, quæ Topicis & Analyticis libris ab Ariſtotele comprehenſa ſunt: quæ qui tenet, quacumque in re verſetur, recte diſſerit, unde nomen ipſum Dialecticæ eſt. Qui Artem hanc a Rhetorica differre nolunt, ſtatim inveniendi præcepta communia faciunt; totamque illam inſtitutionem Topicam, quam Ariſtoteles in Dialecticorum ditione poſuit, ad Rhetoras propagant. Quod autem graviſſimum eſt, id ipſo fieri ajunt Ariſtotele auctore, qui initio Rhetoricorum multis verbis oſtendit, argumenta in primis ad oratoriam pertinere facultatem; eoſque valde reprehendit dicendi Magiſtros, qui antea floruerant, quod nihil niſi de movendis animis & ornanda oratione præcepiſſent. Primum igitur animadverto, non defuiſſe ex veteribus ſapientiſſimis viris, qui de argumenti inventione nihil laborandum Rhetori exiſtimarent. Non defuiſſe autem? imo vero fuiſſe omnes, qui de Rhetorica ante Ariſtotelem ſcripſerant, ſi ejus teſtimonio credimus, quod nobis opponunt. Deinde concedo equidem, Topicam doctrinam cauſſis adhibi-

hibitam, ideſt quæſtionibus finitis, quæ tempus, locum, perſonam reſpiciunt, in Rhetorum poteſtate eſſe; ſunt enim cuilibet diſciplinæ pro varietate materiæ Topica ſua: attamen communia hujus artis præcepta de generibus & formis, de cauſſis & eventis, de abſolutis & comparatis, de antecedentibus & conſequentibus, ceteraque ordinis hujus per generales argumentorum claſſes digeſta, & Logicis formulis expreſſa, non ab aliis, quam a noſtris peti debent. Teſtem producimus illum ipſum, quem tanti faciunt, Ariſtotelem. Hic enim in Topicis libris, ut refert Catulus apud Ciceronem 2. de Orat. c. 36. *propoſuit quoſdam locos, ex quibus omnis argumentandi via non modo ad Philoſophorum diſputationem, ſed etiam ad hanc qua in cauſſis utimur, inveniretur*. Et ſane cum Rhetorica & ſit, & ab eo dicatur in libro Rhetor. I. c. 9. propago quædam & particula tum Dialecticæ, tum Civilis ſcientiæ; quemadmodum quæ ad mores & civilia inſtituta pertinent, non ipſa per ſe tractat, neque ex ſuo fundo ducit; ita aliunde mutuari debet quidquid ſibi ad defendendam argumentis veritatem opus eſſe cognoſcit. Nolim videri difficultates difficultatibus augere apud eos, qui non facile concedunt, atque adeo ne intelligunt quidem, quomodo Rhetorica Civilis ſcientiæ pars ſit. Id non una explicari ratione poteſt. Quidam ajunt, iccirco Rhetoricam eo referri, quod propria ejus materia actiones ſint humanæ; ut eſt in Dialogo de Cauſſis corrup. Eloq. c. 31. *Veteres intelligebant, opus eſſe, ut his artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de honeſto ac turpi,*

de-

de juſto & injuſto diſputatur. Hæc enim eſt Oratori ſubjecta ad dicendum materia. Nam in judiciis fere de æquitate, in deliberationibus de utilitate, in laudationibus de honeſtate dicimus. Sed quia res omnes, quæcumque in diſceptationem cadere poſſunt, revera ſubjectæ Oratori ſunt, quamvis aliæ magis, aliæ minus ſubjiciantur; alia quadam via Rhetorica ad Civilem rationem revocanda videtur. Sic igitur habete, tria eſſe in dicendo, quibus maxime victoria comparatur; primum ad dicentem ſpectat, cujus mores ad fidem faciendam maxime valent; alterum ad auditores, quorum animi affici debent atque inclinari; tertium ad rem ipſam, a qua probationes ducendæ ſunt. *Ratio omnis dicendi* (inquit M. Antonius in libro Ciceronis 2. de Orat. c. 27.) *tribus ad perſuadendum rebus eſt nixa; ut probemus vera eſſe ea, quæ defendimus; ut conciliemus nobis eos, qui audiunt; ut animos eorum ad quemcumque cauſſa poſtulabit motum, vocemus.* Quæ verba ex ipſis ducta ſunt Ariſtotelis verbis 1. Rhet. t. 53. Αἱ μὲν πίστεις εἰσὶν ἐν τῷ ἤθει τοῦ λέγοντος, αἱ δὲ ἐν τῷ τὸν ἀκροατὴν διαθεῖναί πως, αἱ δὲ ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ διὰ τοῦ δεικνύναι, ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι. Adhibendi ſunt igitur loci de vita & moribus ad conciliandos & permovendos auditores. Ac niſi volumus locos iſtiuſmodi Rhetoricos facere, totamque Civilem ſcientiam ſuo jure ſpoliare; ne illos quidem, quibus ad probandum Oratores utuntur, Dialecticæ auferre debemus.

At quærat a nobis fortaſſe aliquis, ſi Topica doctrina omnino ad Dialecticum pertinet, qui fiat, ut eam tamen Rhetores tractent ferme ſoli.

Dicam libere, quod ſentio, quandoquidem mihi contigit in utraque facultate verſari. Ex quo cœpit Rhetorica ante diſciplinas rationales tradi, factum eſt, ut puerorum animi, rebus vacui, haud aliter poſſent ad tolerabilem aliquam, ſi non eloquentiam, ſaltem loquentiam præparari, niſi dicendi magiſtri communes argumenti inveniendi locos in artem inferrent. Itaque noſtræ huic diſciplinæ Topicam doctrinam quaſi clavam Herculi eripuerunt; ut jam Dialecticus de Topicis ne hiſcere quidem audeat, aut paullo plus hiſcere, quam licet in re ab alio uſucapta. Quidam id cenſent eo fieri, quod cum olim Rhetorica, nondum inventa Dialectica, ſcholas occuparet, ipſi ſibi Rhetores inveniendi præcepta formare coacti ſunt; non quidem univerſe, quod poſtea a Dialecticis factum eſt, ſed quatenus ſuo illi inſtituto, quod intra judiciorum controverſias tenebatur, ſatis eſſe putabant. Quæ res in cauſſa fuit, ut poſteri eamdem rationem ſecuti; &, ut fit in acquirendo jure, terminos prægreſſi, intra quos invenere quos ſequebantur; ipſi Dialecticæ jam repertæ & ad ſummam perfectionem adductæ propria quædam hujus generis abſtulerint, quorum in Rhetorica vix ullus ſit uſus. Qualiſcumque tandem rei hujus cauſſa ſit, Stoici quoque ipſi, qui omnium ſubtiliſſimi in diſſerendo habiti ſunt, & ob excellentiam Dialectici nominati, Topica omittebant; non quod inventione argumenti carere ſe poſſe exiſtimarent, ſed fortaſſe quod pars hæc ipſis prærepta, & juventuti mature tradita in Dialecticas ſcholas afferretur. Hoc nomine reprehenduntur a Cicerone in capite Topico-

picorum ſecundo; qui locus notiſſimus eſt. Quamquam inveniendi argumenti artem qui totam Rhetori tribuunt, minus ægre ferendi ſunt, quam qui, noſtri quoque juris ratione habita, poſſeſſionem communem faciunt. Quid enim opus eſt, artes duas in rem unam venire, eodemque cardine verti? Cum ego Dialecticus tibi aperui, quæ ſint in genere univerſo cujuſque rei facies, unde omnis inveniendæ veritatis ac defendendæ ratio colligitur, quid neceſſe eſt, eſſe Rhetora, qui doceat idem? Aut ſi Rhetor eſt, cur Dialecticus ſine cauſſa conſulitur? Aut ſi uterque idoneus habetur, quis tamen non videt, alterum eſſe dominum ſolummodo χρήσει, alterum etiam κτήσει; alterum uti propriis, alterum commodatis?

Utinam tamen hic hærerent; nec in judicando vero, quod eſt alterum differentis munus, ſe nobis Rhetores conjungere vellent. Porro judicare verum nihil eſt aliud, quam invento argumento aliquo, ita illud explicare verbis, & Logica trutina examinare, ut quæ ſit ejus vis, quantaque ſit, perſpicue cognoſcatur. Id cum ex arte fit, quæ abſtruſa latebant, ſtatim emergunt; omneſque ſeu veri, ſeu falſi gradus recte cernentibus ac judicantibus ſe produnt. Vix puto eſſe aliquem ex vobis, qui non videat, totum id ad eam diſciplinam pertinere, cujus eſt, ut Cicero ſcribit in Bruto c. 41. *rem univerſam tribuere in partes; latentem explicare definiendo; obſcuram explanare interpretando; ambigua primum videre, deinde diſtinguere: poſtremo habere regulam, qua vera & falſa judicentur; & quæ quibus poſitis ſint,*

quæve non ſint conſequentia. Definit profectò etiam Rhetor, dividit, argumentatur; ſed ex legibus a Dialectica acceptis: in his autem ipſis non admodum diligens eſt, quod facile ſibi putet orationis fuco fallacias occulere, & rem pro re concioni venditare. Sunt qui concedant, judicia veri ad Dialecticum pertinere: iidem tamen ſimilia vero judicari ab Rhetore volunt; & quemadmodum ille ſyllogiſmi atque inductionis naturam aperit, quibus veritas manifeſtatur, ita hunc enthymematis & exempli leges explicare ajunt, unde efficitur veriſimilitudo. Ita ne igitur, quot erunt veritatis gradus & conditiones, totidem conſtituentur diſciplinæ? Non ſic profecto ſenſit Ariſtoteles cum ſcriberet in libro Rhetor. 1. c. 5. τό τε ἀληθὲς, καὶ τὸ ὅμοιον τῷ ἀληθεῖ τῆς αὐτῆς ἐστι δυνάμεως ἰδεῖν. *ejuſdem facultatis eſt, verum & ſimile vero cognoſcere*. Quamobrem idem eodem loco Rhetora ad Dialecticum mittit, ut ab eo argumentandi rationem ſumat: quod cujuſmodi ſit diligenter attendite. Omnis argumentandi ratio procedit vel ab univerſalibus ad ſingularia, vel a ſingularibus ad univerſalia; hoc eſt vel a mente ad ſenſus, vel a ſenſibus ad mentem. Primus modus ſyllogiſmum conſtituit, ut cum dico: *Affectio omnis differt a re, cujus eſt affectio: figura autem hujus tabulæ eſt affectio ejus: igitur ab ea differt.* Hinc manat Rhetoricum enthymema, quod naturam ſyllogiſmi habet, nec ab eo differt niſi modo quodam; ut nos alias oſtendimus adverſus Dialecticam turbam. Modus alter, qui a ſenſu ad mentem pergit, & ex ſingularibus colligit univerſale, inductio vocatur, cujuſmodi erit, ſi dicam:

Pru-

Digitized by Google

Prudentia , juſtitia , temperantia , fortitudo id habent ſingulæ ut laudentur, laus igitur omnem virtutem conſequitur . Hinc enaſcitur Rhetoricorum exemplum: quod licet in ſingularia tendere videatur, & progredi ἀπὸ μέρυς πρὸς μέρ☉, ut loquitur Ariſtoteles ; attamen reipſa tendit in univerſale, & ab eo vim ſuam capit. Nam cum dico: *Gracchi ſunt occiſi ; ergo & Catilina debet occidi*: hujuſmodi argumentatio eatenus valet, quatenus tacita quadam virtute efficitur , ſi Gracchi ſublati ſunt , omnem ſeditioſum civem tollendum eſſe , proindeque & Catilinam. Quæ cum ita ſint, nulla eſt Rhetorica argumentandi forma , quæ ad Dialecticam non referatur. Et ut a capite arceſſam, tota veri judicandi ratio, imo & inveniendi, ut eſt paullo ante demonſtratum, noſtra eſt; nec de illa præcipere aliquid niſi ex hoc fonte petitum Rhetores poſſunt . Quid eſt igitur , inquies , de quo præcipiant jure ſuo ? Scilicet de modo ornandæ ac dilatandæ orationis. *Eſſe* (inquit Cicero in Orat. c. 32.) *perfecte eloquentis puto, non eam ſolum facultatem habere , quæ ſit ejus propria , fuſe lateque dicendi , ſed etiam vicinam ejus atque finitimam Dialecticorum ſcientiam aſſumere. Quamquam aliud videtur oratio eſſe, aliud diſputatio, nec idem loqui eſſe, quod dicere ; attamen utrumque in diſſerendo eſt. Diſputandi ratio & loquendi Dialecticorum ſit , Oratorum autem dicendi & ornandi* . Quid eſt autem per Deos immortales, cur Rhetoras ſuæ conditionis pœniteat ? An levis operæ & exiguæ judicant, quod jam ſit inventum, eloqui & expolire , niſi noſtræ quoque artis munia ſibi ſumant ? Teneat quiſque fines

 ſuos.

ſuos. Cum rebus egent, a nobis petant; nos viciſſim, cum verbis egebimus, ab illis mutuabimur. Neque enim ii ſumus, ut quod nobis deeſt, turpi verecundia diffiteamur; aut cum fatemur, inquinate tamen velimus obſcureque diſputare, ne ad alios artifices confugiamus. Utrique in omnem diſceptationem venimus; idem tamen utrique præſtare non poſſumus. Vires conjungamus: nos illis argumentorum vim, illi nobis ſermonis nitorem impertiantur.

Hic vero etiam a noſtris mihi timendum video. Audivi enim nonnullos, qui gravi ſupercilio dicerent, ſe non rhetoricare, ſed veritatem quærere: quaſi vero cum barbarie veritas coaleſcere poſſit, cum ſermonis elegantia non poſſit. Quæ malum eſt veritas iſta, quæ tam male habitat; quæ in luto volutatur; quæ lucem ferre non poteſt; quæ inter barbara & inquinata eminet, inter culta & nitida jacet? Nempe veritas Sophiſtica, quæ qualis ſit, ſtatim apparet, ſi ex ſuis tenebris & ambagibus educatur. Accipio excuſationem, cum illud Manilii nobis occentant lib. 3. v. 39.

Ornari res ipſa negat, contenta doceri.

Sed interim tamen mecum ipſe reputo, quanta ſit iſtorum hominum calamitas, qui ſuorum ingeniorum conatus ad monſtra tam deformia adjecerunt, ut omnem reſpuant humanitatem. Nullum clarius eſſe puto argumentum peſſimi, quam hoc ipſum, quod jactant ad excuſandum. Nam quid iſti ſimile Manilii habent? Ille rem novam atque intentatam poeticis numeris comprehendere nitebatur, planetarum ſtationes, ſortium diſcrimina, horoſcopos,

athla,

athla, & alia id genus Aſtrologica nomina, quæ ne flecti quidem Latine poterant. At qui naturales diſciplinas, aut civiles, aut ſacras tot locis, tot ingeniis, tot litteris elegantiſſime proditas atque explanatas, rurſus dare aggrediuntur, noviſque commentationibus amplificare, qua fronte Manilium appellant, & Poetam, & pro illo inſtituto nitidiſſimum, ut cœnum ſordeſque ſuas tanto nomine tegant? Appellent Ciceronem potius, omnium litterarum omniſque doctrinæ magiſtrum; & ab eo tandem aliquando diſcant, quo ſe modo metiri debeant, & quibus terminis ſuas contentiones definire. *Fieri poteſt* (inquit Tuſcul. 1. c. 3.) *ut recte quis ſentiat; & id quod ſentit, polite eloqui non poſſit. Sed mandare quemquam litteris cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis & otio & litteris*. Qui ita ſcribunt, perinde faciunt atque illi, qui optimas dapes in menſa conſpurcant, ne ab aliis tangantur: ac proinde *ſuos libros*, ut idem ait Cicero, *ipſi legunt*, ceteri ſtomachantur. Magna hæc apud vos animi confidentia dico, ubi nemo ſibi dicta ſuſpicari poteſt. Quilibet veſtrum & ſumit ipſe, quæcumque poteſt, ab arte dicendi, ad ſqualorem ſuarum diſputationum detergendum; & alios plura ſumere ad nitorem & ornatum, dum intra modum faciant, ſine invidia & ſine obtrectatione patitur.

Sed jam de Dialecticæ, ac Rhetoricæ præceptis ſatis multa diximus. Nunc ad utriuſque uſum veniamus oportet. Et ne ab ordine in parte prima inſtituto diſcedamus, videtur ne vobis Ora-

tor communibus locis eadem ratione uti, atque Dialecticus? Hic plenas & perfectas definitiones requirit; ille deſcriptione quavis contentus eſt. Dialecticus dividendo & partiendo cavet, nequid deſit, nequid redundet: Orator nihil fere hujuſmodi habet legibus adſtrictum. Alter cauſſas rerum proprias & proximas, eventa cauſſis reſpondentia, ſigna neceſſaria, antecedentia & conſequentia adhibet in argumentando: alter cauſſas quaslibet idoneas exiſtimat, quamvis alienas & remotas, eventa fortuita, ſigna ſive adjuncta ſive conjuncta, affectiones cujuſquemodi rerum ac perſonarum; uno verbo, quidquid aliquo modo valet ad tractandos ſenſus hominum, & popularibus opinionibus imbuendos. Dialecticus refert probationes ſuas ad res ipſas, Rhetor ad auditorum animos accommodat: quia hic movere ſtudet, ille non item, ſatis beatus ſi vicerit. Quid opus eſt pluribus? Orator cum populo agit, Dialecticus cum ſapientibus: ille actionem, hic cognitionem ſpectat: illius virtus fere tota in civilibus negotiis cernitur, hujus in diſputationibus ſcholaſticis: alter vincere acutis interrogationibus, alter perſuadere morata oratione conatur. Hinc, opinor, manifeſtum eſt, quam diverſis indigeant ad inveniendum locis; eoſdemque cum adhibent, quam diverſa ratione adhibeant.

Sed longe maxima in uſu veri judicandi harum diſciplinarum differentia eſt. Quamvis enim ratiocinandi forma una ſit, a Dialecticis profecta; attamen aliam quamdam rationem nomenque induit, cum Rhetoricis argumentis inducitur. Nos, quia vera tantum, & veris proxima quærimus,

rimus, ſyllogiſmis atque inductionibus diſputamus ex ipſa rerum natura petitis, & ad exquiſitas artis leges caſtigatis. Oratores, qui perſuadere quovis modo ſtudent, & populum ducere, primum quidem externa quædam argumentandi genera adhibent, ex tabulis teſtibuſque ducta: deinde parium comparatione utuntur, quorum genus omne exemplum vocant; tum, ad interna quoties veniunt, non vera & neceſſaria curant, ſed veris ac neceſſariis quoquo modo ſimilia. Probationes porro ipſas, quarum partes Dialectici uno ordine ſemper efferunt, eoque recto, Oratores multipliciter variant & invertunt, a complexione fere incipientes, in propoſitionem deſinentes. Quo ſpectat illud Cicer. in Partit. c. 13. *Altera argumentatio* (ideſt Rhetorica) *quaſi retro, & contra prius ſumit quæ vult, eaque confirmat; deinde id, quod proponendum fuit, permotis animis, jacit ad extremum*. Quid quod Dialectici univerſi generis quæſtiones tractant, quarum finis non ultra cognitionem & victoriam in diſputando progreditur; Oratores autem, quorum opera quæſtionibus finitis eſt adjecta, id propoſitum habent, ut eos, quibuſcum agunt, ad aſſenſionem & actionem trahant, inclinent, impellant? Ex quo fit, ut Dialectica argumenta Græci dicant ἔνδοξα, ideſt opinabilia; Rhetorica πιθανὰ, ideſt perſuaſibilia. Neque enim ſatis Oratori eſt ita in foro, aut in Senatu dicere, ut qui audiunt, ſe minime pares reſiſtendo fateantur: niſi animo victi atque inclinati id aſſentiendo probent & faciant, ad quod oratione impelluntur. Dialectico linguam viciſſe ſatis eſt; quamvis ille, quicum diſ-

diſputat, ut ſcribit Seneca ep. 82. *ad confeſſionem perductus aliud reſpondeat, aliud putet*. Hoc nihil eſt, ſi recte reputamus, in præſenti negotio valentius: quandoquidem nulla major excogitari diſtinctio poteſt, quam quæ oritur a fine, in iis præſertim facultatibus, quæ inſtrumenti rationem habent, & aliis inſerviunt. Vulgo ea ſolet haberi differentia princeps, quod Dialectici preſſe & anguſte, Oratores fuſe lateque differant; Dialectici loquendo, Oratores dicendo; illi jejunis aridiſque interrogatiunculis, hi plena perpetuaque oratione. Alii totum diſcrimen hoc contemnunt, tamquam in modo, non in re poſitum. Sed revera graviſſimum eſt, & ab ipſa iſtarum artium natura officioque petitum. Etenim, ſi rem altius ab ipſo capite repetere volumus, differentis officium eſt, primum quidem eas notiones invenire & apte conjungere, quæ vera germanaque ſocietate ſibi cohærent; tum eas quoque componere, quæ aliquam inter ſe affinitatem aut ſimilitudinem habent. Primum illud qui præſtat, Dialecticus dicitur; qui in altero excellit, Oratoris nomen ſibi adſciſcit. Uterque autem in Sophiſtam degenerat, ſi ea colligat, ſimulque ſociare velit, quæ ſibi reſpondere videntur, nullo tamen modo reſpondent. Dialecticus igitur cum ea conjungat, quæ vel natura, vel firmo quodam ſapientum judicio inter ſe continentur, modo res clare nitideque explicet, nullis præterea indiget adminiculis. At Orator cum levia multa affinitatis ac ſimilitudinis genera complectatur, quæ vel a ſuſpicione naſcuntur, vel a vulgari perſuaſione, vel ab ipſa etiam ſermonis ac litterarum figura,

tam

tam tenue diſſerendi genus modis omnibus, quoſcumque cauſſa capit, fulcire & roborare debet, tum miſcendo animi motum, in auxilium adſcita Civili ſcientia, tum augenda & coloranda oratione, quæ ipſi propria ſupellex eſt.

Hæc cum ita ſint, non tamen negare auſim, duas has facultates inter ſe coire, ſeque mutuo ſuſtentare; ut in uno eodemque ſermone utriuſque vires ac virtutes appareant. Id cum ſit, inventio ac diſpoſitio Logici juris eſt; elocutio & actio pertinet ad oratorem: quod recte vidit, & luculenter explicuit acerrimo vir ingenio, Gaſpar Scioppius in Pædia Politices p. 21. Qui rem his momentis expendet, jam intelliget, cur olim integra oratione contenderim, ad Rhetoricam accedenti magnam eſſe in primis verborum curam ſuſcipiendam. Nam cum ſtilus Rhetoricis exercitationibus formatus eſt, cetera ſubeunt aliunde adſcita, & ad fidem faciendam facile promoventur. Minutuli quidam declamatores, qui plus judicant, quam intelligunt, ſtatim putarunt, me veteres artium fines moviſſe, ac veluti Gracchum quemdam reip. litterariæ tranquillitatem perturbaſſe. Itaque alii alia requirere, iidemque alio tempore alia, quæ me artis ignoratione, quam a me ipſo accepiſſent, omiſiſſe fingebant. Sed cum maxime nitebantur, Tullianis formulis ex Nizolio ſumtis & inſulſe compactis, modo hoc, modo illud Rhetori adjicere, informe neſcio quid & confuſum edebant, falſa quadam Latinitatis ſpecie oblitum, in quo nihil eſſet niſi ſonus inanis. Hos ego jamdiu, qui tam ſtulte obtrectando inclareſcere ſtudent, in ordinem coegiſſem, niſi navi

&

& honeſti hominis ira fæcem hanc Rhetorici ludi prorſus indignam exiſtimaſſem. Eſt illis ſupplicii loco *&* *thus*,

Hor. l. 2. ep. 1.

Et piper & quidquid chartis amicitur ineptis.

EPISTOLA

Præpoſita editioni primæ hujus Orationis.

AD GYMNASII PATAVINI MODERATORES.

Quemadmodum Oratio hæc non poteſt ab illa ſeparari, quam habui ſex abhinc annis, cum primum publice docere cœpi, ita eiſdem auſpiciis uti debet, ideſt veſtris. Aliter ſi eſſet, vix auderem ad exigui libelli præſidium nomina tam ſplendida compellare. Quamquam, utut eſt, res iſtiuſmodi qui mole metitur, nihilo plus videt, quam quod in ſenſus incurrit: ac ſiquid eſt in mole pretii, ea mihi litterarum pars a vobis commiſſa eſt, in qua non difficile ſit grandia volumina invenire. Nam cum ſuperioribus annis opinio increbuiſſet, Dialecticam eſſe fallendi artem ad alendas ſcholaſticas pugnas, fallendi autem viæ ſint plane innumeræ; factum eſt, ut non ſinguli modo homines, ſed Collegia quoque in idem inſtitutum ſacramento adacta, bibliothecas potius, quam libros ederent. Ego cum a Cicerone didiciſſem, diſciplinam hanc nihil eſſe aliud, quam viam & rationem veri inveniendi; recta autem ad verum via una ſit, eaque brevis; omnes ingenii mei contentiones eo contuli, ut veterem ſimplicitatem ac brevitatem revocarem. Habuiſtis alias rei hujus teſtimonium; & niſi me amor rerum mearum

fal-

fallit, etiam probaſtis. Nunc mihi viſum eſt in litterarii hujus curriculi inſtauratione Dialecticæ naturam magis magiſque aperire; & a gravi quadam ambiguitatis ſuſpicione, in quam cum ab aliis, tum etiam a me ipſo olim conjecta fuerat, liberare. Quod volui, num recte præſtiterim, veſtrum erit judicare; pronamque in hæc ſtudia voluntatem, non verbis, ſed re, ut profecto ſoletis, promovere.

ORA-

ORATIO XV.

Habita ab Adoleſcente Scholaſtico ad inſtauranda Artium Studia Gymnaſii Patavini.

De Literarum & Artium felicitate.

ANimadverti (NN.) omnes fere Oratores, qui ſuperioribus annis in hunc ornatiſſimum locum aſcenderunt, de artibus ac literis verba facturi, unam ex omnibus Medicinam ſumſiſſe, de qua dicerent, in eaque una verſatos eſſe. Quaſi vero dies hic non artibus omnibus recenſendis inſtitutus ſit; aut Medicinæ nomine ipſa quoque Theologia, Matheſis, Philoſophia, Humanitas denique ipſa, & omne literarum genus contineatur. Ego vero artibus ritu ſolemni proludere juſſus, ita de univerſis dicam, ut nulla de ſilentio noſtro queri poſſit; ita univerſas defendam, ut nullius cauſſa prætermiſſa videatur. Placet enim mihi eorum criminationes refellere, qui antiquitatis admiratione capti, ac pæne limphati, ſæculi hujus ſtudia contemnunt; nihilque probant niſi *quæ terris ſemota ſuiſque temporibus defuncta vident*. Contendam igitur, illos injuria queri, qui de noſtrorum ſtudiorum conditione queruntur; & quantum in me erit, conabor oſtendere, ad literarum & artium felicitatem nihil prorſus hac ætate deſiderari. Id dum facio, tu primum fave, Præſul ampliſſime, qui totus ad facilitatem & benevolentiam compoſitus es: favete vos deinde,

inde, præſtantiſſimi Civitatis hujus Moderatores, in quorum præſidio ac tutela non ego modo tantulus adoleſcens, ſed univerſa hæc clariſſimorum virorum Corona libentiſſime conquieſcit. Tu quoque nobis adeſto auſpicio tuo, nobiliſſime Pro-Rector ac Syndice, & hoc primum die fac ut ſignifices, qualis in poſterum toto literario curriculo futurus ſis.

Duo ſunt, quæ paſſim queruntur graviſſimi antiquitatis patroni, & eſſe jam nimio plus a veteri ſtudiorum induſtria deſcitum; & in hac tamen artium ac literarum incuria non deeſſe homines, qui novo quodam uſi critices ſtudio, Scriptores ipſos vetuſtate verendos ac pœne ſacros, ſine ulla verecundia aggrediantur. Alterum illud cum ſit minime verum, minime crimino ſum alterum; non erit, opinor, difficile utrumque refutare: eiſque re tota literaria interdicere, qui privatas ignaviæ ſuæ cauſſas in communem temporum conditionem ſtultiſſime conferunt. Quid enim deeſt hoc tempore homini, non invito prorſus Apolline nato, ad omne literarum genus vel in patria, vel non procul a patria facillime capeſſendum? Quam multa in omnibus fere urbibus ad liberalem juventutis inſtitutionem conſtituta Collegia? Quot ubique artibus ac ſcientiis excolendis poſitæ Academiæ? Quam varia ad animi corporiſque cultum inventa exercitationum genera? Ut jam non toto orbe, quemadmodum olim, magnis impenſis ac laboribus conquirendi Magiſtri ſint, ſed contra Magiſtris innumeris ubique invitantibus, juventus ipſa evocari debeat, rogari, coerceri. Numquid eſt igitur, cur heroi-

cæ

cæ illi Pythagoræ, aut Platonis ætati invideamus, quorum alter ut edoceretur, Ægyptum, Perſiamque totam luſtrare coactus eſt: alter & Tarentinos ſapientes adire, & Locrenſes, & Ægyptios, & alibi ſane multos? An vero illa ſui deſiderium reliquerunt aurea, ut appellant, Romanorum tempora, ad quos nec pervenere literæ niſi ſero, & cum perveniſſe viſæ ſunt, in Atticam tamen ad eas comparandas migrare oportebat, aut Atticos homines domi alere: quod pleraque melius Græce, quam Latine, quædam etiam Græce tantum diſputari poſſe crederentur? Illud ipſum civile jus, quod amplius poterat eſſe nuſpiam, quam ibi, unde jura toti terrarum orbi dabantur; ita tamen erat jejunum, ut ſe triduo juriſconſultum fieri poſſe, Tullius in cauſſa Mureniana profiteretur. Nunc autem & facultatum omnium profeſſores paſſim occurrunt, & facultates ipſæ ampliſſimæ ſunt, & qui ad eas contendunt, tanto ſunt ubique numero, ut Collegia quædam loci anguſtia laborare cœperint. Sed qui nobis veteres Athenas opponunt, aut Latium, auctoritate magis & fama tantorum nominum, quam re ipſa congrediuntur: cumque nos literarum atque artium initia eo libenter referamus, quid eſt cur illi incrementa longe maxima noſtræ huic ætati gravate concedant? Ætatem porro noſtram cum dico, ab Antoninorum uſque imperio memoria repetens, ſæcula ſtatim apage prope duodecim; quibus acciſæ literæ atque proſtratæ, ſemel atque iterum efferre caput conatæ ſunt, ſed rurſus labefactatæ miſerrime contabuerunt. Eo velim mentem advertant ſeveri nimium

rerum

rerum noſtrarum contemptores: tum vero ex fœdo illo muſarum ſqualore ac ſitu judicent, utrum jure nos beatiſſimos hac in parte prædicemus. Nihil eſt, cur diſſimulent, & iniquiſſimis Attilæ edictis Latinitatem primum exulare juſſam, & litteras deinde omnes uſque adeo fuiſſe probro, ut Amalaſuntham Theodorici uxorem graviſſime increparint Gothi Principes quod Athalaricum filium præceptoribus inſtituendum tradidiſſet. Putabant enim ſtolidiſſima capita, litterarum ſtudio frangi ingenia hominum, & ad otium inclinari; eaque erat in primis egregiæ fortitudinis commendatio, ſiquis ne ſcribendi quidem artem tota vita didiciſſet. Hinc non barbari modo Reges Theodoricus Oſtroghotorum, Vithredus Cantiæ, & alii præterea multi fuere ſcribendi imperiti, ſed & Chlodoveus, & ſenior Juſtinus, & ipſe ille Carolus magnus, elegantiorum ceteroquin artium pro ea temporum calamitate inſtaurator. Ad Eccleſiam videlicet, tanquam ad aſylum confugerant pulſæ undique litteræ: jamque obtinuerat conſuetudo ad meliorem uſque ætatem ſermone ſcriptiſque uſurpata, ut litterati quicumque eſſent, Clerici appellarentur. Sed quam ibi quoque acceptæ non laute! cum argumento conſtet non uno, & Clericos bene multos, & Presbyteros quoque, addo etiam, quod calamitoſiſſimum eſt, Epiſcopos aliquos, ne ſcribendi quidem artem tenuiſſe. O vos miſeros, quicumque aut hæc ignoratis vulgata per omnes, aut cum ignorare nullo modo poſſitis, neſcio qua tamen morum perverſitate a veritatis confeſſione alieniſſimi, in præteritorum quotidie temporum laudatione verſamini! Quis

nunc non dicam Princeps, non patricius, non civis paullo honeſtior, ſed ſutor, ſed tonſor, ſed agricola in ſua illa fortuna aliquanto copioſior, qui non litterulas aliquas, ſeu faventibus muſis, ſive adverſis, ſibi comparet? Neque vero eſt, cur bella cauſſati majores noſtri vix unquam intermiſſa, turpiſſimæ inſcitiæ cauſſas in fata potius, quam in hominum ſegnitiem tarditatemque coniiciant: cum bellum intuiti, qui ſæculi hujus initia fœdavit, facile intelligere poſſimus, nec plures umquam uno tempore ad arma procurriſſe gentes; nec opibus odiiſque majoribus in mutuam perniciem conſpiraſſe; nec latius ad humani generis exitium protuliſſe luem; nec diutius in magna varietate fortunæ conſtantiam retinuiſſe. Quo tamen tempore utrum eſt aliquid tota Europa de veteri muſarum diſciplina remiſſum? Numquid aut ſublata literarum ſtudia, aut impedita, aut paullum retardata? Ne vivam, niſi per annos ferme quindecim, quibus acerbiſſimo incendio conflagravimus, & novæ inſtitutæ ſunt artium pulcherrimarum Academiæ, & veteres aliquæ jam intermortuæ rurſus excitatæ: & innumera excuſa volumina, & litteratorum commercium mirum in modum amplificatum. Tutæ enim litteræ innocentia ſua, vel in caſtra ipſa libere excurrunt; ictoque jam olim cum armis fœdere, commune ſibi cum illis numen, ut eſt a Græcis ſapientiſſime confictum, Palladem conſtituerunt. Videtis, opinor, Auditores, quam nullum mihi negotium faceſſant, qui litterarum gloriam tam longe repetunt.

Sed profecto major quædam cum iis futura pugna

gna

gna eſt ac difficilior, qui duobus ante noſtrum proxime ſæculis bonarum artium laudem ita deferunt, ut partem vix minimam ad nos redundare patiantur. Floruit enim revera per eam ætatem & in Italia, & extra Italiam ingens quædam doctorum hominum copia, qui bonas artes ac litteras, illuvie ſituque obſitas, in priſtinam lucem ac dignitatem vindicarunt. Sed quemadmodum iis ſolet contingere, qui per avia loca & abrupta, procul a luce hominumque commercio, iter ſuſceperunt, ut cum denique in amœni alicujus ac belle ædificati prædioli conſpectum exeunt, ad Heſperidum hortos repente ſe raptos exiſtiment; tantamque animo capiant delectationem, ut cætera ſubinde, quæ invenerint, multo licet amœniora, non valde mirentur; ita erutæ tunc primum ex tenebris ſuis litteræ adeo repentino ſplendore hominum oculos perſtrinxerunt, ut nihil amplius ad eas acceſſiſſe diuturni temporis opera videatur: imo præclare ſecum agi aliquando putent, ſi uſu ipſo frequentiſſimo quaſi protritæ, de parta olim gratia & exiſtimatione non multum amittant. Cæterum quis non videt, quam nunc late diffuſa Græca Latinaque eruditio, ab elegantioribus populis ad Sarmatas quoque ipſos, & Moſchos pervenerit; quæ exiguis quondam terminis concluſa, non tam re ipſa, quam ſpe majoris progreſſus laudanda videbatur? Quod ſi non totam litterarum provinciam uno linguarum ſtudio contineri velimus, ut profecto non continetur, quam ſibi exiguam laudem, ac pœne nullam in ceteris facultatibus, ac diſciplinis tempora illa pepererunt! Jacuere Philoſophica ſtudia,

S 2 ja-

jacuere Mathematica; nemoque unus inventus eſt ad ſæculum uſque decimum ſeptimum, qui Philoſophi dignus nomine, veterum Sectarum jugum excuteret, rerumque naturalium ſcientiam novis inventis illuſtraret. Reſonabant undique Ariſtotelis nomina & Platonis, Hippocratis & Galeni, Euclidis & Archimedis; jamque ſibi quiſque vel Philoſophi, vel Medici, vel Mathematici laudem ſine controverſia tribuebat, ſi, quæ illi tamquam ex tripode tradidiſſent, per quamdam quaſi hiſtoriam memoriter didiciſſet. Primi vos ſcilicet extitiſtis, Galilæe in Italia, Bacone in Anglia, Helmonti in Belgio, Gaſſende in Gallia, qui antiquis repagulis tandem aliquando refractis, ſtudiorum pomeria magno animo protuliſtis. Tum vero ſublato veluti libertatis ſigno, Carteſius, Hervæus, Bartolinus, Borellius, Malpighius, & ubique innumeri, tanto conatu in barbatos illos ſcholarum Principes ac Dominos irruerunt, ut de antiquiſſima poſſeſſione prope dejecerint. Jam enim non ſinguli homines, ſed magnæ quædam ſocietates, ſtudiorum ratione conjunctæ, meditando, inveſtigando, experiundo, ita præſertim animalium Hiſtoriam, Anatomen, Matheſin, Meteorologiam emendarunt, auxerunt, ornarunt, ut non illæ quidem olim fuiſſe minores, ſed omnino vix fuiſſe videantur. Pudeat ergo Capreolos, Toletos, Durandos, Jandunos, Picolomineos, & id genus alias ejus ætatis delicias, quibus piaculi loco fuit Ariſtotelicos terminos, tamquam Herculis columnas tantulum præterire: nec velint cum hominibus noſtris, ad præclariſſima quæque invenienda natis, in laudis contentionem deſcendere.

Sed

Sed nimium ajunt abuti nos inveniendi libertate: jamque honeſtiſſimam illam Philoſophiæ propagandæ induſtriam in temerariam carpendi licentiam degeneraſſe. Hic enimvero, Auditores, neceſſe eſt de noſtra levitate fateamur: ſi modo ex vitioſis neſcio quibus triobolarium philoſophorum conatibus quippiam in nos temporum conjunctione redundat. Sunt enim, ut in caſtris, ita in hac philoſophandi palæſtra glorioſi quidam milites, ſeu potius gladiatores, qui in magna virium infirmitate præſtandi libidine ducti, laudatiſſimos totius antiquitatis viros injuriis ſtrepituque laceſſunt; ſecumque ipſi diu ſine hoſte colluctati, de parta demum victoria, deque profligato Stagirita ſibi magnifice gratulantur. Stagiritam enim appellant pyrgopolinicæ iſti, quem virum, bone Deus! ita inquam appellant Ariſtotelem, quaſi unum de turba ſine nomine, cui nihil ſit gloriæ præter patriam. Ecce tibi homines, qui artem criticam in hujus ſæculi invidiam adduxere. Quorum vitio ſiquis cenſet ſtudium per ſe optimum ablegari oportere, cur non is artes ceteras, & bona generis humani univerſa ablegancla putat, & procul removenda, quod aliquando abutentium malitia in hominum perniciem convertantur? Ceterum ſi res non aliunde, quam ex natura ſua judicandæ ſunt, nihil eſt, aut excogitari poteſt in toto hoc litterarum genere præſtantius, quam libera illa, eademque honeſtiſſima Scriptorum cenſura, quæ parum detorto a Græcis nomine Critice appellatur. Hanc ſi tollas, noctem quaſi aliquam veritati offundis; & atrum quoddam artibus ac literis chaos indu-

cis, quale fuiſſe ab initio orbis totius poetæ fabulantur. Hæc enim non una aliqua facultas eſt definitis regionibus circumſcripta; ſed late vagatur facultatum omnium vindex, ubique in provincia ſua, ubique domina, quoties aut falſa detegere, aut obſcura illuſtrare, aut expedire confuſa neceſſe eſt. Huc tamquam ad Lydium lapidem Chronologia, Hiſtoria, Philoſophia, literæ demum cujuſcumque generis univerſæ revocari per omnes ætates conſueverunt; tantumque crevere ſingulæ copia rerum, & fama celebritatis, quantum illis induſtriæ pro temporum varietate navarunt Critici homines. Proinde qui nos hoc nomine reprehendunt, conanturque ad ignavam rerum omnium patientiam adducere; ii videntur mihi literas oppugnare ipſas, & conditionibus premere multo durioribus, quam paſſas olim accepimus, cum barbarorum illuvione obrutæ diutiſſime conticuerunt: quod longe præſtet, literas eſſe plane nullas, quam eſſe depravatas. Sed qui ad ætatis ſuæ mores ſunt adeo delicati, nihil ne unquam apud Græcos offenderunt, nihil apud Latinos, quod criticam ſapiat libertatem? Nunquamne Plato, boni viri, in Parmenidem, in Protagoram, in Zenonem cenſoriam exercet poteſtatem? Nunquam ne in Platonem ipſum Ariſtoteles, in Ariſtotelem Theophraſtus, & ne ſingulos homines percenſeam, Scholæ omnes in ſe mutuo? Itane igitur Ariſtophanes Grammaticus, & Ariſtarchus fuere meticuloſi, itane Socrates ipſe, vir ſiquis alius ea tempeſtate modeſtiſſimus, ut nihil umquam in Heſiodo, in Theognide, in Pindaro, in Homero caſtigare auſi ſint? Me

mi-

miſerum qui hæc tanta contentione diſputo! quaſi vero ullus in hac hominum corona lectiſſima poſſit eſſe dubitandi locus, quin Græcia per aſſiduas contentiones ad eam litterarum gloriam pervenerit, quæ poſteros deinde omnes in ſui admirationem pertraxit. At Romani minus certe contentioſi: minus tamen etiam ſapientes, quod & ſero admodum diſciplinas ſuſceperint, & cito intercidere paſſi ſint. In ſua tamen illa, qua uſi fortuna ſunt litterarum & artium, unum gentibus aliis opponunt Ciceronem, qui, qua plurimum valebat facultate, oratorum omnium ingenia vireſque ad trutinam revocavit in pulcherrimo illo de claris Oratoribus libello; cum idem ipſe tantus vir, Calvi Brutique cenſura non caruiſſet. Quod ſi ad ea ſæcula deſcendamus, quæ vel ob Hetruſcas literas egregie cultas, vel ob Græcas Latinaſque reparatas, aureis proxima ſolent appellari, quanta nobis repente ſe ſe offert utiliſſimarum ſeges contentionum! Ecce tibi manus conſerentes, hinc Politianus cum Scalla, Nizolius cum Majoragio, Sigonius cum Robortello: illinc Caſtelvetrius cum Caro, Guarinus cum Noreſio, Taſſus cum Salviato; tamque præterea inter ſe multi, quot fuere per ea tempora litterati: quorum ſi quis forte fortuna præſente caruit adverſario, omnem antiquitatem provocavit. Tantum enim abeſt, ut cordati ſcriptores pugnas detrectent, aut ægre recipiant, ut potius undique ſibi adverſarios comparent; ſeque non raro in ſe ipſos, quod maxime mirum eſt, fictis criminationibus arment. Adeo ſe tenuem adeptos gloriam exiſtimant, ſi nulli videatur invidenda.

Quæ cum ita ſint, etiamne eorum querelas pati poſſumus, qui nullius cauſſæ patroni, in hujus ætatis criticos quotidie declamant! Cum enim illi nihil trutina dignum efferant, quique trutina caſtigantur, in hoc ſibi etiam placeant; cur non aliquando ridiculam curam abiiciunt, & ſuis potius, quam communibus incommodis remedia quærunt? Sed nolunt, mihi credite, præclaram illam inertiæ excuſationem amittere, quod nihil ſit tutum a criticorum injuriis. Verum injurioſi ſiqui ſunt in aliorum ſcriptis judicandis, eos ego non Criticos, ſed conviciatores appello: nec ſatis intelligo, quo jure in literatorum numerum obrepere velint, ſi ea non ſunt humanitate imbuti, quæ cum litteris adeo conjuncta eſt, ut ipſum litterarum ſtudium, humanitatis ſtudium nuncupetur. Solent enim homines liberaliter educati, boniſque artibus ac diſciplinis inſtructi, non tam inter ſe opinionis contentione, quam mutuis officiis certare: fitque plerumque, ut hujuſmodi controverſiæ, magno partis utriuſque conſenſu compoſitæ, vel veteres benevolentiæ neceſſitudines confirment, vel novas conſtituant, ad literarum & artium commoda magis magiſque propaganda. Ne igitur ſæculo noſtro injuſta de cauſſa bella moveant; diſcantque ſuum eſſe criticæ exercitationi campum, longe lateque patentem, præter obtrectationes & ſumptas de trivio contumelias. His qui delectatur, Momus quaſi aliquis habetur inter Muſas; cui ſi locus eſt in Republica literaria ullus, non ea conditione eſt, ut nobis ad imitandum proponatur; ſed ut quid potiſſimum fugere debeamus, ſua fœditate demonſtret.

ſtret. Erit hoc etiam ad ætatis hujus felicitatem referendum, ut cum bonorum copia tanta ſit, quanta olim certe numquam; mala ipſa, quæ rerum humanarum conditionem ſequuntur, in uſum aliquem bonum convertantur.

Sed ab intento jam curſu me temporis ratio revocat. Multo vero magis vos ipſi revocatis, quos magna cum animi mei lætitia præſentes intueor, Clariſſimi Profeſſores; quorum ſinguli vel altiſſimæ ſcientiæ, vel artis egregiæ, vel mitioris facultatis, vel omnium ſimul facultatum & artium eruditione præditi, exemplo magis veſtro, quam ullius poſſit oratio, importunos antiquitatis laudatores ad ſilentium compellitis. Illud propterea eſt reliquum mihi unum, ut hos, qui me circumſtant, adoleſcentes diligentiſſime moneam, ne tanta ſæculi fortuna, ne parentum ſuorum cura, ne tot inſignium Profeſſorum induſtria, ne Principis Sereniſſimi liberalitate ad otium abutantur. Tanto enim major ſecutura ignavos pœnitentia eſt, quanto circa ſe plures literatos viros, quocumque ſe verterint, aſpicient.

E P I S T O L A

Præpoſita editioni primæ hujus Orationis.

AD ASSANIUM LASCARUM SYNDICUM.

Veteri inſtituto receptum eſt, ut orationes, quæ in hoc Patavino Gymnaſio ad inſtauranda literarum & artium Studia quotannis haberi ſolent, Syndicorum nomine & auſpiciis in publicum emittan-

tantur. Cur ita faciat orator quilibet, ſatis cauſſæ habet, quod ita ſemper fieri conſuevit. Ego vero, cum ad te venio, ſi more veniam, & id facere me dicam, quod ceteri faciunt, injurius profecto ſim & ingratus. Domi ſcilicet auſpicia ſunt; Græcus Græcum, Sodalis Sodalem appello: nec ego alium invenire poteram, in quo ſpes meas libentius collocarem; nec tu alium, a quo officia magis debita repoſceres. Quod ſi in hujuſmodi rebus nobilitas in primis ſpectari ſolet, qua potiſſimum homines Superum beneficio hominibus excellunt, quis eſt in tota Græcia, qui ſe Laſcaris præferre audeat? Nullum prope eſt Græcæ hiſtoriæ monumentum, in quo Laſcarus aliquis non celebretur. Genus late fuſum, gratia opibuſque abundans, armis ac literis per omnem ætatem inſigne. Hinc tu ad hujus Academiæ præſidium & ornamentum extitiſti, unde omen & bene ſperandi argumentum. Fac digna loco tam nobili: ut civitas hæc intelligat, Græcas terras evaſiſſe barbaras, Græcos homines adhuc humanitatem retinere. Vale.

ORA-

ORATIO XVI.

Habita ab Adoleſcente Scholaſtico ad inſtauranda Studia Gymnaſii Patavini.

Quam facile eſt videri, tam difficile eſt Litteratum eſſe.

NOn deerit fortaſſe (NN.) qui miretur & quærat, cur ego, qui anno ſuperiore loci hujus majeſtatem magnopere veritus, publice dicendi munus ingenti trepidatione ſuſcepi, nunc in idem periculum ſponte veniam, artibus ac litteris more ſolemni proluſurus. Non veniſſem profecto, niſi me quorundam rumuſculi excitaſſent, paſſim querentium, nimium me oratione illa ſæculo noſtro tribuiſſe ; & ignavos adoleſcentes, quaſi explicato ſupra fidem & veritatem domeſtico patrimonio, in ignavia confirmaſſe. Ego vero, Auditores, nihil minus cogitavi. Ac proinde rurſus prodire volui ; ut ſiquid forte commodorum noſtrorum commemoratione aliquibus nocui, nunc incommoda ipſa memorando remedium adhibeam. Neque vero mihi telam retexere in animo eſt, aut ullo modo labefactare, quæ tanta animi corporiſque contentione in æde hac tam auguſta, teſtibus Superis vobiſque, firmavi. Iterum ajo ac defendo, artium ac litterarum ſtudia hoc ſæculo vel maxime florere: ſed idem tamen oſtendere aggredior, eſſe in iis ſtudiis pro magnarum rerum natura fallacias difficultateſque tantas, ut quam facile eſt litteratum videri, tam ſit difficile revera litteratum eſſe. Ecce vobis capita

pita duo, quibus quaſi terminis hodiernam hanc exercitationem circumſcribam: ex quibus demum apparebit, quanta animi providentia ſtudioſi adoleſcentes inanes & fucatas litteras vitare debeant, quanto labore veras & ſolidas conſectari. Exercitationis hujus noſtræ teſtes atque auſpices habemus illos ipſos, quos tam benevolos anno ſuperiore experti ſumus, hujus civitatis Præſides ac Moderatores ex omni ſæculorum memoria optimos ac vigilantiſſimos. Habemus eundem ipſum Pro-Rectorem ac Syndicum ASSANIUM LASCARUM, cui in annum alterum ob inſignem virtutem dignitas propagata eſt. Habemus eundem Profeſſorum ſapientiſſimorum Ordinem, qui jam nobis favere cœpit, & omnibus adoleſcentibus qui in hunc locum aſcendunt favere ſolet. Itaque primo illo die, quo me vobis dedi, bene ſperare volui: nunc ad experta beneficia, quaſique obſtrictam benevolentiam cum veniam, diei hujus felicitatem in tuto poſitam eſſe certo ſcio.

Cum præmia litteris ac diſciplinis propoſita ſæculo noſtro nec pauca ſint nec exigua, minime mirum videri debet, eſſe homines etiam minus idoneos, qui ad illa contendant. Deſiderium hoc ſive laudis, ſive commodi, ſive utriuſque, multis commune, fecit ut qui ſua parere hoc in genere nequeunt, aliena ornent atque explicent: atque ita cum ipſis rerum auctoribus ſociati & conjuncti eundem in locum veniant. Ajunt, fuiſſe primum viros ſapientes, qui res præclaras in commune bonum invenirent; non defuiſſe ſubinde, qui inventas augerent & abſolverent; denique eo jam ventum eſſe, ut ad famam & glo-

riam

riam ſatis ſit, has ipſas faciliore quadam via & ratione digeſtas atque illuſtratas poſteris mandare. Hactenus tamen ferenda eſſet conditio litterarum & artium, niſi eorum fallaciis deterior fieret, qui omnem doctrinæ laudem in eo collocant, ut librorum inſcriptiones ſyllabique addiſcantur, & plurima Scriptorum nomina pro re nata recitentur. Hinc magno natu homines, quidvis potius quam litteras vita ſuperiore conſectati, repente bibliotheca comparata, per argutulos quoſdam controverſiarum libellos, per epitomas, per elenchos, per ephemeridas inter magiſtros irrepunt, & prima ſubſellia occupant. Quam enim callide abdunt ſeque ſuaſque merces, ubi inſurgat aliquid gravius! quam nihil hæſitanter expromunt ſe totos, ubi in ſuam provinciam ventum eſſe animadvertant! Tam multos tibi de re propoſita ſcriptores referunt & interpretes, tam belle narrant de tempore, de loco, de cauſſis quibus editi libri ſunt, oppugnati, explanati; tam prompte judicant, caſtigant, attondent; ut eos recens ex Apollineis Muſarum ædibus demiſſos pene arbitreris. Quod ſi futile adeo litterarum genus non magna quadam calliditate tuerentur, omnia potius ferre parati, quam extra ſua illa munimenta aperto loco pugnare; intelligeres profecto, quam nulli ſint, quamque inepte in libros illos judices ſedeant & quæſitores, de quibus nihil fere norunt, niſi quod ex actis litterariis & compendiis didicerunt. Acta hæc ad memoriæ magis quam ingenii exercitationem comparata, etſi in homine artibus diſciplinisque gravioribus prædito ſperni minime debent, ſola tamen ſi invenian-
tur,

tur, vix honeſtiori bibliopolæ ad mercaturam exercendam ſatis præſidii afferunt & ornamenti. Hinc facile patior, hujuſmodi homines queri paſſim, nihil a noſtris in lucem edi; ea demum eſſe valida ingenia, quæ typis quotidie aliquid committant; infirmos ac deſides homuntiones domeſticis tenebris contineri. Scruta laudat Scrutarius: quique librorum titulis perdiſcendis nominis ſui celebritatem & famam definiunt, nihil mirum ſi, non quidem bonos, ſed multos libros laudant, ex quibus pro ſuo inſtituto proficiant. Equidem fateor eum qui revera ſcit, non ſibi uni ſcire debere; miſeramque eſſe quorundam modeſtiam planeque ridiculam, qui ſe contemptu gloriæ famæque latere dicunt: ſed tamen quodnam genus hoc impudentiæ eſt, omnes ſine delectu ad cœlum ferre rerum Scriptores; neque cogitare, quid quiſque protulerit, ſed quantum? Videte, quæſo, a bonæ illius antiquitatis moribus ac ſtudiis quantopere deſciverimus. Cum enim olim nihil eſſet magis in viris doctis reprehendendum, quam ſcribendi cacoethes, tanta nunc rerum facta converſio eſt, ut vitii loco habeatur, *perituræ parcere chartæ*. Imo didiceris quamtumvis multa, multa docueris; ſis licet & Philoſophus, & Juriſperitus, & Orator, & Poeta, & quod lubet; attamen niſi magni voluminis atque adeo multorum voluminum auctor es, in poſtremis jaces. Recinitur tibi identidem illud: quid habes hoc anno a te editum? quanti proſtant opera tua? quo librario uteris, quo bibliopola? Perinde quaſi non ſtrenue quidem pugnaſſe egregia militis laus ſit, ſed ſæpius in acie fuiſſe: & ille ipſe Therſi-

tes

tes ſuam ſibi gloriæ partem, Trojano bello confecto, vindicaverit, quod in Græco exercitu una cum cæteris fortiſſimis viris decem annorum ſtipendia meruerit. Si hos demum intra fines doctrinæ fama continetur, fruſtra in hac aquula velis remiſque laboramus. Quid enim poteſt eſſe facilius homini non invita Minerva nato, quam vel obſoleta quædam Scriptorum opera parum immutata pro ſuis venditare, vel adverſaria extrudere, vel externa patrio, vel patria externo idiomate reddere? aut, ſi nihil hujuſmodi in promptu eſt, ad illam confugere populi totius ſegetem, Epicedia, Genethliaca, Epithalamia, Panegyricos? Qui via hac ad litterarum gloriam eniti conſtituerunt, multum ſe profeciſſe putant, cum adhibitis in conſilium amicis, de titulo deliberarunt. Votorum hæc ſumma eſt, ſi verba cupreſſis ſimilia, plena, ſonantia, pluribus ex linguis compoſita inveniant, quæ voluminis frontem impleant luculente. Neque enim quid opere toto præſtare poſſint, ſolliciti ſunt, ſed quid initio ſtatim polliceri debeant: polliceri autem ſibi videntur egregie, ſi portenta verborum præfigant, quæ vix poſſint continenti ſpiritu ſingula pronuntiari. Jejunum eſt apud illos ac frigidum, *Demoſthenis orationes*, *Plutarchi opera*, *Ovidii carmina*; multoque plus ſaperent probabiles iſti ceteroquin auctores, ſi mimallonea διαγράμματα excogitaſſent, quibus accedentes ſtatim oculos in admirationem perducerent. Uſque adeone, Auditores ſapientiſſimi, nativus litterarum vigor extabuit, ut ampullas has, & (quod Syneſius ait) φλεγμαίνοντα ὀνόματα homines probent? caſtam vero

illam

illam dicendi ſcribendique ſimplicitatem aut vetuſtæ ſuperſtitionis, aut inficetæ ſiccitatis nomine contemnant? Vetera nimirum faſtidio ſunt; ac ſicuti veſtes, ita litteræ videntur nobis exoleſcere. Inhæres, inquiunt, religioſe nimium Ciceroni illi tuo; nimius es in Terentio lectitando; totus Plauti quiſquilias oles: tu te erige, ſi vir es; pone leviculam iſtam veterum verborum curam; magnoſque animos ſumens, aude aliquid dignum re, dignum hac ſæculi gravitate & ſapientia. In dubio tanti negotii diſcrimine ſalva tamen res erit, niſi qua tibi ſocietas ſit cum Ariſtotele. Huic vero homini bellum ubique indictum eſt, magno quodam ejus flagitio, quod diu nimium diſcendi ſtudioſis placuerit, eorumque animos & ingenia per ſæcula multa prope ſolus ex Philoſophis occupaverit. Ita facilis quædam ad nominis prædicationem & gratiam patefacta via eſt: ut ſiquis, cetera bardus, auſit in Philoſophum facile principem impudenter garrire, ſtatim incipiat eſſe aliquis, & ad publicam lucem emergat. Si auditoris judicium auferre ſatius eſſet, quam mereri, teterrimam hanc litterarum peſtem a nobis non deprecarer; quod jamdiu fuſa in plures late graſſetur, plauſuſque & fortunæ bona, ideſt vulgi beatitatem, ſæpiſſime pariat. Sed cum beatius mihi multo videatur ſoli placere Platoni, quam toti Athenienſi populo, quemadmodum Antimacho Clario recitanti contigit, quæſo vos obteſtorque, Juvenes ornatiſſimi, quibus me in hoc curriculo fortuna conjunxit, quæſo inquam, ut ſanioribus ſtudiis incenſi, non ad levem paucorum dierum laudem, ſed ad immortali-

tali-

talitatem contendatis. Hoc ſiquidem fatuæ plebis ſtudium clamoreſque ut excitare facile eſt, ita quod nullo ſatis firmo nitantur fundamento, vel ſtatim evaneſcunt, vel tota ad ſummum vita perdurant. Ipſa hæc mehercule facilitas rei pretium imminuit; ſemperque cordati viri per difficilia & abrupta vadere ad gloriam maluerunt, quam una cum populo planis tritiſque itineribus ferri, ad aſperiora quælibet trepidantes. Quæ cum ita ſint, quid eſt quo ego vehementius poſſim lectiſſimæ hujus juventutis animos ad litteras arteſque inflammare dicendo, quam ſi ita oſtendero auctas hoc tempore & exaggeratas, ut revera litteratum eſſe tam difficile ſit, quam eſt facile videri?

Profecto ſi alibi dicerem, quam Patavii, magnum quoddam onus ac prope immenſum ſuſcepiſſem; cui vel numquam facerem ſatis, vel tum demum facerem, cum vetera memoria repetens noviſque conjungens, univerſam artium ac diſciplinarum provinciam longa oratione perluſtraſſem. Nunc autem ibi dico, quo tamquam in Muſarum templum rerum pulcherrimarum profeſſores ac magiſtri ex omni Europa confluxere, quorum ſinguli artes minimum ſingulas, non nemo plures, univerſi autem ſimul omnia rerum genera, quæ certa aliqua regula ac ratione conſtant, & illam ipſam ἐγκυκλοπαιδείαν, quamtumvis magnitudine rerum, copia, & varietate diffuſam, complectuntur. Hos ego teſtes appello, num Hiſtoriæ, num Geographiæ, num Theologiæ, num Juris Legumque cognitio latius ætate alia patuerit: num Medicæ facultatis, num Phyſicæ, num Mathematicæ ſtudia, vel auctorum, vel interpre-

tum, vel ſectarum numero varia magis fuerint ac multiplicia. Quænam non dicam civitas, vel paullo honeſtior academia, ſed qui ludus, quinam homo eſt, vel homini ſimilis, qui malit in publica hac ſcriptitandi libertate alterius ſectator eſſe, quam nova excogitando familiam ducere etiam per inania, modo ſua? Nullus jam certus auctor, nullæ hoc tempore certæ leges, fines denique nulli diſcendi ſtudioſis præſtituti, quo ſibi ad extremum perveniendum intelligant, difficili aliquo, definito tamen, confecto itinere. Alibi obſtrepitur Ariſtoteli; Democrito alibi; alibi Epicuro: carioſa nonnulli Etruſcorum rudera movent; in recentibus quidam curioſe exultant; nec deſunt qui nihil probantes, Socratico more in omnes promiſcue inſurgunt, omnemque rurſus perſonam ſuſcipere parati, nullo ſibi vel tempore, vel loco ſatis conſtant. Ipſum hoc oratorium artificium quam eſt, bone Deus, Criticorum omnium diſputationibus excuſſum; opinionum varietate diſtractum; formis ac præceptis infinite auctum! Quodque mirabilius videri debet, non Græce modo, aut Latine dicentibus & Aſiaticæ, & Rhodiæ, & Atticæ, & Laconicæ pro Rhetorum libidine præſcriptæ formæ; ſed ipſa Italica lingua, quam in omnibus vitæ negotiis uſurpamus, tam multis legibus illigatur, ut quæ olim videbantur terræ patriæ beneficia, labore comparare debeamus. Certe mecum ipſe dum reputo, Græcos Poetas in altiſſimo jugo Deas litterarum præſides collocaſſe, quo eſſet hominibus per invia & confragoſa omnia multis laboribus perveniendum, videntur illi mihi aut fuiſſe delicati nimium,

mium, aut ſuo illo divino furore, ut appellant, in futuras ætates proſpexiſſe. Præclare enim cum illis agebatur, qui nullo linguarum ſtudio retardati, ſtatim ſe ad rerum cognitionem conferebant; in hac autem ipſa, anguſtis terminis concluſa, ſpe citius eminebant. Nobis primum & Latinæ & Græcæ litteræ diligenter tractandæ; tum vero tardius multo, quam ſit pro artium difficultate ſatis, ad diſcendum aggredimur: vixque ullo licet eſſe numero, antequam & ſingulas Philoſophorum familias cognoverimus; & egerimus cum Mathematicis; & Juriſperitos audierimus; & Hiſtoricis, & Oratoribus, & Poetis familiariter uſi ſimus. Ut propterea quæ olim ſingula ſeptenos Græciæ homines, totius antiquitatis principes, ad famam ſapientiæ ſempiternam abunde ornarunt, ea omnia ſimul collecta ne ſapientiæ quidem ſtudioſum noſtris hiſce temporibus difficillimis ſatis ornent atque inſtruant. Quid ita? Nimirum naſcentibus tunc primum artibus ſua vel mediocribus ingeniis laus erat: nunc autem ad juſtam ætatem & magnitudinem cum pervenerint, nemo ſuæ conſulit gloriæ ſatis, niſi Herculi, ut ajunt, clavam extorqueat, & prodigiis ſimilia faciat. Ita prorſus cum primum inſtitui cœptæ ſunt navigationes, Jaſon ceterique Argonautæ exiguum mare menſi, cœlum ipſum attigiſſe viſi ſunt, naviſque illa luculenta, tamquam res divina, multorum commentis inter ſidera eſt collocata; nunc vero vix paucis noti ſunt Sebaſtianus Decanus, Franciſcus Drake, Thomas Candiſchius, qui tamen per maria omnia fœda monſtris, prædonibus infeſta, ſcopulis ac tempeſtati-

bus formidoloſa totum hunc orbem quaquaverſus objere. Etenim principia rerum admirationem ſibi inſolentia & novitate conciliant; quæ aliquo exemplo fiunt, uſu ipſo & conſuetudine plerumque vileſcunt. Quid vero ſi ad hæc hominibus non valde copioſis maxima omnium accedat difficultas, librorum & præceptorum inopia? Quis non videt amplificatis adeo bonorum promiſcue malorumque ſcriptorum licentia litteris ac diſciplinis, nec ſine ingenti bibliotheca tentari quippiam cum laude poſſe, nec peritiſſimo ſine duce feliciter urgeri opus, & ad exitum duci? Hæc autem niſi ſumptibus immenſis, gratia, & auctoritate non paranda, quam longe mediocritatem hanc noſtram privatamque fortunam ſuperant? ſcilicet hoc unum deerat temporibus aſperis, ut cum hominum externa bona pecuniæ imperio ſubjiciantur univerſa, animus quoque ipſe, animoque inſitæ facultates ab ipſa penderent: ſicque miſerrime fieret ad artium & litterarum detrimentum, ut quemadmodum pecunioſi homines laboris tædio in ſcholis ſedere nolunt, ita tenuiores multarum rerum inopia impediti arcerentur. Ego equidem, niſi nobis divinitus contigiſſet, Adoleſcentes, ejus Reipublicæ auſpiciis dare operam litteris, quæ nihil patiatur deeſſe bene conantibus, ad alia vos impellerem, unde certus aliquis laborum fructus exiſteret. Sed quoniam nihil eſt in hac urbe ad doctrinam & eruditionem cuiquam deſiderandum, nolite per veſtram fidem Principis liberaliſſimi voluntati ſegnius reſpondere. Eſt ſane ratio omnis litterarum ardua, ſalebroſa, pene ultra modum diffuſa: magnum quid-

quiddam eſt litterati nomen, ſplendidum, auguſtum; vixque uni aut alteri ſingulis ætatibus conceſſum: ſed tamen reputate, nihil eſſe experrectis ingeniis tam invium, quo nequeant acri adhibito conatu operaque diuturna tandem aliquando pervenire. Dixi.

E P I S T O L A

Præpoſita editioni primæ hujus Orationis.

AD ASSANIUM LASCARUM SYNDICUM.

UTrumque noſtrum incredibili modo conſentit aſtrum. *Juvat enim iiſdem te affari verbis, quibus Horatius Mæcenatem ſuum. Tu iterum Syndicus, ego iterum Orator; eademque fata nos hoc anno conjungunt, quæ ſuperiore conjunxerunt. Sed in negotio valde ſimili diſſimiles cauſſæ ſunt. Tibi enim idem honor in annum alterum iccirco propagatus eſt, quod experta virtus expectationem fallere non poſſit: ego rurſus in eandem arenam vocor, ut priore periculo monitus tolerabile aliquid enitar. Itaque tuum nomen in tuto eſt; meum vero majori cuidam diſcrimini objicitur. Illud me tamen erigit & ſolatur, quod infirma firmis ſociata facile conſiſtant; nec poſſit non probari, qui prodit in medium auſpicio bono. Tu igitur me tegere debes; & efficere, ut omnes intelligant, publicarum exercitationum præſides neſcio quid numinis habere, & exercitationes ipſas pro mortalium conditione fortunare. Ego, quantum quidem in me erit, mihi non deero, auſus etiam ſupra vires, quod bis in eodem peccanti nulla venia ſperanda ſit. Vale.*

ORATIO XVII.

Habita ab Adoleſcente Scholaſtico ad inſtauranda Juriſprudentiæ Studia Gymnaſii Patavini.

De Lege Regia.

CUm publicæ lucis experimentum (NN.) tam difficile ſit ac periculoſum, quam quod maxime, mirum videri profecto debet, inveniri quotannis, adoleſcentes famæ ſecuros, qui hujus auctoritatem loci non reformident. Id ea fortaſſe de cauſſa fit, quod qui de Juriſprudentia, de Medicina, de Philoſophia dicturi accedunt, nihil aliud ſibi propoſitum putant, quam ut harum diſciplinarum naturam in genere toto patefaciant: cujus quidem rei tanta copia eſt, ut aliena deſcribere volenti, ſibique arrogare, magis laborandum ſit, quid omittat, quam quid ſumat. Ego præter meam & multorum expectationem in hanc provinciam vocatus, ſtatim cogitare cœpi, quomodo ex campo tam vaſto exire poſſem; meque certis terminis concludere, quibus animus veluti compreſſus vires colligeret, ac de ſuo aliquid niteretur. Non tenebo vos pluribus, Legem illam, quæ *Regia* dicitur, prima hac ſtudiorum noſtrorum exercitatione, ad auſpicium comparata, infirmare conabor, ac veluti ſurculum loco non ſuo per dolum & fraudem inſitum exſcindere. Non ignoro, quantum laboris ac periculi ſuſcipiam, quoties reputo, Legem hanc viris longe omnium con-

conſultiſſimis fuiſſe probatam, & tanquam aureum antiquitatis monumentum ad firmandam Imperatoriam Majeſtatem in Romano Jure collocatam: attamen rogo vos atque obteſtor, ne magnorum Scriptorum nomine capti, contra adoleſcentem, cauſa nondum audita, pronuncietis. Primum enim nihil prohibet, quin magni Scriptores magnis Scriptoribus repugnent; deinde fieri poteſt, ut illi ipſi, qui minus doctrina valent, in ancipiti controverſia eam partem ſuſcipiant, quam viri docti æſtu quodam ingenii rapti deſeruerunt. Adeſte animis de re non levi judicaturi; meque, ſicubi defecero, benevolentia & humanitate ſuſtinete.

Sed quia video, qui Romani Juris periti non ſunt, eos non ſatis intelligere, quid *Regiæ legis* nomine ſignificetur, & quo ſpectet tota hæc controverſia, initio rem totam aperiam. Cum Tribonianus digeſtione illa ſua, vetuſtis Legibus & Romanæ civitati minime commoda, multa turbaſſet, quæ ad legitimæ poteſtatis diſcrimina pertinebant; mentionem injecit legis cujuſdam antiquæ, quæ *Regia* nuncuparetur, quæque omne Jus omnemque Populi Romani poteſtatem in Imperatorem transferret. Lege hac antiqua roboratum putat Ulpiani reſponſum, per quod (niſi in hoc ipſo aliquid fraudis latet) ſummum rerum omnium arbitrium Imperatori recens creato tribuebatur: quo fiebat, ut & βασιλεὺς a Græcis diceretur, & regio more populos civitateſque gubernaret. Atque ita quidem tales tantaſque tenebras Juriſconſultis atque Interpretibus offudit, ut exiſtimaverint Rempublicam omnem ejuſque auctori-

tatem ab Auguſti dominatu intercidiſſe, & in quandam Regni formam tranſiſſe. Id nos ſcilicet negamus, contendentes nec legem *Regiam* fuiſſe antiquis temporibus ullam, nec per illud Senatus conſultum, quod hoc nomine fertur, regiam auctoritatem Imperatoribus fuiſſe collatam.

Quod antequam facio, peto a vobis hanc veniam, ut liceat mihi, ducibus magnis viris, de Triboniani fide dubitare, qui ut erat ad adulandum projectus, nulla commenta omittebat, quibus poſſet Imperatoriam poteſtatem amplificare. Age igitur videamus primo loco, num probabile ſit, poſt Reges exactos latam fuiſſe legem, quæ *Regia* nuncuparetur. Qui ita ſibi perſuadeat, oportet illum in moribus atque inſtitutis Romanæ civitatis rudem ac peregrinum eſſe. Ex quo populus ille, præter modum libertatis cupidus, Tarquinios ejecit, ita cavit in minimis quoque rebus, ne quid ſibi regium vel re vel nomine obtruderetur, ut hac in parte abiiſſe ad extrema viſus ſit. Siquid umquam crudele patratum ab eo populo eſt, ceteroquin ad humanitatem mirifice comparato, in eos duntaxat patratum eſt, qui aliquam Regii nominis ſuſpicionem moviſſent. Suſpicio hæc prodidit homines de Republica optime meritos, Gracchos, Melios, Capitolinos, atque inſuper alios, quos non eſt opus commemorare: quique eos in populi invidiam adduxerunt, non aliud egerunt, quam Reges appellarunt; ſcilicet quod nimiam quandam præſtandi cupiditatem præſeferrent, quæ fortaſſe in civitate æquo jure vivente ferenda non erat. Neque vero cum primum Imperatores libertatem labefactarunt, ullius

lius nominis, aut poteſtatis Regiæ mentionem facere auſi ſunt; rati populum Romanum iniqua omnia pati poſſe vel infra ſervilem conditionem, regiam vocem pati non poſſe. Quid exiſtimatis in cauſa fuiſſe, ut illi ipſi, qui maximis beneficiis, propinquitate, familiaritate Julio Cæſari conjuncti erant, ei necem molirentur, niſi quod imprudentia quadam M. Antonii *Rex* fuerat in Lupercalibus ſalutatus? Etſi enim Cæſar & Regium nomen, & Regis inſignia publice repulerat, attamen tantum illi invidiæ ex hac ipſa ludicra ſalutatione conflatum eſt, ut multi ſtatim in illum exarſerint, & quavis conditione perire voluerint. Poſt exempla hæc perſuadere nobis conabitur Tribonianus, legem latam de Imperatoris auctoritate fuiſſe, quæ *Regia* nuncuparetur? Niſi forte putat, legem, quæ ſub Regibus fuiſſet, a populo Romano eſſe renovatam, & ad Imperatorium dominatum translatam. Mitto, hoc ipſum odioſum eſſe, ſicuti cetera quæ hactenus dixi, jura illa Regia convaleſcere, quæ Regibus exactis penitus abrogata ſunt, magniſque contentionibus ex publicis tabulis & ex omni memoria ſublata; mitto inquam odioſum eſſe, ac proinde minus credibile: illud quæro, qua ratione, aut quo monumento probetur, & fuiſſe hanc legem, & eſſe renovatam. Si verbo ais, verbo nego. Mirum eſt enim, Auditores, quomodo illi qui legem *Regiam* nobis venditare conantur, nihil de loco, nihil de tempore, nihil de auctoribus hujus legis dicant; ſed tanquam levem quandam Juris particulam, quæ ad privata negotia componenda pertineat, eam dicis cauſſa, & aliud agen-

gentes in medium proferant. Qui hoc quo ſpectet non intelligit, aut nihil intelligit, aut certe non is eſt, qui ad Scriptorum fraudes cognoſcendas accedere poſſit. Sed videte quam liberaliter agere velim. Concedo legem *Regiam* fuiſſe, ſi Imperatores hoc jure vivebant, & imperabant. Et ne verbis ludamus, habete quid ſit lex *Regia*. Eam legem hoc nomine ſignificari puto, quæ uni homini ſupremum rerum omnium & perpetuum arbitrium tradit; quæ illum vitæ & necis, belli & pacis ſine provocatione dominum facit; quæ omnibus civitatis legibus & oneribus liberat; quæ denique unum ſtatuit, a cujus nutu univerſi ac ſinguli pendeant. Nunc ipſi vos, qui Romanam hiſtoriam tenetis, cum animis veſtris reputate, num Imperatores hac lege uterentur; ex quibus Adrianus quidem palam edixit, cum imperium caperet, ſe Rempublicam ita geſturum, ut ſciret populi rem eſſe, non propriam; Alexander vero diſpenſatorem ſe publicum profitebatur. Neque enim Principis nomen, quod Imperatori tribuebatur, Regium aliquid ſignificat, cum ipſa quoque florente Republica, quem digniſſimum Senatorem Cenſor judicaſſet, is Princeps Senatus diceretur. Itaque cum Tiberius ajebat, ſe eſſe Dominum ſervorum, Imperatorem militum, & Principem ceterorum, nihilo plus ſibi poteſtatis tribuebat, quam quod liberæ civitatis Capiti debebatur. Non ſum neſcius & Tiberium ipſum, & Imperatores reliquos, impotentia dominandi abreptos, tantum ſibi licere voluiſſe, quantum poterant: ſed hoc quidem tantum abeſt, ut ulla lege facerent, ut contra, quod ita facerent,

in magno civitatis odio & perpetua quadam capitis dimicatione verſati ſint; donec populus conſuetudine malorum fractus, & veteris libertatis plane oblitus iniquam dominationem pati didicit. At enim ſupereſt adhuc inter vetuſtatis reliquias Senatus Conſultum, ex quo apparet infinitam quandam poteſtatem Veſpaſiano tributam fuiſſe: nec vero difficile eſt coniicere, ad cujuſque principatum conſtituendum tale aliquid fuiſſe uſurpatum. Videte, Auditores, quam varia ſint hominum judicia. Ex quo monumento adverſarii argumenta ducunt ad legem *Regiam* confirmandam, ego hoc maxime utor ad eam evertendam. Nam ſi Princeps quilibet indiget Senatus Conſulto, ut poſſit in Civitate jure dominari, nulla igitur unquam lex *Regia* lata eſt; quæ quidem ſi lata eſſet, Senatus populique auctoritas exaruiſſet. Sed ex ipſo Senatus Conſulto cognoſcamus, quænam ſit tanta hæc poteſtas, quæ Imperatori confertur. Primum permittitur illi, ut poſſit *Senatum habere ac remittere, relationem ac Senatus Conſulta facere*. Hic Reipublicæ Caput video, Regem & Dominum non video. Deinde ſtatuitur, *rationem habendam eſſe illorum extra ordinem, quos in petendis honoribus Imperator Senatui populoque Romano commendaverit, quibuſque ſuffragationem ſuam dederit*. Videtur ne vobis Regia poteſtas in hac commendatione eſſe? Si verba hæc ſerio recteque perpendimus, nihil ſignificant ejuſmodi, ut Senatus populuſque Romanus abdicaſſe ſibi ſuam auctoritatem dici debeat, & in alium tranſtuliſſe, a cujus voluntate tanquam a lege unice pendeat. Additur, *ut liceat Imperatori pomerii*

fines

fines proferre, *cum e Republica cenſebit*. An non idem in ſumma Civitatis libertate multis civibus permiſſum eſt? Verum ibi maximum rei totius momentum eſt, ubi habetur *Imperatorem ſolutum eſſe legibus*. Hic vero auxilium peto ab incomparabili viro Joanne Vincentio Gravina, qui difficultatem hanc in omnes partes verſavit, ac penitus ſuſtulit. Dicam igitur illa, quæ tantus hic Juriſconſultus dixit; ſed ille more ſuo, hoc eſt elegantiſſime, ego more meo, hoc eſt exiliter. Primum igitur ſolutum eſſe legibus, ſi Dioni credimus lib. 53. nihil eſt aliud quam liberum eſſe a pœnis, quæ in legum ſanctionibus continentur. Quamvis enim nihil tam proprium Imperii ſit, quam legibus vivere; ut ſcribit Alexander in leg. 3. Cod. t. 23. de Teſtam. attamen ſi Imperator deliquerit, non punitur. Præterea ut ut concedamus, Imperatorem legum vinculis fuiſſe ſolutum, non tamen ſolutus eſt vinculis legum omnium, ſed certarum duntaxat, quibus adjectum fuerat, ne Princeps teneretur. Hujuſmodi erant leges conjugales, caducariæ, & aliæ id genus, quæ ſolemnia quædam juris continebant, quibus obſtringi dignitatem tantam non deceret. Ceterum nemini, qui in Romano jure parumper verſatus ſit, ignotum eſſe poteſt, teneri Principem lege Falcidia, & multis præterea teſtamentariis: ut proinde Auguſtus non auſus ſit, aliquid ſupra legitimam portionem Liviæ uxori relinquere, niſi venia legis Voconiæ a Senatu petita. Nunc reputate, quanti valeat lex iſta *Regia*, quæ Imperatorem aliis legibus liberat, aliis non item. Atque ego tam multis verbis eminus

tela

tela jeci. Congrediamur. Si lege *Regia* Imperatoris munus & auctoritas nitebatur, cur Imperatores ſinguli, vel ii ipſi qui ſuperbiſſimi erant, & in omne crudelitatis genus profligati; cur, inquam, & Conſulatus ſumebant, & Pontificatum maximum, & Cenſuram, & Tribunitiam poteſtatem? Cur Auguſtus profitetur in monumento Ancyrano, *ſe Patriciorum numerum auxiſſe juſſu populi & Senatus, cum eſſet Conſul V. & Senatum ter legiſſe, & in Conſulatu VI. Cenſum populi Romani M. Agrippa Collega egiſſe?* Concedo enim, interdum Imperatores tanta poteſtate civitatem rexiſſe, quanta prope reges ſolent: ſed tamen ajo, non per legem aliquam *Regiam* id ſibi tribuiſſe, ſed per poteſtates populares ac Senatorias, quas ſumebant, & per temporum vices repetebant. Nolim videri juſto longior, præſertim apud homines Juris legumque peritiſſimos, quibus nihil eſt hujuſmodi ad intelligendum difficile. Habetis induſtriæ noſtræ ſpecimen, ut hinc cognoſcere poſſitis, quam viam & rationem in Juriſprudentiæ ſtudio teneamus. Reliquum eſt, ut rogem vos atque obteſter, ne contendentibus nobis ductu veſtro & ſapientia deeſſe velitis. Non deerit certe Eminentiſſimus hujus Civitatis Epiſcopus, a quo de more ante omnes auſpicia petimus, ut appareat quantopere litteræ cum religione conjungi debeant. Non deerunt Patavini populi Præſides ac Moderatores vigilantiſſimi, qui in hoc ipſo ſui Regiminis initio multis rebus demonſtrarunt, ſe quidem totam Civitatem benefaciendi voluntate complecti; attamen partem hanc ſingulari quodam ſtudio proſequi, &

tan-

tanquam filiolam deoſculari. Non deerit poſtremo loco generoſi animi adoleſcens, *Pro-Rector ac Syndicus*, qui munus hoc natura ſua tam ſplendidum, quam is a quo ſuſtinetur, moribus, ſedulitate, liberalitate ornare cœpit: unde liceat toti huic ſtudiorum curriculo bene ominari. Dixi.

EPISTOLA

Præpoſita editioni primæ hujus Orationis

AD SYNDICUM.

Cum Orationem hanc, quæ publici juris ſit, ad te potiſſimum affero, more & conſuetudine facio: ſed tamen lætor, morem hunc cum mea erga te voluntate ſtudioque conſentire. Nam ſi mihi integrum eſſet, unum aliquem ex his omnibus nobiliſſimis adoleſcentibus, qui in Patavina Academia vivunt, appellare, & auſpicem rei hujus conſtituere, tu certe is eſſes, quamvis tanto honore ac dignitate careres. Neque enim admiror Syndici nomen, quantumvis illuſtre: ſed indoles iſta tua ad omnem virtutem & humanitatem conformata, & me & illos omnes, qui paullo altius res ſpectant, vehementer capit, tenet, obſtrictum habet. Cetera hominis bona poſſunt eſſe a fortuna, quæ temeritate regitur, hoc unum hominis ipſius bonum eſt. Mature cœpiſti veræ laudi operam dare; & ſiquidem ita perges, ut procul dubio perges, videbis nomen tuum, non jam iſtiuſmodi lucubratiunculis, ſed maximis & graviſſimis litterarum monumentis, ad hominum commendationem, & poſteritatis memoriam propagatum. Vale.

ORA-

ORATIO XVIII.

Habita ab Adoleſcente Scholaſtico pro Artium inſtauratione Gymnaſii Patavini.

Juniorum Philoſophorum inventa a Græcis fontibus derivari.

SI cui forte mirum videtur (NN.) cur ego, qui hujus diſcrimen loci, in quod me anno ſuperiore Juriſprudentia conjecerat, vix ſuperavi, rurſus fortunam tentare audeam Artibus proluſurus, is quæſo reputet in humana vita quædam contingere, quorum cauſſa vel reddi omnino non poſſit, vel publice reddi non debeat. Id pro certo habete, mihi quidem primi illius periculi nondum oblito alterum hoc ſuperveniſſe; quod niſi libenter & animoſe ſubeam, illorum conſilio injuriam facere videar, quibus rerum noſtrarum cura Principis judicio commiſſa eſt. Atque, ut ingenue fatear, quod res eſt, jamdiu cupiebam in eum locum adduci, ut de philoſophicis ſtudiis publice dicerem; quod concoquere nequeam, eſſe tam multos hac tempeſtate, qui veterem Græcorum, noſtrorum philoſophandi rationem contemnant, ſeque junioribus neſcio quibus, non dicam in diſciplinam, ſed in obſequium & adulationem tradant. Ego equidem, quantum ætas hæc mea ferre poteſt, in iſtorum provincias excurri, qui noſtræ infeſti ſunt: nova rebus nomina indita, experimenta paſſim jactata,

ma-

machinæ, tabulæ geometricæ, omnia in ſpectaculum & admirationem compoſita. Neque vero diſfiteor, in his ipſis quædam latere ingenioſe inventa, quorum acceſſione philoſophicum ſtudium creſcat, & novam quamdam figuram induat: veruntamen ita mihi perſuadeo, ſiquis velit ex animo nobiſcum agere, eum facile conceſſurum, rivos iſtiuſmodi a Græcis fontibus derivari. Id ſi oſtendero, quemadmodum ſpero, nolo vos iccirco, adoleſcentes optimi, a novis Philoſophis deſciſcere, ſed eos cum veteribus conſociare: qua ſocietate fiet, ut undique muniti adverſus pericula omnia in litterariis exercitationibus ſtare poſſitis.

Veteris philoſophiæ nomine non priſca quælibet Græcorum dogmata intelligo, quæ jamdiu coli deſierunt, Pythagorica, Platonica, Stoica, Epicurea, ſed doctrinam illam multorum ſæculorum uſu comprobatam, & in dies magis per obſtantia floreſcentem, quam ab auctore Ariſtoteleam, a ſchola Peripateticam nuncuparunt. Hanc ego ajo ejuſmodi eſſe, ut ſi teneatur, ceteræ etiam, quæ novæ dicuntur, facile parari poſſint; & in unum quoddam ſapientiæ genus omnes omnino coerceri. Id vero non iccirco tantum dico, quod Peripateticum philoſophandi genus ſubtile & acutum, ita hominum ingenia patefaciat, explicet, exacuat, ut omnia, quæ deinceps aggrediuntur, plana & expedita judicent: ſed eo præſertim, quod pleraque omnia recentium philoſophorum inventa ab illo prodierunt, aut cum illo conſentiunt, aut ad illud ſine cura ingenti referri poſſunt. Et quidem cum univerſa philoſophia in tres partes diſtributa ſit, ut eſt apud Ciceronem in libro

bro de Oratore primo, *in naturæ obſcuritatem*, *in diſſerendi ſubtilitatem*, *in vitam atque mores*, hoc eſt in Phyſicam, Logicam, & Moralem, lubet ne per ſingulas ire, ut has corniculas denudemus? Agedum a moribus exordiamur, quæ una olim habita eſt philoſophia. Quid nobis tam divinum afferunt homines iſti de virtutibus ac vitiis, de animi tranquillitate & perturbatione, de vera & falſa felicitate, quod non multo ante docuerit Ariſtoteles in libris ad Eudemum, in magnis moralibus, in Ethicis ad Nicomachum? Equidem non inficior, Sacrarum Scripturarum lumine multa nobis ad mores componendos innotuiſſe, quæ fruſtra quærantur in ſchola Peripatetica: veruntamen ſi quæ philoſophi ante Ariſtotelem omnes, Pythagoras, Socrates, Plato, ſi quæ ceteri poſt ipſum litteris tradiderunt, non theologica, ſed philoſophica trutina examinemus, hunc unum vidiſſe omnia fateri cogimur, quæ vix ſingula ſinguli, & quæcumque ipſa per ſe capere poteſt philoſophia. Nunc qui ſe plus ſapere credunt, virtuteſque ab Ariſtotele poſitas accuſant, aut ordinem, aut officia mutant, non illi quidem ſuo, ſed verbi divini lumine ducuntur; nec inde oculos avertunt, quin volentes nolentes in noſtra incidant cogitata. Audivi aliquos ita acerbe animatos in Ariſtotelem, ut cum hæc negare non poſſent, eo devenirent, ut Ethicos libros ad alium auctorem vindicarent. Sed hoc vetus crimen eſt, & a Græcis Scriptoribus, & a Latinis abunde dilutum. Regnet igitur hac in parte late dominus, quam ne hoſtes quidem ipſi valde petunt in ceteris occupati.

Ad Logicam veniamus. Sed quid Logicam dico? *Artem cogitandi* hoc tempore appellant; ut Peripateticis nomen quoque ipſum vetus ac pene ſacrum extorqueant. Verum bene habet, quod præter nomina & ordinem vix quippiam mutant. Niſi forte illi magnam rerum mutationem inducunt, qui decem Ariſtotelis Categorias numero minore concludunt; aut qui hominis cognitionem a ſenſu incipere negent, innataſque ideas propugnant. Interim tamen eaſdem cogitationes, eoſdemque cogitationis modos admittunt; nullam novam ſyllogiſmi formam, nullam veritatis notam de ſuo penu producunt: quidquid Ariſtoteles de ſimplicibus, ac compoſitis notionibus, quidquid de enunciatione, de argumentatione, de Analyticis, de Topicis, de Sophiſticis pronunciat, ratum habent. Ergo valde homini Peripatetico laborandum eſt, ut Dialecticas juniorum meditationes comprehendat; non eſt ingenii noſtri ad hos elegantiſſimos libellos accedere, quos Ariſtoteli opponunt; ſudandum & algendum, ut antiquis ſtudiis obliteratis, nos quoque cum Gallis, & Batavis recte cogitare incipiamus. Enimvero ſi tota horum hominum induſtria his finibus contineretur, nihil omnino cauſſæ eſſet, cur ſe a nobis alienos putarent, & nova ſibi ſubſellia conſtruerent; ſed nequid diſſimulem, hanc nobis ultro provinciam concedunt, ſeque in Phyſica jactant, quæ tertia eſt philoſophiæ pars initio propoſita.

Haud equidem ita deſipio, ut inficiari velim, multa juniores ex ultima antiquitate reparaſſe, multa etiam de novo reperiſſe, quæ vel Peripateti-

teticis abſunt, vel deſunt, vel contraria ſunt; attamen id peto, ut mihi quoque pro ſua humanitate non gravate concedant, ea quæ cum diſciplina noſtra non pugnant, conjungi poſſe; quæ pugnant, explicari, & in concordiam adduci. Non omnia tam brevi tempore complecti poſſum; ſed tamen ſi capita rerum tantiſper attigero, nullo negotio patefaciam, diſſidia fere omnia verborum eſſe. Cur enim noſtra principia *materiam*, *formam*, *& privationem* tantopere exagitant? An non illi quoque, ſi ullam rerum naturalium mutationem admittunt, idem re affirmant, tametſi verbo negent? Nulla certe mutatio fieri poteſt, niſi ſit terminus a quo res mutanda recedat, qui a nobis dicitur *privatio*; terminus ad quem procedat, qui a nobis dicitur *forma*; res ipſa denique recedendo, & procedendo mutata, quæ a nobis dicitur *materia*. Quamquam cum *privationem* dicit Ariſtoteles, eo dicit ut *negationem* excludat; quod quidem in generatione quam ſit neceſſarium, illi ſatis intelligunt, qui hujus Philoſophi Logicam non ignorant. Aliter explicari terminus ille voce una non poterat. At enim Peripatetica materia *neque quid eſt*, *neque quale*, *neque quantum*. Ita; quia nulla res definita eſt, ſed unde res omnes. Atqui ne tuæ quidem particulæ, o Gaſſende, neque trina Carteſii materia aut homo eſt, aut equus, aut lapis, ſed aliquid unde omnia. Pergite porro. Peripatetici putant formas eſſe ſubſtantias. Grave enimvero crimen. At ſi placet, eſſe accidentia, adite per veſtram fidem tertiam & ſexageſimam particulam libri primi Phyſicorum, ubi omnes omnino motus Ariſtote-

les numerans, *quæcumque fiunt, aut figuratione fieri*, dicit, *ut ſtatua ex ære; aut acceſſione, ut res aucta; aut detractione, ut ex lapide Mercurius; aut compoſitione, ut Domus; aut immutatione, ut quorum materia graves affectiones ſubit, & quodammodo variatur*. Numquid eſt aliquid hoc loco præter accidentia? Numqua ſubſtantiæ genitæ mentio? Nulla enimvero, nulla. Hinc facile turbas illas querelaſque ſedabimus, quæ in nos excitari ſolent, quod novas formas quotidie, veteribus pereuntibus, naſci dicamus, ortumque & interitum perpetua viciſſitudine ſibi ſuccedere; quaſi vero tritum illud vulgatumque ignoremus, *gigni de nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reverti*. Sive enim forma hæc ſubſtantia nuncupetur, ſive natura, ſive eſſentia, vocabula quidem ipſa varia ſunt, ſed nihil omnino ſignificant, quod cum ſuperiori Ariſtotelis ſententia pugnet, & ab illa materiæ modificatione, quæ per hodiernas ſcholas reſonat, diverſum ſit. Id nempe ætatis hujus noſtræ proprium eſt, ut vocibus ac nominibus diligentius ſtudeat: priſci homines in rebus occupatiſſimi ſine magna verborum cura ſcriptitarunt, unde tam multæ controverſiæ, diſceptationes, commentarii ad unam ſæpe voculam explicandam profecti ſunt. Neque vero omnia Ariſtotelis ſunt, quæ Ariſtotelici quidam, Latini præſertim, intemperantia quadam ſpeculandi, & unum ex alio deducendi, ad illum referunt: multa multi ingenioſe affigunt; alii aliter explicant; cumque inter ſe nullo modo conveniant, videntur tamen ſibi cum Ariſtotele ſinguli convenire. Contentiones iſtæ juniorum deliciæ ſunt, qui cum Peripateti-

teticum aliquem feliciter oppugnarunt, tum ſe magnos Imperatores exiſtimant, triumphum parant, & Ariſtotelem ipſum inter captivos ducunt ante currum. Eſt inter Peripateticos qui putet, vim quamdam innatam eſſe corporibus, qua ſe ipſa per ſe naturaliter moveant? Statim dies dicitur Ariſtoteli; quamtumvis Phyſicorum octavo ingenti voce clamet, multiſque verbis confirmet, *quidquid movetur, ab alio moveri*. Inducit aliquis bonus homo ſpecies neſcio quas *intentionales*, a corpore ſpirituque diſtinctas? Scilicet reus agitur Ariſtoteles, quod formas ſine materia ſenſiles in ſecundo de anima poſuerit. Perinde quaſi cum ſenſiles dicit, non ſatis appareat corporeas eſſe, ſed ita tamen tenues ac defæcatas, ut ſi corporibus compares unde effluunt, materia carere videantur. Enimvero nihil aliud ſonant, ſi lites tollere volumus, juniorum effluvia, quæ a corporibus jugiter erumpunt, ſenſuſque movent. Placet ne cuipiam de populo ſectæ hujus lucem appellare qualitatem a lucidis rebus plane diſtinctam? Jam ipſe pœnas luit Ariſtoteles; tametſi in libro de Anima 2. affirmate doceat, *lumen eſſe lucidi corporis in aliquo loco præſentiam*; & in ſecundo Poſter. t. 53. *lumen per laternam tranſmitti, quod ſubtilioribus partibus conſtet*. At illi certe nunquam in mentem venit, ut ea præſtaret omnia, quæcumque poſteri ſuæ doctrinæ ſtudioſi pro libidine commenti eſſent. Gravia ſunt, quæ dico, Auditores, ſed multo remanent graviora. Quid enim ſi oſtendam, Atomis pepercíſſe Ariſtotelem, aut cum his aliquando in gratiam rediiſſe? Sane in primo Phyſicorum libro, & in ter-

tio de Anima res naturales difinitos habere ſuæ parvitatis terminos docet, infra quos deſcendere nequeant. Tu ne igitur, inquiet aliquis, Ariſtotelem Democriticum facis? Ego vero hinc tam longe abſum, quam qui maxime: ſed tamen, ſi modo, ut ante dixi, ſocietas placet ſententiarum, primum quidem juniores in familiam noſtram invitabimus; deinde vero, ſi cedere noluerint, nos cum ſupellectile noſtra in eorum domos non inviti migrabimus. Videmus enim illos noſtris ſpoliis magna ex parte decoros; nec ſane tam acerbos putamus, ut nullo umquam tempore in tanta cogitationum ſimilitudine fœdus & amicitiam nobiſcum inire velint. Quam enim multa de elementis, quam de gravitate multa, de motu, de tempore, de ſenſibus, de ideis, de patiente & agente intellectu diſputare poſſem, quæ infinitam litium ſegetem juniores inter & Peripateticos excitarunt, cum tamen ſine ira explicata ad idem omnino ſenſum revocentur!

Sed cogenda vela, ut aliquid etiam de Metaphyſicis poſtremo loco ac veluti extra ordinem dicamus. Jam vero ſive hæc altiſſimarum rerum contemplatio de materia generatim differat, ſive ſpiritalia tractet, tota Peripatetica eſt, nulliſque prorſus rebus non dicam ab junioribus caſtigatur, ſed ne augetur quidem, aut ornatur. Percurrite omnia, viri ſapientiſſimi, quæ de ente ac modo entis, de ejus attributis ac primis notionibus ubique gentium diſceptantur; accipite univerſa, quæ de Angelis, de Deo, de mente humana aut dicuntur, aut ſcribuntur, nihil aliunde, quam ex fontibus noſtris manaſſe intelligetis. Niſi for-

te

te illa ad Metaphyſicam pertinent, quæ olim ad nos advecta, hoc nomine jactabantur; cum tamen revera tam longe abeſſent a Metaphyſica, quam illi qui jactabant, ceteroquin non indocti, ab hoc genere ſtudiorum & a cogitandi ſanitate aberant. Sed nimio plus mihi ſumo, qui coram doctiſſimis Philoſophis tam audacter de omnibus philoſophiæ partibus judico. Iſti vobis, adoleſcentes optimi, recte philoſophandi leges dicent; iſti vobis viam ad ſapientiam patefacient: quo in curſu nunquam deficietis, ſi vos ornatiſſimis Nationum Conſiliarius ſtrenue præeuntibus conjungetis. Aderit etiam vobis Eminentiſſimus hujus Civitatis Antiſtes pro ſua erga litteras & diſciplinas propenſione: aderunt Patavini Populi Moderatores, viri ſummi, & ad benefaciendum nati; quibus nihil gratius facere poteritis, quam ſi, quod veſtra plurimum intereſt, ſerio facietis.

E P I S T O L A

Præpoſita editioni primæ hujus Orationis.

AD URBIS PRÆFECTUM ET PRO-PRÆT.

O*Ratio hæc habita coram Te, SENATOR AMPLISSIME, non aliis auſpiciis, quam Tuis, in publicum exire debet, graviſſimumque oculorum judicium ſubire. Neque vero id ad tuam iſtam dignitatem ſolummodo refero, quæ ſumma eſt in hac Urbe, omniumque vota & obſequia jure ſuo ſibi vindicat; ſed mentis acumen & præſtantiam maxime ſpecto, qua totam hanc litterariam provinciam*

complexus es, unuſque potes, vel pene unus de parte ejus qualibet rectiſſime judicare. Nunc demum intelligimus, quantum interſit ad Civitatis omniumque ordinum felicitatem, ſi viri ſapientes imperent, ſuiſque oculis uti velint, ac poſſint. Nos litterarii ordinis adoleſcentes ſupra ceteros Tibi debemus, incredibili quadam beneficiorum copia cumulati; nec aliter reſpondere poſſumus, quam ingenua hac debitionis profeſſione, tamquam æterno ad poſteritatis memoriam documento. Perge, quemadmodum cœpiſti, bonis artibus litteriſque favere; unde religionis morumque ratio, populorum felicitas, Reipublicæ gloria, & ſi quid eſt in terris majus, potiſſimum pendet.

ORATIO XIX.

Habita ab Adoleſcente Scholaſtico pro Artium inſtauratione Gymnaſii Patavini.

De Medicis Judiciis.

QUod nautæ facere ſolent (NN.) ut quamvis in magna tempeſtate deprehenſi, otium & quietem per omne votorum genus a Superis petierint, tamen paullo poſt diſcriminis obliti rurſus ſe mari committant; id ego quoque facio, qui ſuperioris anni periculo defunctus, iterum publicæ lucis aleam ſubeo, hominumque de me judicia pertento. Sed illi quidem cum ſponte agant, Deos hominesſque iratos habent, ſi quando novis incommodis laborent. At ego improviſo graviſſimi Magiſtratus Decreto, cui reſiſtere nefas eſt, in hanc arenam vocatus, benevolentia veſtra ſublevari profecto debeo, ſi qua in parte deficere, aut labare dicendo videbor. Quanquam nihil eſt dubitandum, auctore tam bono:

Invalidas vires ipſe excitat, & juvat idem,
Qui jubet: obſequium ſufficit eſſe meum.

Facit enim ad rem noſtram, quod ſcripſit Auſonius ad Theodoſium. Interim quandoquidem tempus tulit, ut rurſus ex hoc loco de Medicina dicamus (quod volentibus, ac nolentibus bene vertat) cauſſas & rationes explicare volumus, cur Medica judicia difficillima ſint. Video enim, Me-

Medicos omnes in duo veluti genera diſpertiri, quorum alteri illud firmum decretumque habent, ut ſtatim atque accedunt ad ægrotos, fauſte ominentur, eoſque bene ſperare jubeant: alteri velut ex inſtituto gravia ac moleſta prænunciant. Habent utrique quid ſequantur, magis tamen ex ea, quam ſibi propoſuerunt, callide vivendi & agendi lege, quam ex Artis natura petitum. Nam primi illi bene polliciti, operam ſuam initio commendare ſtudent, nihil de exitu laborantes; alteri exitum ſpectant, qui quidem Artem probat, ſi malus ſit, vera prænunciantis; ſi bonus, mira patrantis. Num recte agant, atque utri rectius, non auſim decernere. Illud certe hinc colligo, firmiterque defendo, vel ex hoc ipſo apparere, Medicorum judicia multis graviſſimiſque difficultatibus implicari. Non opus eſt pluribus, ut intelligatis, qua de re dicturus accedam. Quod tamen antequam facio, ratio poſtulat, ut Medicum judicium in ſuas partes dividam, & ab omni ambiguitate liberem. Totum igitur hujus noſtræ Facultatis judicium vel ad morbi cauſſam & naturam, vel ad exitum pertinet: quorum alterum a nobis διάγνωσις, alterum πρόγνωσις appellatur. De utroque, ſi mihi ea benignitate, qua cœpiſtis, adfueritis, ſingillatim diſputabo; & quam potero planiſſime, utriuſque difficultates explicabo.

Et ut de eo primum verba faciam, quod ipſo naturæ ordine antecedit, ideſt de διαγνώσει, neminem unum eſſe exiſtimo, qui non videat, ad rectam morbi cognitionem corpus illud recte cognoſci debere, in quo morbus eſt. Porro cum corpus quodlibet partim ex fluidis conſtet, par-

tim

tim ex ſolidis, ille demum corpus cognoſcere di-cetur, & quod conſequitur, corporis morbos, morborumque cauſſas, qui tum ſolida, tum fluida probe tenebit, ſciteque explicare poterit. Hoc autem quantum eſt, bone Deus! Nam, ut a fluidis incipiam, quis unquam tam feliciter in re Phyſica verſatus eſt, ut fluidorum omnium figuram, contextum, mixturam ex iis glandulis ſæpe manantem, quæ oculorum aciem effugiunt, aut perſpexerit ipſe, aut ab aliis didicerit? Quis eorum motus, quis curſus ac recurſus, quis velocitatis & tarditatis momenta menſus eſt? Conjicere, divinare, ſuſpicari poſſumus, ſcire non poſſumus. Cum igitur fluida nemo cognoſcat; videtis quam difficile ſit, eorum temperationem cognoſcere; quando in rectam, quando in malam valetudinem vergat; num confirmari, an corrigi debeat, num Medico, an Coquo indigeat: De uno ſanguine, ut aliis fluidis parcam, tam varia atque adeo contraria obſervata & ſcripta ſunt, ut quotidie de ejus natura, de ſalibus, de acidis, de familiaribus & extraneis particulis, & quod maxime mirum eſt, de colore ipſo, qui ſub oculos cadit, deque coloris ſignificatione in Medicis ſcholis diſputetur. Tantas has difficultates Medici quidam ut ſuperarent, aut imminuerent, infundendi artem inſtituerunt: id eſt latices quoſdam pararunt, varioſque iis ſuccos miſcentes in brutorum venas infuderunt, ut alienis periculis docti, ſuæ noſtræque ſaluti conſulerent. Sed hoc ipſum quam fallax experimentum ſit & frugis expers, vel ex eo apparet, quod ejus uſus jam intercidit, præter quam apud illos, qui ad erudi-

tio-

tionem & ornatum res Medicas tractant.

Verum de fluidis hactenus. Ad ſolida veniamus, quorum genera cum plura ſint, pluribus item difficultatibus ſunt obnoxia, quas ſuperare noſtrorum temporum Anatomici valde nituntur. Illud pro certo habete, quamvis homines iſti diligentiſſimi multa in humano corpore detexerint, & in dies detegant, majoribus noſtris ignota, tamen multo plura eſſe, quæ adhuc latent. Quis muſculos omnes numerare poteſt, vaſcula, fibras, nervos, glandulas, ſtamina denique univerſa, quibus machina hæc per infinitos pæne anfractus & ambages in hominis figuram conſurgit? Attamen qui velit de iis recte judicare, prius cognoſcere ſingula debet. Sed fac, in univerſum cognoſci. An idcirco etiam in quolibet individuo cognoſcentur? Si pauciſſimæ partes, quæ hominis vultum componunt, & eodem ferme modo diſpoſitæ ſunt, tamen pro exigua varietate ſitus, quem tenent, ita variant humanas facies, ut in orbe toto duæ plane ſimiles inveniri non poſſint; quodnam judicium ferendum erit de interna cujuſque ſtructura, quæ infinitis partibus conſtat? Nunc ipſi per vos cogitate, num eorum morborum, qui a ſolidis manant, magis lubrica *διάγνωσις* ſit, an illorum, qui a fluidis. Utraque certe anceps, periculi plena, & plerumque fallax.

Si quemadmodum ſe quidam jactant, re vera Phyſici eſſent, hoc eſt totius naturæ periti, facile concederem, poſſe illos fluidorum & ſolidorum cauſſas, quæque ex his cauſſis pendent, ſive bona, ſive mala, perſpecta & cognita habere. Sed nullum nomen magis vanum eſt, quam quo

ipſi

Digitized by Google

ipſi ſe appellant *Medicos Phyſicos*. Scilicet Phyſicos ſe dicunt Galenici, cum vocibus quibuſdam ad rixandum inventis de ſubſtantia Peripatetica, de elementis, de qualitatibus diſputare cum ſuis didicerunt: Phyſicos ſe vocant Epicurei, cum omnia momentis, declinationibus, figuris, atomis definierunt: Phyſicos ſe nuncupant Carteſiani, Gaſſendiſtæ, Neutoniani, & reliqui minorum gentium diſputatores, cum per quantitatem, & motum quæcunque in hac rerum univerſitate contingunt, callida oratione evolverunt. Cum veritas Phyſica una ſit, omnes autem iſti tantopere inter ſe differant, quo jure ſe Phyſicos dicunt? Pythagoram ferunt, cum reputaret, quam difficile ſit, ſapientiam acquirere, noluiſſe ſe *Sophum* nuncupare, ſed *Philoſophum*, unde nomen ad reliquos manavit. Maxime vellem, ut noſtri quoque non ſe *Phyſicos*, ſed *Philophyſicos* nuncuparent, hoc eſt cognoſcendæ naturæ ſtudioſos. Si verecundia hac rerum Phyſicarum ſtudia tractarent, eadem prorſus in Medicam provinciam venientes, diu multumque dubitarent, hærerent, quærerent, cogitarent, antequam ad alicujus morbi διάγνωσιν ſe duci paterentur. Neque vero cum id dico, eos Medicos laudo, qui tamquam Harpocrates ægrotis aſſident, nihil judicare auſi. Hos ne Medicos quidem exiſtimo. Cautum judicium laudo; nullum condemno.

Quod ſi quis ab hac parte repulſus, ad alteram migrat, & in Medica πρόγνώσει ſe conquieſcere putat, huic ego initio ſtatim divini Hippocratis monitum recito: *Moneo* (inquit Prædict. lib. 2. c. 3.) *ut quam prudentiſſime agatur, tum in reli-*

qua

qua arte, tum in hujuſmodi prædictionibus. Nam is, cui ſucceſſerit prædictio, in admiratione erit apud ægrotum intelligentem; is autem, cui non ſucceſſerit, non ſolum odio erit, ſed etiam inſanus judicabitur. συμβουλεύω ὡς σωφρονεστάτους εἶναι καὶ ἐν τῇ ἄλλῃ τέχνῃ, καὶ ἐν τοῖσι τοιούτοισι προῤῥήμασι· γνόντας, ὅτι ἐπιτυχὼν μὲν ἄν τις τοῦ προῤῥήματος, θαυμασθείη ὑπὸ τοῦ ξυνιόντος ἀλγέοντος. ἀποτυχὼν δ' ἄν τις, πρὸς τῷ μισεῖσθαι, τάχ' ἂν καὶ μεμηνέναι δόξειεν. Scilicet nihil eſt difficilius, quam prædicere quid ſit futurum de re, quæ ab innumeris cauſſis externis interniſque pendere poteſt; quæ in corpore quolibet peculiaribus conditionibus prædita eſt; quæ variatur in horas; atque ita interdum variatur, ut divini aliquid interceſſiſſe, homines ignari naturæ ſibi perſuadeant. Audivi ego, hujus ætatis adoleſcens, Medicos graviſſimos, & fama nominis celeberrimos, repente ludibrio habitos, quod ſuprema fata ægrotis quibuſdam prænuntiaſſent, eoſque proinde deſeruiſſent, qui tamen poſtea mulierculæ curatione ſunt reſtituti. Itaque noſtri, qui plane ſapiunt, nihil umquam affirmate pronunciant. Accedunt ad ægrotum graves & meditabundi, venas tangunt, quærunt de tempore, de vitæ inſtituto, de poſtremis exercitationibus. In has fere morbi cauſſam conjiciunt; & ambiguis verbis rem totam deſcribentes, curationem ex alto ducunt; eorum, quæ præſcribunt, vim & effecta ambagibus involvunt; ſperare ſimul ac timere jubent; uno verbo ita orationem moderantur, ut quidquid acciderit, ſive ſua, ſive naturæ cauſſa, multo ante prædictum eſſe videatur. *Hac iter ad ſuperos*. Enimvero ſi in Arte ipſa certæ firmæque leges eſſent, quibus

mor-

morborum exitus ſine errore cognoſci poſſet, attamen cum plura intervenire ſoleant ſive ægrotantium impatientia, ſive aſſidentium incuria, ſive aeris ſiderumque mutationibus, quæ ſane in officio contineri nequeunt, prudentis Medici eſſet prædictionibus abſtinere.

At enim dicet fortaſſe aliquis veſtrum, Medicam Facultatem, quæ ſui operis exitum neque polliceri, neque ſcire poteſt, inter liberales non eſſe numerandam. Ita ne vero? Quin igitur & Oratoriam Facultatem, & Politicam excludimus, quarum neutra ſuæ contentionis exitum aut novit, aut præſtat? Oratoris enim eſt dicere apte ad perſuadendum, non perſuadere; Politici eſt non felicem Rempublicam facere, ſed illa omnia adhibere, quæ ad felicitatem Reipublicæ comparandam ſunt idonea. Quemadmodum igitur ſatis eſt ad Oratoriam, & Politicam laudem, ſi omnia fiant boni exitus gratia, quamvis minime fortuna reſpondeat, ita ad optimi Medici nomen debet eſſe ſatis, ſi omnia adhibeantur, quæ ad morborum curationes conducere videntur, quamvis neque prædici, neque præſtari ſanitas in tantis difficultatibus poſſit.

Nolim vero quiſpiam judicet, me talia commemorando adoleſcentum noſtrorum ſtudia retardare voluiſſe. Illud potius reputate, Juvenes ſtudioſiſſimi, eatenus a nobis *διαγνώσεως* & *προγνώσεως* difficultates recenſeri, ut diſciplinam latiſſime fuſam, dubiiſque rebus implicatam mature ſuſcipiatis, ſine intermiſſione tractetis, per omne laborum & induſtriæ genus cognoſcere nitamini. Habetis in hac Urbe magna exempla ad imitandum,

dum, in hac inquam Urbe, in quam Athenæ ipſæ migraſſe videntur. Habetis Hippocraticos Viros, habetis Philoſophiæ Naturalis ſtudioſos, habetis Anatomicos, & Botanicos, qui omnes, in ſua quiſque arte, peritiſſimi ſunt, & toto terrarum Orbe notiſſimi. Nolite abuti fortunæ beneficio, quæ vos eo loco collocavit, in quo ad proficiendum nihil deeſſe poteſt niſi voluntas. Monet atque excitat vos Eminentiſſimus Epiſcopus Patavinus, qui in tanta pietatis ac religionis cura, litterarum curam non intermittit. Monent Civitatis Moderatores, Ampliſſimi Viri, qui cogitationibus in nos converſis, id agunt in primis, ut ex Patavina Academia, tamquam ex equo Trojano, Viri præſtantes quotidie exeant. Monent denique nobiliſſimi ac ſtudioſiſſimi inclytarum Nationum Conſiliarii, qui non ordine modo, ſed contentione, & induſtria reliquos antecedunt, offuſa illis verecundia, qui vel ſequi nolint, vel tarde ſequantur.

E P I S T O L A

Præpoſita editioni primæ hujus Orationis.

AD CIVITATIS PRÆFECTUM ET PRO-PRÆT.

OMnes homines ita ſunt natura comparati, ut res ſuas, qualeſcumque ſint, ornari velint, & in pretio haberi: nec ullus eſt artifex tam ipſe de ſe demiſſe ſentiens, quin quod facit, non maxime cupiat placere aliis, & commendari. Ex quo fit,

ut

ut qui aliquid dicunt, aut ſcribunt, quod prodire debeat, & hominum judicia ſubire, ſi forte dubitant de ingenio ſuo, aliunde præſidia quærant, ſeque magno aliquo nomine, tamquam Ajacis ſcuto, adverſus irruentia tueantur. Ecce tibi, Senator ampliſſime, quid mihi animo propoſuerim, cum orationem hanc, auſpiciis tuis habitam, non aliter in vulgus exire volui, quam iiſdem auſpiciis, eodemque nomine tectam: ut cum ipſa per ſe parum valeat, titulo ſaltem ornata & munita, tantam hanc litterarum lucem ſine periculo ſuſtineat. Quamquam quid ego mihi præcipue arrogo? Quem potius, ſi recte cogitamus, appellare Muſæ noſtræ debent, quam illum, in cujus ditione & imperio ſunt, a quo uno potiſſimum in hac urbe pendent, cujus manu aluntur & ſuſtentantur? Eas igitur tibi ſiſto, ad quem jure veniunt: meque in primis earum nomine quaſi facem anno huic litterario præferentem tutelæ tuæ fideique committo. Tantum autem nobis in poſterum de tua bonitate pollicebimur, quantum in præſenti velut ad omen conferre volueris. Vale.

Digitized by Google

PARS II.

QUÆ CONTINET

PRÆFATIONES LIBRORUM,

EPISTOLAS PHILOLOGICAS,

ET EXERCITATIONES

ad uſum

SEMINARII PATAVINI.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

INſtitutæ ab Auctoribus Seminarii Patavini in qualibet diſciplina Diſputationes ita frequentes ſunt, ut nullum ſit ex florentiſſima iſta adoleſcentum caterva tam exiguum ingenium, quin prodire in arenam cogatur, ſuaſque vires qualeſcumque in omnium conſpectu experiri. Prima difficultas, & haud ſcio an maxima, in eo eſt, quod initio ſtatim eleganti aliqua & ad tempus comparata oratiuncula Auditorum animos parare oportet; tum iis, abſoluta concertatione, officioſis verbis gratias agere: quo in loco cum illi etiam plerumque deficiant, qui ceteroquin doctrina excellunt, quivis intelligit, quid poſſit adoleſcentulus, niſi aliena ope & auxilio utatur. Auxilium hoc ad eo peti ſolet, qui ſtudiis præeſt: at ego, cum munus hoc atque officium ſuſtinerem, ſæpe facere malui, quam reficere; ut ex his apparebit, quæ nunc certo conſilio ductus, publico judicio committo. Ac ſi nihil hujuſmodi perire ſiviſſem, jam non librum, ſed bibliothecam, ut ita dicam, dare poſſem. Verum & ſero colligere in mentem venit, & pauca opus eſſe duxi, quibus Juventus hæc, tamquam imaginibus ante oculos poſitis, cogitationes ſuas regeret, ac pro re nata ſimilia faceret.

Sed quia diſciplinarum ſtudioſi carere prorſus mitiorum litterarum ſtudiis non ſolent, neque mehercule debent, iccirco Academicæ quædam Commiſſiones

ſunt

Digitized by Google

ſunt inſtitutæ, in quibus de Latina Græcaque facundia ſemel in hebdomada certatur. In hac quoque parte Proœmia & Gratiarum actiones requiruntur: ſed Silvas inſuper, & lucubratiunculas, ut mos eſt, Græce reddendas ſingulis argumentis adjunxi; cum ut totum illarum ſcholarum ordinem oſtenderem, tum vero maxime, ut iis, qui me in munere tam operoſo ac moleſto conſequentur, teſtimonium aliquod diligentiæ ad commonendum relinquerem. His addere placuit librorum Præfationes, quod exemplo feci magnorum virorum; tum etiam Epiſtolas quaſdam philologicas, ex quibus aliquis ad hoc Latine ſcribendi ſtudium poſſet eſſe fructus. Inanes & otioſas ſi quis quæret, alibi quærat: non quod ego tale aliquid non ſcriptitarim, ſed quia non puto eſſe tanti, ut proferri ad exemplum debeat. Vale.

PRÆFATIONES LIBRORUM.

I.

De harum Lucubrationum Collectione prima.

Ad Hieronymum Canalem D. Marci Procuratorem.

QUandoquidem cultus atque obſervantia erga te mea, SENATOR AMPLISSIME, ad eam crevit magnitudinem, ut nihil poſſit eſſe ſupra; jam illud eſt reliquum, ut ejus diuturnitati conſulam, & quantum fieri per me poteſt, ad immortalitatem producam. Ac ſi mihi aditus per has potiſſimum lucubrationes ad tuam benevolentiam eſt patefactus, quem quidem maximum earum fructum ſemper exiſtimavi, in his ipſis tanti beneficii memoria conſignanda eſt; ut omnes intelligant, nec litteris deeſſe patronos, nec ſuis patronis litteras deeſſe. Utinam vero adhuc ille viveret meorum ſtudiorum auctor atque auſpex, Georgius Card. Cornelius, qui, qua erat in te voluntate, meum hoc grati animi officium valde pro-

probaret; & ſiquid aſſequi conjectura poſſum, juſſu etiam & auctoritate promoveret. At ego vel hoc ipſum memoriæ ejus perpetuo tribuam, ut quos ille, mirabili acumine & ſapientia Vir, ſuo judicio ornare ſolebat, omni ſtudio colam; tantumque connitar, quantum viventi atque imperanti ad meam fidem induſtriamque oſtendendam ſatis eſſet. Vides, quæ me in primis rationes impulerint, ut libellum hunc tuo nomine & auſpicio in vulgus ederem. Accedit, quod ea ſunt in te omnia, quæ ceteri Scriptores ſequi ſolent, quoties unum aliquem deligunt egregium virum, ad quem ſua opera inſtituant. Si enim Familiæ decus & nobilitatem ſpecto, tua eſt inter paucas illas, quarum antiquitas in patriæ primordiis latet; quarum ſplendor ac dignitas ad ſummum faſtigium pervenit; quarum opes & auctoritas nullo ſæculo intercidit. Sin autem in te ipſum oculos conjicio, ſi animi magnitudinem, ſi ingenium, ſi rectum atque elegans in re omni judicium perpendo, quis poteſt eſſe unus, cui magis me laboreſque meos commendatos velim? Verum etſi omnia tibi deeſſent, quæ a natura & fortuna proficiſcuntur, quorum certe nihil deeſt; tuus tamen iſte Latinarum litterarum amor perpetua optimorum ſcriptorum lectione in dies magis auctus me valde cepiſſet, & quadam veluti contentionis ſimilitudine ad hanc obſervantiæ ſignificationem adduxiſſet. Ut enim ſua quiſque amat, plurimique facit, ita libenter ad eos accedit, in quibus videt eſſe ſimilia. Non hoc ad gratiam dico. Cave enim tibi perſuadeas, tantum me in cujuſquam dignitate atque amplitudi-

ne collocare, ut ſi minus aptus mearum litterularum judex videatur, eas tamen ad illum afferre velim, eique dicatas emittere. Quod, ut opinor, & ipſe noſti moris mei totiuſque pæne vitæ conſcius; & iccirco commemoro atque confirmo, nequis forte dubitet, num tibi tuoque ingenio plus aliquid tribuam, quam quantum revera tribuendum eſt. Sed ego ſane, etſi mea omnia a te legi malo, quam ab aliis; tamen hoc ipſum cum reputo, quam acute videas, nemo eſt unus, ne ex iis quidem, qui ex inſtituto Latinam eloquentiam profitentur, cujus judicium magis verear. Quod non ita accipi velim, quaſi vero monitiones effugiam: nam tuas quidem etiam cupio, quas certo ſcio neque ſapientia carere poſſe, neque benevolentia. Vale.

II.

De eadem Collectione prima.

Ad Lectorem.

SI dixero, multos mihi doctos viros auctores fuiſſe, ut has Orationes uno volumine comprehenſas emitterem, veterem cantilenam recinere videbor, qua non gravium modo rerum, ſed etiam leviſſimarum ſcriptores uti ſolent. Huic igitur cauſſæ parcendum eſt; quod eam nimis multi occuparint, & in fidei ſuſpicionem adduxerint. Sequitur altera, & quidem potior, in eo

po-

poſita, quod cum ego ſingulas ad noſtrarum exercitationum celebritatem ſuperioribus annis foras dediſſem, paucis diebus perituras, ut fere fit, nunc denique majorem quamdam famæ curam ſuſcipere debeo, talemque adornare editionem, cujus auctoritatem nullo tempore nullaque excuſatione defugiam. Ego ſane illis plurimum debeo, qui lucubrationes tam infirmas ſuo judicio ornarunt; iterumque ac ſæpius editas, in majore quodam litterarum lumine collocarunt, quam mihi quidem ferre poſſe viderentur: ſed ſi integrum eſt, vehementer illos oro atque obſecro, ut noſtra hæc nunc primum pro noſtris habere incipiant, cum jam in publici judicii diſcrimen rite prodimus, tota vita præſtaturi quidquid, fata omnia librorum animo volventes, ratione & conſilio vulgamus. At quæret fortaſſe aliquis, cur Orationibus alia quædam addiderim valde minuta. Is ſi cogitabit, me cum poſſem aliis Orationibus, quas publice recitavi, volumen augere, tamen iſtiuſmodi lucubratiunculis maluiſſe locum dare, nihil temere factum judicabit. Tempus & locus ita poſtulavit. Jam vero & inter graviſſimas Demoſthenis orationes talia quædam leguntur; & Cicero ipſe proœmiorum volumen habuit, ut ad Atticum ſcribit lib. *16.* epiſt. *6.* Verum unuſquiſque, ut videbitur, accipiat. Numquam ego moveri me hominum opinionibus paſſus ſum, quominus ea facerem omnia, quæ mei muneris eſſe exiſtimavi. Porro autem certo ſcio, non defuturos, qui Latinæ linguæ ingenium intelligentes, ejuſque difficultates ſcribendo experti, æquo animo ferant, me hujus quoque generis,

quod

quod medium eſt, magiſque varium; & elegans, quam grave & exaggeratum, adoleſcentibus eloquentiæ ſtudioſis exempla poſuiſſe.

Nunc univerſe dicendum aliquid de ſtilo eſſet. Sed ego ita ſemper exiſtimavi, ut ſua cuique ſunt lineamenta oris, ſuaque membrorum conformatio, miro prorſus naturæ artificio ab aliis diſtincta, & in magna ſimilitudine diſſimilis; ita uniuſcujuſque certam eſſe quamdam orationis formam & quaſi faciem, in ipſa natura ſitam, de qua nihil magnopere quæri debeat. Illud curavi diligenter, ut ſiquis in dicendo eſſem, quantuſcumque eſſem, pro virium mearum tenuitate Latinus orator viderer: ſed plura in tam difficili negotio polliceri non auſim. Verborum ſtructuram & compoſitionem ad optimæ ætatis conſuetudinem figurare & exprimere volui; at verba ipſa, ubi opus fuit, ex media quoque, atque adeo ex infima Latinitate ſumſi, modo ne peregrina miſcerem. Etſi autem aliquando neceſſitate compulſus ad Græca ſum; hæc tamen neque inculcavi ſine modo, quod monet Cicero in libro Officiorum primo; & Latinis litteris Latinaque poſitione plerumque mollivi, ut pluribus morem gererem. Si doctis tantummodo & intelligentibus ſcribendum fuiſſet, multo mihi magis indulſiſſem.

Sed quorſum tam multa verba? Non ego is ſum, qui hominum judicia impedire poſſim, aut velim. Totum hoc, quidquid eſt, in medio pono; amicis, inimicis, civibus, exteris in illud jus eſto; qui volet, carpito; invitus ne legito; officii gratia ne laudato. Nihil enim magis miſerum videri ſolet, quam eorum contentio, qui

cum

cum ſuos libellos vulgarint, concurſant, ſollicitant, rogant, minantur; gratia, auctoritate, pecunia, artibus omnibus laudatores quærunt. Impotens hæc famæ libido reip. litterariæ libertatem, ſummum ejus bonum ac pæne unicum ſubruere conatur: verum bene habet, quod neque omnibus fucum facit, neque diu. Ego mihi beatus videbor, ſi æquum monitorem inveniam: & utcumque res cadat, neminem in judicium vocabo.

III.

Ad Inſtitutiones Politicas.

Duci Aurelianenſi, Galliarum Rectori, dicatas.

N N.

CUm te Superi, Sereniſſime Princeps, in eo dignitatis faſtigio collocarunt, ut ingentem alterius Ludovici famam, alterius expectationem ſuſtineres, duorumque Regum fata conjungeres, id ſimul oneris impoſuerunt, ut non tuos modo, ſed alienos quoque pro regia conſuetudine exciperes, omniumque mortalium vota exaudires. Ecce tibi igitur Italum hominem, qui ex umbra domeſtica exire cum velit, ſeque nomenque ſuum publico judicio ſubjicere; non ante ſe dare in diſcrimen audet, quam tuum ſibi præſidium & auctori-

ctoritatem adjungat. Quid hoc, inquies, rei eſt, ut Summi Principis auſpicium ad privati hominis litterulas poſtuletur? Scilicet cum litterarum genus nullum eſt a Regia majeſtate prorſus alienum, tum noſtrum hoc ei maxime convenit, numquam contemptum niſi ab illis, qui tantum ſibi licere putarunt, quantum poſſent. Habes hic regendorum populorum inſtitutiones, moribus, legibus, auctoritate, multorumque exemplis confirmatas; te vero ea potiſſimum ratione dignas, quod uni inter omnes nihil exprobrare videbuntur. In quo illud mihi potius timendum eſt, ne laudandi quæſiſſe occaſionem videar; eaſque regendi leges collegiſſe, quæ tibi probatiſſimæ eſſent, quaſque ultro tute tibi impoſuiſſes. Nihil eſt hujuſmodi, ſed malo tamen ita videri. Quod ſupereſt, non has modo pagellas, ſed me ipſum tibi totum trado, & eo quidem animo, ut tua virtute, non fortuna commovear. Vale.

IV.

Ad Hiſtoriam Bizantinam

Philippo V. Hiſpaniarum Regi, Catholicæ Religionis adſertori, dicatam.

Typographus.

SI quod opus litterarium eſt, Philippe Rex maxime, quod Regiis auſpiciis dignum videatur, una eſt Hiſtoria Bizantina, quæ magnitudine

ne molis, & rerum præſtantia non liber, ſed Bibliotheca dici poteſt. Itaque nemo mirabitur, me, qui rem tantam aggredior, quantam ne ipſæ quidem ad hanc diem Typographorum ſocietates longe ditiſſimæ auſæ ſunt, conatui parem quæſiſſe Auſpicem. Sentio enimvero Regiæ Majeſtatis celſitudinem, ſed non tam me illa deterret, quam indulgentia allicit, quæ magnos Reges ſemper comitata eſt. Quicumque autem ego ſim, non me quidem, ſed magnam hanc Scriptorum nobiliſſimorum catervam ſpectare debes; quæ olim, cum primum prodiret, Ludovici magni Avi tui præſidio feliciter uſa, nunc eo ſublato, qui ſupra mortalitatem poſitus videbatur, ad Nepotem tantarum virtutum hæredem ſua vota convertit. A Gallo porro ad Hiſpanum tranſit, fortunam amplificatura, non mutatura. Tu enim is es, qui duas has florentiſſimas Nationes gloriæ contentione jamdiu certantes, & quod conſequitur, ingeniis ſtudiiſque diſpares, incredibili quadam ac prope divina prudentia conciliaſti; & in tot tantiſque longiſſimi ac periculoſiſſimi belli viciſſitudinibus effeciſti, ut nec Galli niſi de Hiſpanis, nec Hiſpani niſi de Gallis ſolliciti eſſent. Nunc rebus vel compoſitis, vel pœne compoſitis, & immutabili pace firmatis, quid eſt reliquum, niſi ut artes ac diſciplinas ad populorum tuorum felicitatem promoveas? Regno tam longe lateque fuſo nunquam deerunt opes: Sed, quod opes ipſas regere poteſt, & ad humani generis uſum accommodare, rectum de rebus omnibus judicium, a litterarum ſtudiis proficiſci debet, litterarum ſtudia a librorum & librariorum tutela. Debes hoc

Divi-

Divinæ providentiæ quæ Domum tuam ſupra reliquos Europæ Principes pulcherrima prole fortunare voluit ; ut jam non modo Hiſpano Regno in ſeram poſteritatem ſuffectura videatur , ſed aliarum quoque Provinciarum ſpem & expectationem commoveat . Non potes ingenti huic Dei Opt. Max. beneficio aptius reſpondere , quam ſi tu quoque exemplo ejus benefacias ; in eoque maxime benefacias , in quo appareat , quantopere privatorum tenuitati Regia amplitudo præcellat . Ars hæc noſtra , Philoſophiæ , Theologiæ , Sacri Civiliſque Juris , totiuſque ſapientiæ adminiſtra , privatis opibus & conſiliis ſtare nequit : nec vero ego tam ingens opus movere auſus eſſem , ſi de me tantummodo cogitaſſem . In humanarum rerum faſtigia oculos mentemque conjeci ; & quod in primis mihi præfulgere viſum eſt, eo tanquam ſidere , quod fauſtum fortunatumque eſſet , moliri cœpi . Ades igitur homini (ut veterum Hiſpanorum more loquar) devoto Numini Majeſtatique tuæ ; induſtriamque meam in re tam gravi occupatam Regio nomine tege , auſpicio fove , præſidio ſuſtenta .

V.

Ad Conciliorum Collectionem maximam

Carolo VI. Romanorum Imperatori dicatam.

Typographus.

VOlumina hæc, Imperator Auguſtiſſime, tam multa numero, mole tam grandia, rebus quas comprehendunt tam ſublimia, non aliunde petere auſpicia debent, aut poſſunt, quam ab eo Principe, in quo omnia ſumma ſint, ideſt a te. Neque enim aut in Eccleſiaſticæ politiæ tabulariis ulla monumenta ſunt Conciliis majora; aut in rerum humanarum regimine quippiam majus Cæſare eſt. Ita Deus mortalia compoſuit ac diſtribuit, ut inter ſe coirent Imperium, & Sacerdotium ad humani generis incolumitatem; & utraque ex parte infima infimis, media mediis, ſuprema ſupremis reſponderent. Cum igitur in hoc Opere Religionis ſumma contineatur, totuſque Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ordo; non poterat ad alium afferri, quam ad Principem terrarum gubernatorem, eundemque Eccleſiæ univerſalis Advocatum. Tibi quidem in tanta rerum poteſtate, quantam nemo unquam poſt firmatas Chriſtianas opes Princeps habuit, ne eruditio quidem deeſt & antiquitatis cognitio: proindeque non commemorabimus, quid

quid curæ veteres Imperatores ſuſceperint, quoties de Conciliis convocandis ageretur. Id tibi dicemus unum, quod ad rem præſentem facit, huic Conciliorum quaſi theſauro Imperiale patrocinium a te quodammodo deberi: ut quando pro tui felicitate Imperii non eſt opus Concilia cogere, coacta olim & abſoluta tuearis; eorumque Decreta, his codicibus comprehenſa, tutor & auſpex ſarta tecta conſerves. Illud quoque dicere audemus, non tam neceſſarium eſſe Chriſtianæ ditionis fines propagare, & novas Provincias veteribus adjicere, quam ſacros hos canonas incolumes præſtare, eorumque aſſerere auctoritatem: ſi quidem Chriſti Domini gloria non tam populorum multitudine, quam fide, diſciplina, veritate & probitate conſtat. Quando autem ita ſingulari quadam Dei providentia datur, ut tu non nomine tantum ac dignitate, ſed potentia quoque ſupra reliquos orbis terrarum Principes emineas; in te unum populi genteſque oculos convertant tanquam belli paciſque arbitrum; ab aula tua, tanquam ab ipſo tanti corporis capite, motus omnis in membra reliqua diffundatur; fac pro tua pietate, gratoque in Deum animo, ut bonum hoc ſentiat in primis Eccleſia mater; gaudeatque habere ſe juris ſui defenſorem ac vindicem, qui revera eſſe poſſit, & velit. Enimvero Principes omnes per illum & pro illo regnant, qui Rex Regum, & Dominus Dominantium appellatur; omnes aliquo modo ſacri ſunt: at Romanorum Imperator, ſive originem ſpectemus nominis hujus, ſive ceremonias, quibus tantæ dignitati initiatur, ſive nomenclationes primis illis

Chri-

Chriſtianis Imperatoribus tribui ſolitas, Sacerdos quoque & Epiſcopus certa quadam ratione dici poteſt. Itaque tua tibi quodammodo commendamus, dum hæc commendamus. Sed hactenus nos alienam cauſſam egimus. Quid eſt enim, quod Typographus jactare in hoc Opere poſſit præter typographicas curas & impenſas? At hoc ipſum tamen pertinet ad majeſtatem Imperii tui, in quo ars hæc reliquarum omnium, quæ manu exercentur, facile princeps, in tuo ſolo nata, & a tuis Germanis primum culta & propagata, jam prope ad ſummum faſtigium pervenit. Erat hoc dignum ſæculo tuo, erat Carolo VI. dignum, ut parta jam & conſervata per te inter Chriſtianos Principes diutiſſime pace, litterarum ſtudia arteſque ſtudiorum adminiſtræ efferatos ſuperiorum temporum bellis animos ad civilem cultum & humanitatem traducerent. Poſt bella tot annorum feliciter geſta & profligata, poſt tot tantaſque victorias, quibus pulcherrimæ & nobiliſſimæ Europæ regiones in poteſtatem conceſſere tuam, ſuſcipe librorum & Muſarum curam; atque adeo perge magno animo conſtantique in hac cura, quam ultro ſuſcepiſti. Auxiſti mirum in modum Bibliothecas tuas; præfeciſti illis viros ſummos; antiqua monumenta ad ornatum & eruditionem undique collecta addidiſti; hoc ipſum declarat, non poſſe te Typographis non favere. Facit hoc etiam ad plenam perfectamque nominis tui laudem & immortalitatem, nullam eſſe partem illarum artium, quæ ad jungenda hominum commercia pertinent, quam non cures ac promoveas. Ceteri ante te Imperatores variis titulis gaudent,

 ſin-

ſinguli ſingulis, pro illa publicæ felicitatis parte, quam gentibus pepererunt; alius bello, alius pace, alius litteris, alius religione, alius civili adminiſtratione clarus: tu incredibili quadam magnitudine animi omnia complexus es, maxima, minima, interna, externa, ſacra, prophana; tantoque conſilio & ſapientia rem quamlibet adminiſtras, ut totus in illa una eſſe videaris. Virtutem hanc prorſus divinam fortuna ipſa quodammodo veretur; nec in tanta multitudine Urbium & Provinciarum, quas tibi ſubjecit, quippiam movere audet: imo quidquid alibi movit, ad Imperii tui poteſtatem amplificandam per varios caſus demum convertit. Multi ſe felices in publicis monumentis dici voluerunt, ex quo L. Sylla titulum hunc uſurpavit: tu revera Felix es. Ex uberrimo iſto ingentium bonorum fonte in nos quoque redundaſſe aliquid exiſtimabimus, ſi conatus hoſce typographicos auſpiciorum tuorum felicitate nobis fortunes, & Imperiali auctoritate ratos firmoſque facias.

VI.

Ad Sirmondi Volumen primum

Benedicto XIII. Pontifici Maximo dicatum

Typographus.

MIrari non debes, Beatiſſime Pater, ſi homines etiam poſtremi ordinis ad te accedere

dere confidenter audent, & licere ſibi putant offerre ſua. Tu enim cum tanta iſta dignitate & amplitudine Cælo proxima Chriſtianam quandam facilitatem, quæ moribus noſtris obſoleverat, veteri exemplo conjungis; ut vere appareat, te illius vicariam poteſtatem gerere, apud quem *non eſt acceptio perſonarum*. Accipe igitur æquo animo Bibliopolam tuis pedibus provolutum, qui primum quidem ſanctiſſima Religionis myſteria in Capite ipſo Religionis veneratur, deinde tibi graviſſimi Scriptoris lucubrationes, ſua opera ſuoque ære Venetiis editas, tamquam auſpici, præſidi, ac patrono commendat. Omnia fere litterarum ac bonarum artium ſtudia ad Religionis rationem revocari poſſunt; at genus hoc, quod eſt a Sirmondo tractatum, totum ex eo fonte eſt; & in illum, quoquoverſus ducatur, neceſſario redit. Si plura dicam, non te modo, ſed me quoque ipſum ignorare videar. Illud unum poſtremo loco adjiciam, tantum mihi animi futurum ad iſtiuſmodi monumenta in poſterum edenda, quantum tibi, per quem Deus mortalibus loquitur, meam hanc bene merendi voluntatem probari cognovero.

VII.

Ad Sirmondi Volumen ſecundum

Benedicto XIII. Pontifici Maximo dicatum.

Typographus.

AUſpicia mihi tua, Beatiſſime Pater, tam proſpera fuere, ut quædam repente exierint ad hanc editionem ornandam, de quibus ego initio non cogitaveram. Habes igitur in hoc volumine altero princeps Facundi Hermianenſis opus, non modo recentibus Viri doctiſſimi adnotationibus illuſtratum, ſed infinitis prope locis caſtigatum & reſtitutum ex manuſcripto Canonicorum Veronenſium codice antiquitatis plane verendæ. Non deerit, ut ſpero, aliquid ad ornatum reliquorum; quandoquidem jam ex hoc ipſo tempore præſto ſunt non ſolum vetuſtæ membranæ ad purganda & ſupplenda, quæ Sirmondus dedit in quarto, ſed anecdota etiam quædam eodem pertinentia, quo magnum illum virum ſpectaſſe compertum eſt. De re tota tum mihi ipſi, tum tibi maxime publica hac declaratione gratulandum putavi; ut homines intelligant, res fauſto omine ſuſceptas plerumque fauſte cedere. Videmus, te tuaque omnia peculiari quadam ratione Superis curæ eſſe: quoniam illa ipſa ingenti Eccleſiæ bono perfeciſti, quæ cum ſuſciperes, alii nimis ardua, alii ſupra humanas vires poſita judica-

dica-

dicabant. Hæc me primum cogitantem moverunt, ut te ad præſidium compellarem: hæc eadem cogitatio in ſuſcepto inſtituto nunc magis confirmat. Fac, ut nobis pro paterna Chriſtiani gregis cura benedicas, & pro ſummi Sacerdotii auctoritate propoſitum hoc noſtrum Deo Opt. Max. bonorum omnium largitori commendes.

VIII.

Ad D. Bernardi Opera

Petro Card. Otthobono dicata.

Typographus.

CUm primum D. Bernardi Opera, Mabillonis ſtudio illuſtrata, ex Gallia prodierunt, Romæ ſibi auſpicem quæſivere magnum illum Pontificem Patruum tuum, virum ſane dignum, qui Orbis terrarum religionem litteraſque moderaretur. Vide igitur, P. E. num eadem hoc tempore Italico prælo commiſſa alibi quærere auſpicia debeant, quam Romæ, & in domo tua. Ingens illa Alexandri mens, à qua nos aurea tempora ſperabamus, vix tamdiu hominibus conceſſa eſt, quamdiu ſatis fuit ad eam cognoſcendam. Tu nobis ejus memoriam quotidie renovas, faciſque ut noſtra deſideria, quæ in illo expleri non potuerunt, in te tamen aliquo modo conquieſcant. Neque enim tu eorum ſiderum ſimilis es, quæ cum lumen totum a Sole mutuentur, eo ſibi erepto, ſtatim

deficiunt & obſcurantur. Tanta iſta animi magnitudo, vis ingenii tanta, tam exquiſitum rerum omnium judicium tua ſunt. Atque hinc factum exiſtimo, ut in curſu tam longo, & in tanta regiminis varietate non ſolum nihil tibi de veteri ſplendore detractum ſit, ſed plurimum etiam additum ad nominis famam, ad civium atque exterorum admirationem, ad eam, quæ hinc ſequitur, immortalitatem. Nunc te Religio arctiore quodam vinculo complexa eſt cum inter Epiſcopos recepit; poſcitque jure ſuo, ut quidquid ad eam pertinet, auctoritate & patrocinio tuearis. Itaque jam non veteri illo titulo, ſed novo iſto D. Bernardus ad te accedit, ſeque Epiſcopo Sabinenſi commendat. Hunc ſi benevole excipies, tibique familiarem reddes, habebis longe optimum in Epiſcopali adminiſtratione monitorem atque adjutorem. Qui in magno rerum faſtigio collocati, multis ſe negotiis exercent, ne vivere quidem poſſunt, niſi ſe identidem in alicujus viri docti lectionem abdant, animumque diuturna agitatione fatigatum ac divulſum quodammodo recipiant. Eſtne ullus ex omni Scriptorum Sacrorum numero, quem D. Bernardo præponendum putes ad hanc animi inſtaurationem tibi tantopere neceſſariam? Sed ego jam nimis ultra Typographum. Quod mearum partium fuit, curavi diligenter, nequid in hac editione aut incuria, aut avaritia operi tam pulchro detraheret; ut vel ex hoc ipſo te dignum videretur. Proba hominis ſtudium, qui de te benemereri vehementiſſime cupit: nec tam cogites, quid valeat, quam quid velit.

IX.

IX.

Ad D. Auguſtini Opera

Aloyſio Piſano Equ. ac D. Marci Procuratori dicata.

Typographus.

NIhil ego unquam vehementius optavi, quam ut D. Auguſtini Opera typis meis vulgare poſſem; quod hæc in primis digna mihi viderentur, ad quorum præſidium & auſpicium Senatoris nomen longe principis uſurparem. Itaque, Vir ampliſſime, vide, quid tibi afferam, non quis afferam. Quamquam tanta iſta fortunarum copia, qua undique circumfluis, numquam fecit, ut tenues homines contemneres, quibus te Divina providentia præpoſitum putas, ut pro illis ſis, non ſupra illos. Quod autem mirabilius videri debet, non hæc hominis laus eſt, ſed familiæ. Scilicet nullus eſt ex iſta florentiſſima domo, qui indole quadam ſua ad benefaciendum non feratur: & quamvis alius aliter in Rep. adminiſtranda ſit occupatus, idem tamen cuique propoſitum eſt, ut quam plurimis proſit. Egregiam hanc Piſanorum laudem, ut ad exemplum propagaretur, ipſe quoque litterarum monumentis conſignare volui; & quidem monumentis ejuſmodi, quæ merito ſuo æterna eſſent. Hactenus habes, quid ſpectaverim cauſſa tua: nunc accipe, quid mea. Cum

large multa ad tantæ rei perfectionem pollicitus ſim, teſtem induſtriæ meæ in ipſo veluti limine producere debeo, cujus fidem & auctoritatem nemo ſit qui non vereatur. Tu enim occupaſti hominum famam & publica judicia magnitudine virtutis & conſtantia felicitatis; in quo potiſſimum mortales mortalibus præſtant, & eos ipſos beatos efficiunt, quos numerant inter ſuos. Ipſe igitur quoque in partem venio boni hujus, ſi pateris, conatus noſtros illuſtrari nomine tuo, & auſpicio tam fauſto in publicum prodire. Cur autem non patiaris, qui ad rem litterariam promovendam & publica cura, & privatis impenſis quotidie tam multa facis? Nemo eſt qui neſciat, quam magnifico ſumptu extructa domi tuæ Bibliotheca ſit, importatis undique pulcherrimis libris, additis ad eruditionem & ornamentum veteribus numis, accitis doctiſſimis viris & rei librariæ peritiſſimis, qui omnibus proficere de tuo volentibus præſto ſint. Niſi forte in te non redundant Fratris tui merita, Hermolai dico, graviſſimi ſenis, qui ſummis Reip. honoribus functus, in hac voluntaria vacatione ſpartam iſtam peculiari opera ſibi ornandam ſumpſit. Conſilium tam nobile & Piſanis opibus dignum Superi fortunent, producta in longum ævum Hermolai vita, auctis in majus familiæ fortunis, amplificatis tibi ad ſummum faſtigium dignitatibus. Æquum eſt enim, humana bona ad eos pervenire, qui omnia ad communem felicitatem referunt; & ne bona quidem putant, ſi ſibi ſolis commoda ſint. Non contemnes vota hæc, ſi reputabis, non Bibliopolæ eſſe, ſed Civitatis.

X.

Ad Romanam Hiſtoriam Nieuporti

Aloyſio Piſano Equ. ac D. Marci Procuratori dicatam.

Typographus.

CUm duos ante annos Romanarum rerum Hiſtoria vernaculo ſermone ſcripta typis Venetis edi cœpiſſet, volumen primum tuis auſpiciis ornatum judicia hominum feliciſſime ſubivit. Nunc primi illius beneficii memor totam ſe tibi commendat, eo ſermone ſcripta, quo res tantæ ſunt adminiſtratæ. Nec tibi ſane majus aliquid dicari poteſt; nec liber hic majore præſidio communiri. Nam nihil habet antiquitas, quod ſit illuſtrius, quam Romana Reſp. nihil ætas iſta, quod magis illi reſpondeat, quam Veneta; nihil Veneta, ſi privata decora conſideremus, quod Piſano nomini præferri poſſit. Fortaſſe miraberis, qui fieri potuerit, ut tanta rerum moles terminis tam anguſtis comprehenderetur: ſed videlicet ita nota omnibus eſt Romana Hiſtoria, ut jam non indigeat niſi monitore, qui ſumma capita recenſeat, & veluti in tabella paucis notis ſignata demonſtret. Id omnino præſtitit Nieuportus. Noli igitur rem aliunde metiri, quam ex re ipſa. Quamquam vel minima quæque videri magna poſſunt,

ſi

ſi tutelæ tuæ commendata producantur. Ita comparati ſunt homines in judicando, ut nomina quædam cum videant, quæ famam occuparunt, nihil ſibi animo obiiciant, niſi grande & egregium. Sed cum Operis ratio in tuto ſit, quid ego de me dicam? Non enim audaciæ crimine carere videtur Typographus, qui ſortis oblitus ſuæ, ad ampliſſimi Senatoris penetralia accedere audeat, & munuſcula offerre. Sit hoc alibi crimen: apud tantæ humanitatis Virum crimen eſſet non accedere confidentiſſime. Patent ædes tuæ tenuiſſimo cuilibet: litteris vero præſertim, ac litterarum miniſtris, inter quos certe Typographi ſunt, non modo locus patet, ſed ſedes etiam ornatiſſima ab Hermolao fratre comparata eſt. Vides igitur, cur multi undique ad te convolemus; cur reculas noſtras offeramus; cur opem & auxilium importune etiam interdum poſtulemus. Perge agere pro magnitudine animi tui: & quando tantum fortunarum habes, quantum mortalitati feliciſſimæ poteſt eſſe ſatis, compara tibi benefaciendo immortalitatem.

XI.

Ad Virgilii Opera cum Maſuicio edita Venetiis

Aloyſio Piſano Venetiarum Duci dicata.

Typographus.

CUm Latinorum Scriptorum bibliothecam edere Venetiis conſtituiſſem, a Virgilio Poetarum Principe incipiendum putavi: nunc autem cum tanti Operis conatum primum auſpicii cauſſa dedicare velim, quem potius, quam Sereniſſimum Venetorum Principem appellem? Profecto ſi Virgilius ipſe in vivis eſſet, non alios ſibi penates eligeret, nec alium locum ſuis carminibus quæreret, quam in ædibus iſtis Palatinis. Erat enim illi ut vis ingenii ſumma, ita animus intra virtutis modum ſublimis & elatus, exigua quæque deſpiciens, & ad magnorum virorum amicitias unice idoneus. Oportet eſſe Auguſtum, vel Auguſto ſimilem, qui velit cum Virgilio vivere, eique ſe patronum profiteri. Quis autem in hac Civitate Auguſti mores, tantamque illam munifici ingenii indolem magis exprimit, quam Tu, Sereniſſime Aloyſi, cui vix Romanæ opes ipſaque illa tam ingens Auguſti fortuna ſatis eſſent, ſi tantum dare poſſes, quantum velles? Ita porro cultum & ornatum Virgilium affero, ut decebat

bat venientem in ædes tuas, ubi omnia ad exquiſiti judicii formam compoſita ſunt. Nec impenſis, nec labori peperci, ut domeſtica Piſanorum bibliotheca non indignus judicaretur; in qua Hermolaus frater tuus, ne quid inſigne ad elegantiam & utilitatem deſit, pro ſuo in litteras animo impenſiſſime curat. Hæc illi nunc provincia eſt, poſtquam floridam, & firmam ætatem, atque adeo etiam viridem ſenectutem in Rep. adminiſtranda occupavit; ut cum fatis pro mortali conditione cedendum erit, numquam ſe ſibi ſoli vixiſſe affirmare poſſit. Pro ejus ſalute & incolumitate, non ſecus ac pro tua, cum boni omnes, tum nos præſertim typographi beneficiorum memores quotidie vota facimus. Erit etiam uſui, ut ſpero, labor hic noſter Andreæ Nepoti tuo, lectiſſimo juveni, quem quotidie videmus in ſpem magnam ſuccreſcere, & ex litterarum ſtudiis ad patriæ bonum præſidia petere. Multorum Sapientum opinio eſt, majora quædam adjumenta ad virtutem Poetas ſuppeditare, quam Philoſophos: quod cum dicunt, non promiſcue omnes ſignificant (ſunt enim quidam & ex Poetis, & ex Philoſophis prorſus vitandi) ſed Homerum præſertim & Virgilium, quos litterarum vitæque magiſtros antiquitas omnis appellare conſuevit. Verum ad Te redeo, quem puto, quos progreſſus res libraria per hos annos fecerit, libentiſſime viſurum. Te Triumviro ſtudia moderante, movere quodammodo lacertos cœpit; teque in primis auctore & ſuaſore, veterum typorum gloriam in hanc Urbem revocavit. Nunc eo pervenit, quo erat maxime optandum; nec

jam

jam ab aliis nationibus, niſi forte in minuta diligentia vincimur. Si Tu induſtriam noſtram, Princeps Sereniſſime, probando fovebis, nihil erit hoc in genere tam magnum ac difficile, quod in poſterum ſuſcipere non audeamus. Nam hoc ipſum, quod nunc urgemus, ſi quis cogitando metiri voluerit, quantum ſit, inveniet profecto eſſe hujuſmodi, ut non ſine cauſſa a tantæ dignitatis faſtigio auſpicia ducere voluerimus. Hæc Superi rata eſſe velint.

XII.

Ad Saluſtii Opera cum Cortio edita Venetiis

Triumviris Litterariis dicata.

Typographus.

IN hac, quam edere inſtitui, Latinorum Auctorum Bibliotheca, Saluſtium ceteris præire volui, qui ſoluta oratione ſcripſerunt: quod tamen non meo, ſed ſapientum virorum judicio & auctoritate feci. Id vero mei conſilii eſt, quod vos potiſſimum, Viri ſummi, ad rei tantæ præſidium & auſpicium appello, veſtraque nomina longe ſplendidiſſima huic operi præpono: ut ſi quis forte dubitat, num re præſtare velim, quod pollicitus verbo ſum, eos meæ hujus voluntatis veluti ſponſores habeat, de quorum fide dubita-

re

re nemini mortalium liceat. Siqua procuratio eſt in hac Urbe, quæ magnos viros & publici Conſilii principes poſcere videatur, ea certe litteraria eſt, quæ tanto aliis præſtat, quanto animi cultus reliquis humanæ vitæ commodis & ornamentis præferri ſolet. Qui Rempublicam hanc conſtituerunt iis legibus moribuſque temperatam, quibus maxime populorum felicitas contineretur, hoc vel in primis ſpectaſſe videntur, ut cunctas nationes, ſi opibus & potentia non poſſet, litterarum tamen & bonarum artium cura ſuperaret. Id porro fieri non poterat, niſi ſimul de peculiari quodam Magiſtratu cogitaſſent, cui ſumma arcani hujus concrederetur; quique ea eſſet dignitate ac poteſtate, ut rem tantam inter humanas viciſſitudines, quæ omnia corrumpunt, ſartam tectamque ſervare poſſet. Quanta porro cura ſit adhibita, quot quantæque ſollicitudines ſuſceptæ ſint, ne quid umquam detrimenti caperet, nihil attinet commemorare. Quod ſi tam graves cogitationes efficere non potuerunt, ut aliqua ejus particula interdum non laboraret; id tamen effecerunt, ut cito levaretur, & priſtinas vires vigoremque reciperet. Videtis, opinor, me de induſtria loqui Typographorum, quæ cum ſuperioribus annis remiſſior videretur, nunc rurſus ſeſe effert, & ad priſtinam laudem refloreſcit. Ego certe, quantum in tantulo eſſe homine poteſt, omnia movi, ut typis Venetis ſua dignitas & fama redderetur. Quod cum ex aliis mea opera editis voluminibus judicare poteſtis, tum ex hoc ipſo maxime judicabitis, quod veſtris nominibus ornatum in vulgus exit. Ad externam formam &

appa-

apparatum quid præſtiterim, quilibet facile cognoſcet; internæ diligentiæ, quæ rem ipſam attingit, illi dumtaxat judices erunt, qui Saluſtianas hiſtorias tractare voluerint, noſtramque hanc editionem cum Lipſienſi conferre. Non magnum fortaſſe eſt, quod fecimus, ſed certe fecimus aliquid. Quidquid eſt, in veſtram fidem ac tutelam concedit, vobiſque ſe etiam atque etiam commendat; a quibus tamen nihil aliud, quam communia illa præſidia petit, quæ ad rem litterariam promovendam majorum ſapientia paravit, veſtriſque judiciis commiſit. Pergite, ut cæpiſtis, ſingulis atque univerſis ex ordine noſtro benefacere; qui ordo jam ita crevit, ut ne illa quidem tempora, quæ aurea dicuntur, in hujus laudis contentionem venire poſſint.

XIII.

Ad Pſalmos Davidicos cum Boſſueti interpretatione

Cajetano Joanello Epiſcopo Bellunenſi dicatos.

Typographus.

NUllus Epiſcopus aut noſtra aut patrum noſtrorum memoria tam multa tamque utilia pro religione & Eccleſiæ diſciplina ſcripſit, quam Jacobus Benignus Boſſuetus: ut proinde ſapienter facere mihi videantur, qui ad tantam digni-

gnitatem accedentes, hunc ſibi Antiſtitem, tanquam exemplar, proponunt ad imitandum. Haud equidem dubito, quin tu id feceris, Præſul ampliſſime, quem ſcio totis viribus omnique contentione ad eas virtutes conniti, quibus veteres Epiſcopi beatiſſimis Eccleſiæ temporibus floruerunt. Caput Epiſcopalis muneris Sacrarum Litterarum interpretatio eſt: Sacrarum autem Litterarum pars nobiliſſima & utiliſſima communi omnium judicio Davidici Pſalmi judicantur. Hos tibi offero Boſſueti induſtria & acumine explicatos, ut ſi nihil præterea tantus vir edidiſſet, hoc uno tamen opuſculo immortalitatem promereri potuerit. Sed cui hæc? Tu ne ignorare potes, aut quantum ſit in Davidicis Pſalmis dignitatis & utilitatis; aut quinam interpres cæleſtis illius eruditionis theſaurum melius recluſerit? Tu, inquam, tanti nominis famæque Orator, qui Divini verbi ſemina cum late funderes per Italiam, & extra Italiam, Pſalmis præſertim eorumque præceptis longe ſanctiſſimis uti ſolebas, ut Chriſtianos homines a virtute aberrantes in viam revocares, revocatos confirmares? Quantus es, totus ferme ex hoc fonte es. Itaque etiamſi meum in te ſtudium contemnere velis, quod certe pro tua incredibili bonitate non facies, id tamen contemnere non potes, per quod tibi ſtudium hoc ipſum declaro. Jamdudum inſidet mihi animo voluntatis & obſervantiæ erga te meæ ſignificandæ deſiderium: maximeque velim, ſi fieri poteſt, Fratres tuos litteris & Eccleſiæ addictos una eademque opera demereri. In diverſa vitæ ratione ſinguli plane inſignes, præclariſſima Chriſtianæ religionis Inſti-

tuta

tuta familiaſque ornant, doctrina prudentiaque inſtructiſſimi, & ad magna quælibet, non dicam facti, ſed nati. Non eſt hic locus, ut ſingillatim de unoquoque dicam, quia nimis multa dicenda eſſent: ſed certe Sacri Palatii Magiſter præteriri non debet, Vir ſummus & in ſumma luce poſitus, cui nihil tam magnum prænunciare poſſumus, quod non multi ante nos prænunciaverint. Huic ego quantum debeam, debeo autem plurimum, alio loco & tempore, ſi Superi faxint, ſignificabo. Interim ad te redeo, de quo nihil amplius dicam, quam plures Pontifices, hoc eſt ſummos Chriſtianæ rei judices ac moderatores, tuorum meritorum fama permotos, honorifice ſenſiſſe, teque benevolentia & honoribus complexos eſſe. Judicia hæc tam gravis auctoritatis nos quoque pro virium & fortunarum noſtrarum conditione ſequimur, tribuentes tibi quantum poſſumus, nomenque tuum ad immortalitatem typis noſtris propagantes. A te vero illud enixe petimus, ut contentiones noſtras æquo animo excipias, conſilio regas, auxilio promoveas; ne tot tantaſque impenſas in Codicibus Sacris edendis ſine cauſſa feciſſe videamur. Si ita, ut ſpero, induſtriæ noſtræ favebis, & facies pro dignitate perſonæ quam ſuſtines, & nobis ad graviora ſuſcipienda ſtimulos addes.

XIV.

Ad Opuſculum Boſſueti Venetiis editum

Joanni Benedicto Joanello S. Palatii Magiſtro dicatum.

Typographus.

INter gratulantium officia, quæ te undique circumſtant, Reverendiſſime Pater, noli tenuem hominem contemnere, qui qua una ratione poteſt, ſuum in te ſtudium & obſervantiam publice teſtatur. Sicui juſta eſt in tuis dignitatibus lætitiæ cauſſa, ea certe juſtiſſima Typographis eſt, quorum induſtriam, cum Bibliothecæ Caſanatenſi præeſſes, tam benevole excitaſti, ac bene ſperare juſſiſti. Facit hoc porro ad immortalem ſapientiſſimi Pontificis Benedicti XIII. gloriam, ut ſæculo appareat, eorum fortunas promoveri, qui rem litterariam promovent. Numquam ſane Chriſtiana Religio detrimentum capiet, donec erunt, qui librorum curam ſuſcipiant: & hi quidem tamdiu erunt, quamdiu Pontifices rerum domini illos non præteribunt. Te vero quis eſt unus in Italia tota, qui majore cura hoc in genere verſatus ſit; qui plures libros tractarit, excuſſerit, cognoverit? Neque tamen interim graves diſciplinarum exercitationes omiſiſti: qua de re multa dicerem, ſi poſſem ultra crepidam. Quod attinet ad rem præſen-

ſentem, habes, quid me in primis moverit, ut tibi volumen hoc nuncuparem. Quamquam ſi nihil aliud, quam virum quæſiſſem, qui de ejus præſtantia recte judicaret, attamen tuum illi nomen appoſuiſſem, atque hinc potiſſimum auſpicia duxiſſem. Tu, ſi priſtinam humanitatem & facilitatem in iſto faſtigio retines (cur autem non retineas?) voluntatem erga te meam non improbabis. Vale.

X V.

Ad Opuſculum Boſſueti

Joſepho Mariæ Cacciæ Epiſcopo Zacynthi dicatum.

Typographus.

QUi magnorum Scriptorum opera his temporibus edunt, omnem ferme curam & induſtriam in papyrum typoſque conjiciunt. Ego ſane cum Boſſueti opus prælo committere inſtituiſſem, partem hanc non omiſi; ſed tamen, ut editionem emendatam, quam ut nitidam darem, multo diligentius laboravi. Id ipſum in cauſſa eſt, ut a te potiſſimum auſpicia petam, Sapientiſſime Præſul, qui conatus hoſce noſtros non modo dignitate nominis illuſtrare potes, ſed & ingenio expendere, & auctoritate, veluti teſtimonio quodam, de quo dubitare non liceat, ad aliorum

commendationem propagare. Agitur de Epiſcopo pietate doctrinaque plane inſigni: cujus proinde ſcriptis ſi quod præponendum nomen eſt, tuum certe præponi debet, qui utroque in genere tantopere excellis. Habes in hoc volumine, quod ad commiſſi tibi gregis utilitatem traducas: habes in Auctore tanquam Epiſcopalis vitæ canona, quem imiteris. Quamquam ipſe ita te geris in munere tam gravi, ut aliis exemplo eſſe poſſis. Non eſt profecto Typographi in hujuſmodi faſtigium oculos conjicere, multo vero minus de illo judicare; attamen maximarum rerum ſplendor late funditur, nec ſummis modo, ſed etiam infimis ſe prodit. Utcumque ſit, præclare mecum agi exiſtimabo, ſi quid mea opera & impenſis feciſſe videbor, quod tibi probetur. Vale cum tibi, tum nobis, tum vero maxime populis iſtis, ad quorum ſalutem & felicitatem animi tui cogitationes operamque contuliſti.

XVI.

Ad Opuſculum Boſſueti

Joſepho Mariæ Cacciæ Epiſcopo Tigurino dicatum.

Typographus.

ECce tibi alterum Boſſueti opus nec minus eruditum, quam quod anno ſuperiore dedi, nec

nec te minus dignum. Illud tibi Romam eunti tanquam comitem adjeci; hoc redeunti obviam ſit, & nova nomina novoſque titulos gratulatur. In Urbe illa, quæ nihil fere admiratur, id contingere pleriſque omnibus ſolet, ut eorum præſentia famam minuat, tuam auxit. Itaque te optimus ille Pontifex Benedictus XIII. incredibili benevolentia complexus eſt, doniſque & honoribus cumulavit: Clemens vero XII. acerrimi judicii Princeps ad alium Epiſcopatum, priore vix ſuſcepto, inuſitata quadam beneficentia tranſtulit. Enimvero ſingulari virtute & prudentia præditum eſſe oportet, qui utrique Pontifici tantopere placuerit; qui temporibus admodum diverſis idem ſit viſus; quem prior illa, & altera hæc Aula, ingenio ſtudiiſque diſpar, eodem animo exceperit. Quod autem plurimi faciendum eſt in tanta dignitatis amplificatione, nunquam oblitus Sodalitii tui, nihil omiſiſti, quod ad ejus honorem & commodum pertineret: ut omnes intelligerent, te non modo ſpectare, quo ires, ſed etiam unde exires. Id demum ſapere eſt, ſeque adverſus invidiam probe munire. Ex iſto igitur faſtigio, quo te Superi extulerunt, noli Bibliopolam deſpicere, qui ſuam operam, ſuaſque impenſas tuis auſpiciis promovere cupit. Epiſcopus nec ſine litteris ferendus eſt, nec litterarum ſtudioſus videbitur, ſi artem hanc noſtram contemnat. Ego nervos omnes contendere ſtatui, ut res bene cedat: ſed multis præſidiis indigeo, quæ niſi a ſummis viris, fama nominis & exiſtimatione præditis, ſperari nequeunt. Te nunc appello, cui præla typoſque meos commendavi, quem auſpicem & au-

ctorem mearum contentionum jam conſtitui. Fac pro animi tui magnitudine, ut cœptis annuas, ſpeſque noſtras probando confirmes.

XVII.

Ad Conciones D. Thomæ de Villanova

P. Magiſtro Zazzeri ex Ordine D. Auguſtini, in Romano Archigymnaſio S. Litterarum Profeſſori dicatas.

Typographus.

QUem tu tibi vitæ morumque ducem ac magiſtrum, poſt D. Auguſtinum, jamdiu elegiſti, is ad te venit, tuoque nomine & auſpiciis Venetam hanc ſuorum operum editionem ornari jubet. Poteſne animo minus æquo patronum excipere, qui ſe tutelæ tuæ fideique committit? Scilicet cum ego cognoviſſem ex honeſtiſſimo viro, eodemque doctiſſimo P. Magiſtro Jo. Thoma de Bonis, ejuſdem familiæ alumno, te in primis D. Thomæ Villanovani ingenio delectari, ejuſque Conciones habere in deliciis; in eam opinionem veni, ut has ipſas Conciones meis typis editas tibi inſtituerem; ut me quoque muneris dignitate commendatum benevole exciperes. Jamdiu fama percrebuit, quanta ſapientia & eruditione Sacras Litteras in iſto Gymnaſio Chriſtia-

ſtianæ ditionis principe profitearis; & pro inſtituti mei conditione ſatis intelligo, quid ab ingenii tui magnitudine & fœcunditate ſperare librarius poſſit. Magnum tibi exemplar propoſuiſti, Oratorem, Theologum, hominem publico bono natum; qui non ſolum fecit, ſed docuit, nec ætati modo conſuluit ſuæ, ſed poſteritatis quoque rationem habere voluit. Laudo, quod cultum ejus pie religioſeque promoveris; quod actiones accurate deſcripſeris; quod dicta ejus factaque omnia in bono lumine ad imitandum collocaveris: at illud quoque ſperare juvat, ut quemadmodum Thomas ſuarum exercitationum monumenta extare voluit, & ad famam ſempiternam propagari, ita tu quoque lucubrationes tuas exire aliquando patiaris, totique Europæ, non uni dumtaxat Civitati, uſui & ornamento eſſe. Interim meam hanc in te voluntatem, ſtudium, & obſervantiam vel proba, vel ſaltem noli contemnere; quandoquidem vides, me, quod facio, non ideo facere, ut grande aliquid nomen huic volumini præponam, ſed ut nomen idoneum. Virum quæſivi, non titulos; nec tam reputavi, quid Typographo, quam quid Operi conveniret.

XVIII.

Ad Goari Euchologium

Nicolao Caragiano Viro Navo dicatum.

Typographus.

OPus hoc tam eruditum, idemque tam rarum, ſuaſore & auctore te, Vir præſtantiſſime, typis meis recudendum ſuſcepi: in quo cognoſcere potuiſti, quantum judicio tuo tribuam. Nunc cognoſce, quantum auſpicio & patrocinio. Alii ſibi magna nomina quærunt: ego magnum hominem quærere volui. Jamdiu enim in te admiror (quis autem non admiratur?) incredibilem quandam conſilii & prudentiæ vim, qua mercaturæ rationes univerſas ita tenes, ut fortunam auctoraſſe quodammodo videaris, & rationi ſubjeciſſe. Porro mercaturam cum dico, nervos Civitatis dico, unde privatæ publicæque opes, unde nationum potentia, unde humani generis felicitas. In hoc laudis genere cum tantopere excellas, non tamen hoc uno contentus es, ſed in litteras quoque & eruditionem excurris. Horum alterutrum ingenia vel maxima fatigat; utrumque fatigare tuum non poteſt. Quandoquidem autem Græcis ſtudiis, hoc eſt patriis, maxime delectaris, habes hic unde animum paſcas cognitione pulcherrima, eademque utiliſſima. Sed non eſt opus, ut tibi commendem quod tibi jamdiu familiariſſimum

eſt;

eſt; atque adeo quod aliis multis probatum iri confido, quia tibi probatur. Pauci enim ſunt in re hac, qui utantur judicio ſuo: peſſimeque nobiſcum ageretur, ſi illi dumtaxat libros compararent, qui librorum pretium ipſi per ſe cognoſcerent. Hac ſpe vel in primis fretus Goari Euchologio animum adjicere non dubitavi; nullique aut diligentiæ, aut impenſæ peperci, ut, cum a me exiret, nomen tuum ferre cum dignitate poſſet. Ecce tibi totam voluntatis induſtriæque meæ rationem, cui ſi tu pro tua humanitate favebis, invidorum rumuſculos identidem in me conatuſque meos excitari ſolitos magno animo contemnam.

XIX.

Ad opus Cardinalis Quirini Venetiis recuſum

D. Leopoldo Capello S. Georgii Majoris Venetiarum Abbati dicatum.

Typographus.

QUamquam Volumen hoc, Reverendiſſime Pater, ſuis auſpiciis uti poteſt, & jam publici judicii periculo perſunctum, ſine metu prodire; attamen libuit mihi conſuetudinem ſequi, & nomen quærere Viri magni, quod ipſo in limine compellarem. Ac ceteri quidem, quidquid hujuſmo-

modi faciunt, ſua cauſſa faciunt: ego autem cum cepi conſilium hoc, nihil aliud cogitavi, quam ut tibi, tuiſque Monachis publice gratularer, quod inſtaurata Benedictini nominis gloria, principes Eccleſiæ dignitates ad vos redeant, apud quos ſuperioribus ſæculis tantopere floruerunt. Alii dabunt cauſſas alias. Sed niſi fallor, bonarum diſciplinarum ſtudia mirum in modum a vobis hoc tempore exculta Ordinem veſtrum rurſus erexerunt, & in veterem poſſeſſionem reſtituerunt. Ecce tibi monumentum rei hujus longe clariſſimum: quod unum poterat, ſi reliqua defuiſſent, Auctorem ornare ſuum, & ad ſummos Eccleſiæ gradus provehere. Prodit typis meis, qui Romanos excipiunt: & ut auſpicato prodiret, tibi potiſſimum commendari debuit, in quo uno ſumma ſunt omnia ad communem non tuorum modo, ſed totius Civitatis benevolentiam & exiſtimationem. Video, quam parcus in judicando debeat eſſe Typographus: at certe communi ſermone percrebuit, neminem unum Ordinis ſui dignitates celerius obtinuiſſe, neminem, cum obtineret, magis dignum eſſe repertum. Jam faſtigium tenes: attamen vota noſtra longius protenduntur; nec pati poſſunt, virtutem tantam finibus domeſticis contineri. Ita Superi faxint, uti volumus. Interim accipe ingenuam hanc cultus atque obſervantiæ ſignificationem ab homine tibi devinctiſſimo, qui ſi quid majus, vel melius haberet, hoc ipſum lubenti animo in obſequium afferret.

X X.

Ad Opuſculum Eruditum

Jo. Franciſco Muſello Capituli Veronenſis Archipresbytero dicatum.

Typographus.

INcommode ſane mecum ageretur, ſi libellum hunc ad eos afferrem, qui lucubrationes litterarias non pluris æſtimant, quam quanti moles ipſa, oculos, non ingenium adhibentibus, æſtimanda videtur. Scio equidem, quod æſtimatores hujuſmodi frequentiſſimi ſint, in morem veniſſe, ut magna nomina niſi magnis voluminibus non præponantur. Sed illud quoque ſcio, ſæpiſſime contingere, ut tanta hæc nomina pluteis noſtris incluſa æterno pulvere fœdentur, vel quod miſerius eſt, piſciculis involvendis devoveantur. Prodit auſpicio tuo, Præſtantiſſime Vir, exigua hæc Eccleſiaſticæ eruditionis particula; quæ tum merito ſuo luce & cognitione hominum digna eſt, tum vel maxime, quod ab eo ſit illuſtrata, qui & multis doctrinæ generibus valet, & rerum ſacrarum totiuſque Chriſtianæ Hiſtoriæ peritia longe plurimum. Verum neque hic a nobis commendari vult; neque tibi commendanda ſunt illa, quæ a te ipſo profecta aliquo modo videntur. Siquidem huic Diſſertationi cauſſam præbue-

buerunt monumenta illa, quæ ex inſigni Canonicorum Veronenſium Bibliotheca deſcripta ſunt, & nos miſſa, auctore te, annuente Collegio toto, operam ſuam ſtudioſe navante Collega tuo Joſepho Blanchino, tanti Theſauri cuſtode, magni Patrui æmulatore. Itaque meum hoc non tam donum tibi dicatum dici debet, quam gratiarum actio, & debita quædam cultus atque obſervantiæ ſignificatio erga viros de nobis, totaque re libraria optime meritos. Abdant alii divitias ſuas, lucem peroſi, & publicum litterarum bonum; alant blattas & tineas; caveant ne humano generi utiles ſint. Capitulum Veronenſe cum rebus aliis, tum hoc in primis emineat, quod ad ſacra ſtudia promovenda privatas opes in medio ponit; quæ certe ne opes quidem dici poſſunt, ſi in tenebris jaceant. Hæc Typographus in gratulationem effuſus. Sed illi plura dicent, quorum maxime intereſt antiquas memorias evolvi, & in commune veritatis ac religionis commodum evulgari. Vale, & perge ſimilia facere.

XXI.

Ad Gravinæ Origines Juris Venetiis recuſas

Carolo Pochino in Patavino Lyceo Scientiæ Criminalis Profeſſori dicatas.

Typographus.

OPus tibi affero & merito ſuo, & publico judicio inter ea, quæ Claſſica dicuntur, collocatum. Si quid ad ſpeciem & pompam litterarum ederem, quæſiſſem regalia nomina, quibus tamquam Diis thura ſacrarem. Homini tam gravi, tam docto, tam rerum humanarum perito nihil eſt exhibendum, niſi ſolidum & duraturum. Illud etiam animo reputavi, tam inſigne Juriſprudentiæ monumentum aut nullius tutela indigere, aut ejus dumtaxat, qui in hac ipſa diſciplina longe multumque præſtaret. Tutela porro hæc unde advocanda erat, niſi ex Gymnaſio Italiæ principe? Ex eo vero Gymnaſio quis potiſſimum compellandus, niſi ille qui & in eo collocaſſet ætatis florem, & poſt forenſem quadraginta annorum operam maturos ſenectutis fructus eodem contuliſſet? Ego equidem ſemper exiſtimavi, ſummos illos Viros, quibus litterarum procurationem Venetus Senatus commiſit, eximia quadam providentia & conſilio provinciam tantam admini-
ſtra-

ſtrare; ſed cum te in Patavinam Academiam revocarunt, viſi ſunt nobis non ſua modo virtute regi, ſed a fortuna adjuvari. Non enim facile erat hominem invenire, qui Doctrinæ Criminali tradendæ pro loci dignitate præficeretur. Reliquas Juriſprudentiæ partes ad uſum & eruditionem plurimi colunt: Criminalia pauciſſimi ad fori contentiones tractant, ad publicam docendi laudem vix ſingulis ætatibus ſinguli. Jam in arena es: & expectationi, quæ de te fuit, cumulatiſſime reſpondes. Verumtamen eſt aliquid, quod non Scholæ modo iſtæ, ſed nos quoque Typographi a te expectemus; ſcilicet Criminales Inſtitutiones, ſine quibus totum hoc ſtudium videtur quodammodo claudicare. Sed nolo ſtimulos currenti addere: nec vero is ſum, qui addere poſſim. Habes in Gravina hujus laudis exemplum, Hac via ad famam, & ad illam quam vocant immortalitatem contenditur.

XXII.

Ad Epithalamium

Veneto Senatori dicatum.

NN. NN.

MAgnum eſſe quippiam fortaſſe credes, præſtantiſſime Senator, quod tibi a duobus affertur. Sed ſi eos pendes, qui afferunt, idcirco intelliges collatis viribus adniti voluiſſe, quod alter

ter ſine altero minus valeret, tuæque dignitatis faſtigium formidaret. Non ipſa igitur res tanti eſt ut digna duobus judicari poſſit; ſed ea eſt amplitudo tua, ut qui ad illam velit accedere, munire ſe debeat, & in negotii partem adjutores accire. Sentimus profecto, quid ſit de tua familia dicere; ſentimus, quid ſit dicere de te, in quem unum totius familiæ decora per multos propagata deſcenderunt, ac velut in bono lumine poſita conſpiciuntur. Nec vero ita difficultatem ſuperari poſſe, verumtamen fieri minorem putamus. Quod enim ſinguli facultate dicendi efficere non poſſumus, id vocum conſenſu & clamore quodam fortaſſe efficiemus. Sed cur, inquis, tam multa latine, cur Græce aliqua, cur Hebraice? Cathedram hæc, non thalamum ſapiunt. Videlicet non pueris tædas ferentibus, aut populo dicenti Thalaſſionem hæc ſcripſimus; ſed tibi optimis litteris excultiſſimo, tuique ſimilibus, ſiqui ſunt. Non deerunt chartulæ, quæ ſemellis; non deerunt, quæ popello propinentur. Ea nos una cura tangit, ut tibi probemur: probari autem nequit, qui ab antiquæ eruditionis ac ſapientiæ fontibus longe abeat. Ecce tibi totam conſilii factique noſtri rationem. Sed vereor, ne magna conati ſimus, minima præſtiterimus. Utcumque ſe res habet, accedimus magno animo non tam ad judicem, quam ad patronum; nec putamus velle te lætiſſimo die gravius quippiam de nobis conſulere. Quamquam non potes ullo tempore ab illa deſciſcere benefaciendi voluntate, qua nos tibi jamdiu devinxiſti, niſi a te ipſo deſciſcas. Noſtra cum recipis, tua recipis: Tua enim ſunt, quæ patrocinio muniuntur

untur tuo, foventur bonitate, gratia, & auctoritate promoventur. Ita nobis Superi paullo plus virium aliquando concedant; faxintque, ut ingentibus beneficiis, quibus nos cumulaſti, majore aliquo grati animi teſtimonio reſpondere poſſimus. Quod cum multis de cauſſis tota vita deſiderabimus, tum vero maxime, ne audacter nimium feciſſe judicemur, cum noſmet tuis adnumeravimus.

XXIII.

Ad Scholaſticam Concertationem

Urbis Prætori dicatam.

NN.

ETſi conſpectus veſter, totaque loci hujus amplitudo ita me terret, ut vix ſpiritum vocemque regere poſſim: attamen gratulor, oblatum mihi tempus & cauſſam eſſe, ut ſtudia mea ab eorum injuria vindicem, qui in ſplendido quodam æquitatis nomine glorìantes, Romanas leges, omnemque Juriſprudentiam contemnunt. Neque vero mihi æquitatem oppugnare in animo eſt; quam ſi quis populus coluit, is certe Romanus fuit, ita in judicando æquus, ut ſi agendi formulas excipias vetuſtis verbis adſtrictas, nihil umquam neque Græci, neque barbari hoc in genere deſideraverint. Sed iſti fortaſſe cum æquitatem dicunt, quid ſibi velint, non ſatis intelligunt; quaſi ve-

ſi vero æquus eſſe poſſit, qui juris principia non tenet, & arbitrio quodam nulla doctrina temperato de mortalium bonis & capite pronunciat. Æquus, niſi fallor, is eſt, qui in gravi controverſia judex conſtitutus, non rem ad verba legis, ſed verba legis ad rem accommodat; & pro loci, temporis, ac perſonarum natura mentem ipſam Legislatoris interpretatur. Qui fieri igitur poteſt, ut hunc modum ſummo juri ponat qui jura non novit; mentemque explicet Legislatoris, qui leges quales ſint, numquam didicit? Verum iſti quidem, contra quos dicimus, non jura, ſed Romana jura inſectantur; nec ferre poſſunt, nos tantum unius gentis prudentiæ tribuere, ut ea una orbem terrarum regendum judicemus. Ajunt, mutatos eſſe mores, mutatum reipublicæ ſtatum, mutatam religionem eſſe: & quemadmodum diverſis morbis non eadem eſt adhibenda medicina; ita vitiis, quæ nunc ſunt, ab illa ætate diverſis non eaſdem poſſe leges opponi. Si dicerent hominum mutatam eſſe naturam, tum vero aliquid dicerent. Siquidem vix quippiam Romanis legibus præcipitur, quod non ſit a naturæ præceptis aliquo modo ductum. Sed quando morborum ſimilitudine delectantur, maxime velim ut reputent, neque morbos hoc tempore eſſe diverſos, neque vitia; ideoque & eaſdem exerceri curationes poſſe, & eadem jura adminiſtrari. Conſule igitur naturam, inquiunt, a cujus præceptis leges ipſæ prodierunt; atque ita multo facilius, multoque brevius ad æquum & bonum pervenies. Enimvero ſi natura teneri ac perſpici poſſet ſine doctrinæ lumine, optime monerent: ſed in hoc

ſumma laboris eſt, ut cognoſcatur, quid natura requirat. Quam quidem naturæ quaſi vocem cum præclariſſime omnium Romani Juriſperiti cognoverint, ejuſque admonitione judicandi prudentiam conſtituerint, cur volumus per invidiam, quod eſt ante pedes omittere, peregrina conſectari? Videant, quæſo, iſti importuni æquitatis patroni, ſeu potius juris legumque hoſtes, quanti Romanas leges faciat ſapientiſſima Venetorum Reſpublica, in qua tamen, tamquam in regno ſuo, æquitas dominatur: quæ ſane Reſpublica non ex toto terrarum orbe principes Juriſperitos acciret, magniſque præmiis in hac urbe aleret, ſi Romana jura cum æquitate pugnare arbitraretur. Vos mihi, Auditores, eorum, quæ dico atque defendo adſtipulatores, atque adeo auctores eſtis; quorum judicium apud me tanti eſt, ut etiamſi ratio deſit, in hoc tamen uno conquieſcam. Sed quod callidi Oratores facere ſolent, ut firmiſſimum quodque teſtimonium extremo loco ponant, eoque rem claudant, id ego quoque facio; teque teſtem voco, Senator ampliſſime, hujus Civitatis Moderator, cujus judicia ſatis ſuperque oſtendunt, quomodo poſſit legum juriſque ratio cum æquitate conciliari. Gratulor ego mihi etiam atque etiam, quod te Prætore ac judice, meum hoc in Romanas leges ſtudium oſtendere poſſim; totiuſque induſtriæ meæ, qualiſcumque eſt, in diſciplina tam nobili collocatæ, ſpecimen tibi potiſſimum exhibere.

XXIV.

XXIV.

Ad Scholaſticam Concertationem

Duobus dicatam.

NN.

QUam nihil de me pollicear, Viri ſapientiſſimi, vel ex hoc intelligi poteſt, quod me conatuſque meos utrique veſtrum commendo. Si enim mihi unum in tanto diſcrimine Patronum delegiſſem, non tam mihi ipſi diffidere, quam ex conſuetudine facere viſus eſſem: at vero duos cum appello, de inſigni quadam virium mearum imbecillitate fateor, qui a duobus tanta dignitate & auctoritate viris auxilium petam. Sed quam, inquiet aliquis, tantæ molis provinciam ſuſcepiſti, ut non ſatis tibi opis ab uno tanti nominis tantæque auctoritatis viro futurum ſit? Equidem non ignoro, quos advocaverim, quorum alter ampliſſimæ Diœceſeos negotia incredibili prudentia ſuſtinet; alteri ad ſuſtinendum non animus, aut vires deſunt, ſed occaſio. Verumtamen, utcumque ſit, juvat Adoleſcentem non una de cauſſa perterritum habere plures ingentis pugnæ auſpices, a quibus bene ſperare juſſus, & in magnam boni exitus ſpem erectus animoſe congrediatur. Non ita facile in hanc arenam laboris aleæque pleniſſimam ſine tantis auſpiciis deſcendiſſem; quod & me ipſe recte norim, & inſignem rerum Logi-

carum ſupra ceteras Philoſophiæ partes difficultatem. Facite igitur, Humaniſſimi, ut qui veſtra bonitate ac ſapientia confirmatus plura & majora viribus audere cœpi, in eadem illa ſapientia & bonitate, ſi quando defecero, perfugium inveniam.

XXV.

Ad Theſium Libellum

Præſuli dicatum.

NN.

QUi ſe eximium aliquid feciſſe putant, cum tibi, Præſul ampliſſime, Theologicas, vel Philoſophicas Theſes dicarunt, ii ſane neque tuam iſtam Dignitatem divinæ proximam, neque ſeipſos fortaſſe norunt. Niſi forte hac in re ita fieri judicant, quemadmodum Midæ accidiſſe Poetæ narrant, ut quidquid ipſe tangeret, novam continuo formam indueret, & in aurum converteretur. Nihil eſt enim tam leve ac minutum, ut ſi tibi placeat, non tua ſtatim dignitate creſcat,& ſupra naturam ſuam quodammodo efferatur. Sed utcumque res ſe habeat, ego equidem non auſim hujuſmodi munuſculis ad Præſulem præſtantiſſimum accedere, ipſique de me ſine magna cauſſa polliceri. Quid igitur, inquies, hocce libelli eſt, quod mihi obtrudis? Hoc ſcilicet tuum eſt, quippe tua ſunt omnia, quæ ab hac noſtra infirmi-

mitate ingenii proficiſci poſſunt; neque te tanta cùm moleſtia detinerem, niſi ageretur de re tua, aut ſi meum hoc debitionis officium ullo modo diſſimulari potuiſſet. Studiorum meorum ratio ita poſtulare viſa eſt, ut cum elementa litterarum & artium prima in hac Urbe didiciſſem, continuo Patriam dessererem, & ſecretiora Patavinarum Muſarum penetralia ſubirem: ſed tamen ab eo uſque tempore firmiſſime ſtatui curriculum hoc abſolvere auſpicio tuo, & eo demum redire tamquam in portum, unde diſceſſeram. Excipe me igitur non velut alienum hominem munera ferentem, quæ me tibi commendent, ſed omnino tuum patria, voluntate, obſequio, vitæ inſtituto. Ita enim fiet, ut ex probatione tua creſcat in nobis laboris amor, tantumque nitamur, ut tandem aliquando, auſpice te, grande aliquid, tuoque dignum nomine afferamus.

XXVI.

Ad Scholaſticam Concertationem

Cardinali dicatam.

NN.

QUi tua ſibi in publicis certaminibus auſpicia poſcunt, idem fere omnes profitentur, quantumvis non idem ſentiant. Ego vero quid ſentiam, non erit tibi difficile judicare, ſiquidem reputabis, quid mihi ſentire neceſſe ſit. Ac pri-

mum quidem ſi quid ad obſervantiæ ſignificationem valet dicatio hæc, cui potius, quam tibi debebatur Principi ac Patrono, non dicam maximo, ſed plane uni? Sin autem ad opem & præſidium implorandum inſtituta eſt, quis eſt omnium, qui magis indigeat, quam ego, qui præter morem & inſtitutum ſine ullo adjutore in præſens diſcrimen conjicior; aut a quo magis ſperare debui, quam ab illo, cujus benevolentiæ teſtem & laudatorem domi habeo? Nihil a nobis expectare debes ad adulationem compoſitum; nihil ex illa mercimonii lege, qua plurimi ſolent munuſcula hæc ad viros principes afferre, ut majora quædam ab illis corradant. Id unum mihi propoſui, ut præſidem atque auſpicem induſtriæ hujus qualiſcumque meæ invenirem; nec vero alius aut dignitate major, aut moribus gravior, aut bonis artibus ornatior in hac Urbe inveniri poterat. In hac Urbe autem? Singularia quædam ſunt in te ornamenta virtutum, quæ Italiam univerſam in admirationem ducere poſſint. Sed non eſt hic laudum tuarum locus, nec multa in tantis anguſtiis dici poſſunt, nec pauca debent. Quod nunc agitur, fave conanti: tantum enim mihi eſſe virium in hoc periculo exiſtimabo, quantum ipſe humanitatis & benevolentiæ attuliſſe videberis.

XXVII.

XXVII.

Ad Scholaſticam Concertationem

Nobili Viro dicatam.

NN.

MUlti mirari ſolent, cur adoleſcentes, qui hunc in locum ornatiſſimum veniunt, leve quoddam ſuorum laborum ſpecimen daturi, magnorum virorum auſpicia petant, & Numina ipſa; ut ita dicam, ſine cauſſa fatigent. Fateor equidem exercitationes has noſtras non eſſe ejuſmodi, ut ingenti præſidio egeant: ſed niſi tales quaſdam occaſiones captemus ſtudii noſtri quoquomodo ſignificandi, quid eſt aliud ætati huic tam imbecillæ, per quod poſſit benevolentiam ſibi & æſtimationem in litteris aliquam conciliare? Quamquam ſi nemo unus ad hæc officia deſcenderet, ego tamen illa præterire non poſſem, tum quod ſupra ceteros patrocinio indigeo, tum quod nihil omittere debeo, quo meum erga te cultum & obſervantiam multis rebus obſtrictam ſignificare poſſim. Accedit huc vetus parentum meorum, totiuſque familiæ erga te ſtudium: quod quidem me in hoc diſcrimine ad tuam fidem & tutelam non modo ducit, ſed prope impellit. Oportet enim hoc velut hæreditarium eſſe, & quam fieri longiſſime poteſt, propagari. Nunc vides pro tua ſapientia & æquitate, quid ego poſſim: in

poſterum pro modo ætatis & virium conabor efficere, ut tua beneficia non male collocata in nobis exiſtimes.

XXVIII.

Ad Scholaſticam Concertationem

Monaſticæ Familiæ Præſidi dicatam.

NN.

SÆpe mecum cogitavi, qui fiat, ut nemo velit publicas exercitationes ſuſcipere, niſi ſit aliquis, cui ſe ſuaque ſtudia commendet tamquam auſpici ac patrono. Hujus rei multas eſſe video cauſſas, quas ſingulas ſi recenſerem, nonnihil invidiæ, cum minime opus eſt, fortaſſe ſubirem. Ego, ut de me dicam, non aliunde mihi patrocinium peto, quam unde tota rerum mearum ratio pendet; unde domus hæc noſtra & familia decus & præſidium nacta eſt. Tu ſcilicet mihi auſpex eſſe debes, præſtantiſſime Vir, cui nec ingenium deeſt ad cognoſcendum, nec humanitas ad ignoſcendum. Multiplex habemus animi tui ſpecimen ſinguli atque univerſi in ſtudiis colendis, in diſciplina afferenda, in templo hoc ornando, in rebus domeſticis reſtituendis: neque ullus eſt qui non videat, ad ſummas in Ordine noſtro dignitates conſequendas nihil deeſſe tibi præter ætatem. Ego equidem tantas haſce animi dotes & ornamenta ſæpe miratus tempus quæſivi, quo

meum

meum in te ſtudium publice patefacerem, mihique meiſque de bono tam inſigni gratularer. Erit hoc non meæ modo, ſed communis voluntatis argumentum ad omnem ſæculorum memoriam propagandum: ut qui tam gravi officio in poſterum fungentur, habeant quo aſpiciant.

XXIX.

Ad Scholaſticam Concertationem

Viro Nobili dicatam.

NN.

NIhil eſt, quod hominem homini procul a patria degenti magis conciliet, quam vinculum patriæ ejuſdem: quod eleganter expreſſit Virgilius, cum Æneas in Epirum fato compulſus, Helenum & Andromachen invenit. Satis dixi, ut intelligas, Vir nobiliſſime, cur ego in præſenti mearum virium diſcrimine ad te potiſſimum confugiam; teque mihi auſpicem & patronum magna quadam animi firmitate fore confidam. Venetus Venetum appello. Neque tamen appellare auderem, niſi quid amplius, quam patriæ nomen in te ſpectarem. Tanta iſta ingenii naturæque facilitas, tanta animi magnitudo, tantus in omni victu cultuque ſplendor poteſt allicere alienos quoque, ut in fidem tuam tutelamque concedant. Sentis, opinor, magno te Superum beneficio ex illa Corcyrenſi calamitate ſervatum

vatum eſſe, ut humano generi benefaceres, & multos mortales tua opera præſidioque ſervares. Suſtines profecto ex illo die, ſi recte cogitas, ingens onus; reddendum tibi eſt, quod accepiſti; ferendum periclitantibus auxilium; monumenta animi erga Deum memoris & grati ubique ponenda. Atqui ego perinde loquor, quaſi ſtimulis egeas. Cæcus enimvero ſim, niſi ſplendida hæc tuarum virtutum ornamenta videam, quibus incredibilem tibi exiſtimationem & benevolentiam comparaſti; deinde vero etiam amens, ſi verear, ne tuis deeſſe velis. Verumtamen parce homini de ſua infirmitate, quemadmodum debet, judicanti. Ita ſumus natura comparati, ut cum reputamus, nihil eſſe in nobis eximium, quod aliorum erga nos ſtudium & voluntatem movere poſſit, cauſſæ noſtræ valde timeamus: ſed cum ſemel ſperare cœpimus, nihil eſt tam difficile, quod nobis non polliceamur. Fac igitur pro tuo iſto benemerendi deſiderio, quod vultu ipſo ad humanitatem mirifice compoſito ſignificare ſoles, fac inquam, ut in ſpem aliquam tui beneficii veniam; & hoc velut omine loci hujus fortunam diſputando pertentem.

XXX.

Ad Libellum D. Auguſtini de Confeſſionibus

Lectori

NN.

ITa mihi videor hujus libri lectione profeciſſe, ut aliquam Auctori gratiam referri velim publica grati animi teſtificatione. Id vero cum multis rationibus fieri poterat, tum nulla certe magis opportuna & ad famam hominum diuturniore, quam nova ejuſdem Operis editione, per quod profeci. Præterquamquod, ſi tanta exemplarium copia fiet, ut a pluribus legatur, non ab Auctore modo, ſed ab iis omnibus gratiam inibo, qui de graviſſimo animæ negotio ſolliciti, nihil eorum prætermittunt, quibus ſibi ad cæleſtem patriam iter aut patefacere poſſint, aut expedire. Non ſane multi ſunt, qui ita ſapiant; verumtamen hoc unum ſapere eſt. Ceterum non ſum neſcius, talium libellorum multitudinem effeciſſe, ut fere faſtidio ſint: ſed quæ ſunt Auguſtini, aut ex Auguſtino collecta, e multitudine emergunt; tantumque eminent ſupra cetera omnia, quantum Auguſtini ingenium ſupra omnium Scriptorum ingenia eminere per omnes ætates judicatum eſt. Vides, humaniſſime Lector, quid tibi

bi proponam; nec potes meam in te voluntatem non probare, niſi ſimul æternæ ſalutis præſidia improbes.

XXXI.

In Summam D. Thomæ minore forma recuſam

Lectori

Typographus.

ECce tibi iterum D. Thomæ Summam, non illa quidem formæ magnitudine ac præſtantia, qua nuper edidimus, nihilo tamen certe minore elegantia. Quod ſi de parte ſollicitus meliore, internum nitorem ſpectes ac perfectionem; affirmare auſim, nec a nobis antehac, nec ab aliis umquam plus operæ ac ſtudii ejus emendationi fuiſſe tributum. Non putabis, veterem a nobis librariorum recini cantilenam, ſi paullo attentius perpendes qua cura ac diligentia non verba modo D. Thomæ, ſed ipſa illa quæ per D. Thomam aliunde accita fuerant, fidei ſuæ reſtituerimus. Hac enim in parte cum laborarit prorſus nemo præter unum Nicolajum, vix dici poteſt, quam multa Scripturæ Patrumque loca mutila eſſent ac depravata. Ipſe porro Nicolajus quam ſæpe dormitat, bone Deus, ſive immenſi laboris tædio, ſive nimia eorum fiducia, quorum opera

uſus

uſus eſt! Itaque nonnulla Angelici Doctoris verbis inſerta, & ad ipſum tamquam Auctorem relata, quæ ab aliis petita cum eſſent, aliqua erant typorum diſſimilitudine diſtinguenda; quædam rurſus ab eo ſumpta, & ad alios falſis quibuſdam notis traducta; trunca alia, alia plus juſto amplificata; multa dominis abdicata ſuis, de loco multa detruſa; uno verbo pleraque partim ſemidoctorum audacia, partim librariorum incuria, partim neſcio qua diuturni temporis omnia lædentis injuria vario labis genere fœdata. In his purgandis, corrigendis, reparandis toti fuimus; nulli neque impenſæ neque labori parcentes, ut potiſſimam divini plane Operis partem integram, ſuiſque abſolutam numeris tibi daremus. Sed quid tu, inquis, de variis lectionibus, ut eas vocant, quid de manuſcriptis exemplaribus, unde magna peti ſolet hoc tempore Typographis commendatio? Hic me tibi ſi venditem, nec jure faciam, nec libenter. Id in primis curavi, ut optimam & probatiſſimam ubique lectionem retinerem; tum ſi qua dubia viſa eſt, alteram addidi; ceteras vero, unde nullus eſſet uſus, ſed inanis quædam veterum manuſcriptorum oſtentatio, omnino rejeci. In his ſe alii jactent, id aliquando variandi libidine conſecuturi, ut nihil certi atque explorati habere poſſimus. Qua de re nolo plura dicere, ne videar velle ſapere ſupra Typographum. Habes de opella noſtra, quæ qualiſcumque eſt, hoc ſaltem uno placere tibi debet, quod ſuis auſpiciis uſa neminem palpat.

XXXII.

XXXII.

Ad Opuſculum Sacrum

D. Auguſtino dicatum.

NN.

QUæ tuo quodam afflatu peperi, Auguſtine Doctorum princeps, tuis nunc auſpiciis emitto, nihil hominum judicia veritus, ſi me nomine tam auguſto, veluti ſcuto, tegere potero. Ac multi ſane formula iſta ad fœda erga mortales obſequia abuti ſolent, quorum impudentia ad illiberales adulationes projecta factum eſt, ut ii qui ſapiunt, dicari ſibi libros aliquando patiantur, cupiant vero numquam. Ego mihi reperiſſe videor, quem laudare poſſim merito ſuo, neque rogatus, neque emptus, neque turpi alia ratione obnoxius. Itaque illud etiam ſequitur, ut ſtemmata & imagines omittere poſſim, quod genus paſſim jactant talium mercium inſtitores. Ipponenſis Epiſcopus, Catholicæ Eccleſiæ Doctor longe maximus, Scriptor ex omni memoria temporum ſapientiſſimus, non eget laudibus aliunde quæſitis. De te igitur nihil. De me vero ſic habe, nihil mihi umquam fuiſſe antiquius, quam ut tui ſtudioſus in omni vita apparerem. Videbar enim ipſe mihi fore aliquid, ſi contentionibus meis guttulam doctrinæ tuæ aliquam aſpergere imitando poſſem. Hoc ipſum intelligo quam diffi-

difficile & arduum ſit: attamen in laude aliqua ponendum eſt, niſi fallor, contendiſſe. Placet id in præſenti publice profiteri; Civitatemque de nobis optime meritam teſtem appellare. Tu voluntatem in te noſtram ex illis beatorum ſedibus proba, noſque & litterulas iſtas ſupremo Numini commenda.

XXXIII.

Ad Sacra Volumina

B. Mariæ Dei Genitrici dicata.

Typographus.

QUicumque ex noſtris grave aliquid aggreſſuri homines quærunt, a quibus auſpicia ſumant, videntur illi ſane rerum divinarum humanarumque diſcrimina ignorare. Eſt enim auſpicium, ſi recte judicamus, cæleſte quiddam ex Numinum favore manans, quod a mortali natura expectari non debet. Ecce igitur, cur nos ſacrarum rerum volumina magnis impenſis edituri, te potiſſimum, Virgo parens, in ipſo tanti operis limine auſpicem appellemus. Tu nobis vires animoſque ſuppeditabis; facieſque pro tua apud præpotentem Filium auctoritate, ut hominum mentes ad hæc ſtudia tam neceſſaria converſæ noſtris laboribus faveant, & præſto ſint. Id eo libentius facimus, quod in hujuſmodi pietatis officio nulla fallendi ſuſpicio latere poteſt, nulla blandiendi, nulla captan-

ptan-

ptandi, nulla denique, ut omnia uno verbo complectar, dedicandi pro more ſæculi. Nos igitur tibi typos noſtros, præla, pluteos, remque omnem librariam damus, dicamus, donamus; rite recteque precati, ut habeas in ære tuo; & quandoquidem rerum Venetarum peculiarem curam geris (ut temporibus difficillimis compertum eſt) partem hanc longe nobiliſſimam, quæ ad animi cultum & religionem ſpectat, ſingulari aliquo patrocinii genere tuearis. Alii templa magnifica tibi condent; alii ſacrificiis & ſupplicationibus totam Civitatem ad ſpectaculum commovebunt: nos, quod unum poſſumus, munuſculo iſto tibi litamus, nihil in poſterum facturi libentius, quam quod ad tui nominis commendationem pertinebit. Habeant ſibi homines auſpicia ſua per titulos ac dignitates celebrata, ſed tamen inania. Nos humana experti, in tuo Numine ac præſidio conquieſcere perpetuo volumus.

XXXIV.

Ad Tomum primum Opuſculorum Lipſienſium

Bernardino Zendrino dicatum.

Typographus.

NOn una cauſſa fuit, Vir Præſtantiſſime, quæ me non dicam moneret, ſed prope im-

impelleret, ut primum Collectionis hujus Volumen tibi potiſſimum inſtituerem, tuoque nomine longe clariſſimo illuſtrarem. Sed, ut ceteras omittam, quæ me tibi obſtrictum habent, & publicam aliquam grati animi ſignificationem poſtulant, hoc ipſum, de quo agitur, eſt hujuſmodi, ut tibi vel in primis jure quodam debeatur. Tu enim mihi conſilii hujus auctor fuiſti, tu idem dux & adjutor: ut, ſi quid ex eo boni erit, ſpero autem fore plurimum, induſtriæ ac ſapientiæ tuæ totum plane ſit referendum. Intereſt, niſi fallor, reipublicæ litterariæ, quam multa & quam varia homo unus præſtare poſſit, cognoſcere. Nimis enim quidam anguſtis terminis humana ingenia circumſcribunt, irridentes etiam tamquam ardelionem, ſi aliquem videant pluribus rebus operam dare. Latius patet hominis animus, quam artium ac diſciplinarum provincia tota. Tu certe cum Medicinam facias tanta hominum approbatione, quanta eſſe poteſt maxima in Civitate principe; interim tamen & antiquam eruditionem, & aquarum doctrinam noſtris temporibus mirum in modum amplificatam, & Matheſim univerſam, & Phyſicam complecteris; ut nihil jam ex litterarum atque artium ſtudiis tibi novum accidat. Quid vero ſi non tibi tam ſæpe publici muneris & officii cauſſa modo huc, modo illuc commigrandum eſſet? Quid ſi non menſes prope integros mechanicis operibus viſendis, regendis, judicandis concedere deberes? Mirum ſane eſt, quomodo poſſis tam multa aggredi ac perficere, nec tamen amicorum officiis umquam deſis, & nobis etiam rem librariam gerentibus operam &

auxilium impendas. Ego ſane numquam auſus eſſem hoc, quidquid eſt, quod ſane multarum rerum peritiam rectumque judicium requirit, ſine te ſuſcipere; ut proinde nemo mirari debeat, ſi in ipſa operis fronte a te ipſo auſpicium peto. Sic porro velim tibi perſuadeas, quod tibi probatum erit, omnes homines litteris deditos facile probaturos.

XXXV.

Ad Tomum tertium Opuſculorum Lipſienſium

Jano Planco dicatum

Typographus.

CUm Petrus Victorius, magnis propoſitis præmiis, Galliarum Regi Opera ſua dicare poſſet, maluit honorem hunc, pro illis moribus minime vulgarem, Nicolao Ardinghello homini docto & amico ſuo deferre. Scilicet non omnibus omnia conveniunt, ſed aliis alia. Jam ſatis intelligis, Sapientiſſime Jane, cur ego, inſtituta collectione hac ex omni litterarum & artium genere, quæ Actis Lipſienſibus continentur, viros quæſierim doctrinæ & eruditionis laude præſtantes, quorum nomine volumina ſingula ad auſpicium exornarem. Sed illud quoque vides, opinor, exeunti mihi paullo longius cogitatione, &

Ita-

Italicas perluſtranti Academias, non potuiſſe te non ſtatim occurrere, quem pro ſuſcepto conſilio patronum & auſpicem advocarem. Hominem quærebam, qui inſignem aliquam naturæ cognoſcendæ operam dediſſet; & in magna Italiæ luce ejus arcana, ſive ad Medicos uſus, ſive ad diſputandi exercitationem aperiret. Eſt ne aliquis ſæculo noſtro, qui ſe tibi in hoc induſtriæ genere conferre audeat; qui plura quæſierit, notarit, adverterit; qui partes omnes non modo humani corporis, ſed animantium quoque ceterorum, atque adeo illorum etiam, quæ ζωόφυτα Græci dicunt, diligentius perpenderit; verbo dicam, qui maria ſua terraſque curioſius excuſſerit? Hoc conſilio inſignem naturalium rerum theſaurum domi tuæ collegiſti; ut apparatu ipſo ad ſæculi ingenium compoſito ſciendi cupidos alliceres; additis etiam ex omni antiquitate monumentis, ne quid deeſſet ad illam, quam multi requirunt, encyclopædiam. Scio, talia quædam interdum ab iis venditari, qui ſpecie fallere ſtudent, & videri malunt, quam eſſe. Sed tu quidem & editis per nos libris, & privatis publiciſque diſputationibus, & quibuſcunque rebus occaſio tulit, quis quantuſque eſſes, ſatis ſuperque oſtendiſti. Proinde nihil mirum, ſi, cum Anatomicum ſtudium Senis reſtituendum eſſet, in te unum Regii Conſilii Proceres oculos conjecerunt; teque patriæ tuæ, conditione quavis retinere conanti, pæne dixerim, eripuerunt. Verumtamen viri docti non ſibi, nec ſuis ſolum, ſed toti humano generi ſua bona debent; complexi, qua late patet animorum commercium & ſocietas, immenſa terrarum ſpatia, quibus ſa-

pientiæ latices effundant. Patiantur non ægre cives tui ad alias quoque Civitates ſua commoda pertinere; ſibique ipſi gratulentur, quod pro ſumma ſoli Ariminenſis fæcunditate dare potius debeant, quam accipere. Tu vero interim perge, ubicumque eris, Phyſicam Medicamque facultatem colere & amplificare; illudque pro certo habeas nihil me libentius typis meis, quam tua, vel tuo judicio probata commiſſurum.

XXXVI.

Ad Moralem Theologiam P. Anacleti Reinffeſtuel

Minorum Conventualium in Veneta Provincia Præſidi dicatam

Typographus.

SI Anacletus Reinffeſtuel in vivis eſſet, videretque ſuam hanc Moralem Theologiam typis meis editam, a te potiſſimum auſpicia petere, totius Venetæ Provinciæ Minorum Conventualium Præſide, ipſe ſibi procul dubio gratularetur. Fruges iſtæ in ſolo D. Franciſci natæ, longe lateque propagentur ad alendas gentes omnes, quæ Chriſtiano cenſentur nomine, numquam tamen ex alieno creſcant. Fovit eas primum & amplificavit alter Ordinis hujus Seraphici Magiſter Matthæus Creslingerus: nunc in ſinum convolant tuum,

tuum, a quo tamen nihil petunt, niſi patrocinium. Potes ſane & his addere, ſi quid deſit; & ſimilia condere, ſi velis, & vaces; quandoquidem ad iſtum dignitatis gradum recte atque ordine per omne ſtudiorum genus perveniſti: ceterum, ut nunc eſt, nihil amplius optamus, quam ut accipias muneris loco, quod aliqua ex parte tuum eſt, acceptumque tueare. Commode porro accidit, ut per hos dies Opus emitterem, cum te Fratres tui unanimi conſenſu Provinciæ præpoſuerunt. Neque enim mihi ſingulari quadam ratione obſtricto ſatis eſſe videbatur communes lætitiæ ſignificationes afferre, & in media turba gratulari. Publicum eſſe volo notumque omnibus, quod tibi perſolvitur officium: ut quando pro meritorum magnitudine grates referre nequeo, videar ſaltem pro boni viri more debitionis confeſſionem non refugiſſe. Superi tibi familiæque tuæ contulerunt illa omnia, quæ in rebus hominis bona dicuntur; Tu aliis confers, & pro ea, quæ genus hominum continet, ſocietatis lege curas atque efficis, ne operam tuam ullus deſideret, modo fateatur, ſe indigere. Liceat typographo eſſe gratum, quacumque demum ratione poteſt: non poteſt autem niſi per hæc, quæ parum intelligentibus videntur exilia, ſed tibi ita videntur, ſicuti revera ſunt, opibus ac divitiis nobiliora. Erunt certe quidem non injucunda, ſive reputes quæ ſint, ſive a quo.

EPISTOLÆ PHILOLOGICÆ.

EPISTOLA I.

Ad Amicum Cenetenſem

De Philippi a Turre Epiſcopi Adrienſis Vita,

EPiſcopi Adrienſis mors ita me perculit & afflixit, ut vix animo conſtem. Adhuc ille mihi cogitanti obverſatur, qualem prorſus in lectulo jacentem vidi, cum ſubſidentibus oculis, labris naribuſque decoloratis, cervice inverſa, cruribus contractis, brachiis inæqualiter diſperſis, magna quadam luctatione ſpiritum extremum funderet. Cum enim ingraveſcere morbum ſenſit, ad me miſit ut adeſſem. Statim advolavi; mecumque Valliſnerium adduxi medicum, ut noſti, in hac urbe primarium. Sed cum Rhodigium pervenimus, jam morti proximus ne agnoſcere quidem nos potuit. Inteſtato mortuus eſt. Fortaſſe de teſtamento ne cogitavit quidem umquam. Sed

certe

certe cum me advocari juſſit, aliquid mente volvebat ſaltem de ſcriptis ſuis, quibus credibile eſt conſulere voluiſſe. Hactenus de ejus morte. De vita quod quæris, id vero longioris eſt operæ. Nunc pauca dabo: quæ tamen ipſa ſi edideris per tuum iſtum librarium, non ægre feram. Vale.

Nonis Mart. MDCCXVII.

V I T A
PHILIPPI A TURRE
EPISCOPI ADRIENSIS.

PHilippus a Turre ea morum probitate fuit, eaque litterarum gloria, ut merito de fortuna queri potuerit, niſi ad ceteras animi dotes inſignem moderationem addidiſſet. Non caruit ille quidem bonis, quæ fortunæ dicuntur; abundavit etiam, ſi fortunæ dumtaxat ratio ducatur; ſed ſingularis illius atque inaudita virtus majus aliquid poſtulare viſa eſt, unde hominem poſteri metirentur. Natus eſt in Civitate Auſtria, vulgo *Cividale*, Kal. Maj. anno MDCLVII. parentibus apprime nobilibus Mario a Turre, & Camilla de Frumentinis. Quod in prima ætate rariſſimum eſt, libros ſemper maluit, quam crepundia: cumque Rhetoricum & Philoſophicum curſum in patria celerrime abſolviſſet, Patavium migravit. Hic rurſus humanitatem, & politiores litteras tractare cœpit, ad quas potiſſimum factus videbatur; tum ſe Juriſprudentiæ dedit; nec interim Mathemati-

cum, aut Anatomicum ſtudium, qua erat ingenii abundantia, prætermiſit. Annos natus fere viginti, publicum utriuſque Juris examen ſubiit, probatuſque ſuffragiis omnibus, in patriam revertit; ubi paucis poſt annis Patruo Civitatis Canonico ſuffectus, antiquæ eruditionis ſtudium ſuſcepit, ſeu potius revocavit. Hunc enim amorem jam tum imbiberat, cum Patavii eſſet, & Octavium Ferrarium, eruditiſſimum ſuperioris ſæculi virum, frequentiſſime audiret. Tametſi Ferrarius elegantiorem antiquitatem ſequebatur; Philippus vero ad eam ſe contulit, quæ rudioribus monumentis, & iccirco magis reconditis continetur; cujuſmodi ſane in ejus Capituli archivo plurima ſunt. Per hæc & ornandæ patriæ, & obſcuriſſimæ ætatis illuſtrandæ incredibili ardore ſuccenſus eſt: ſed cum intelligeret hoc ſtudii genus magnam librorum copiam, & eruditorum commercium poſtulare, Romam demigravit anno MDCLXXXVII. ibique ita ſe totum antiquæ hiſtoriæ tradidit, præſertim vero Eccleſiaſticæ, ut non multo poſt inter Academicos Collegii *de Propaganda* relatus fuerit. Tum vero primum in magna illa non dicam multorum hominum, ſed omnium fere nationum luce fulgere cœpit, & quantus futurus eſſet, oſtendere. Ingenium multi admirabantur, ſed acerrimus hominum æſtimator Carolus Auguſtinus Fabronus, nunc S. R. E. Cardinalis, in primis ornavit, ejuſque commendatione factum eſt, ut cum Eminentiſſimus Joſephus Renatus Imperialius Ferrariam Legatus miſſus eſſet, Philippum ſibi adjungeret, & juri dicundo præficeret, quod officium *Auditoris* appellant. Sexennium in ea Legatio-

gatione commoratus, ita ſe omnibus ſingulari prudentia, fide, integritate commendavit, ut cum Cardinalis provincia decederet, eum ſibi retinendum putaverit, ut Romæ quoque in multarum *Congregationum* negotiis ejus opera uteretur. Quo in munere ſane graviſſimo, quidquid ſupererat otii, id totum in antiquitatis ſtudium conferebat: eaque induſtria celeberrimo Cardinali Noriſio plurimum probatus, ad intima ejus litterarum conſilia admiſſus eſt, multiſque benevolentiæ teſtimoniis ſupra ceteros ornatus. Accidit per ea tempora, ut Antii rudera ad portus conſtructionem effoderentur; ex quo intellectum eſt, litteras quoque fortuna indigere; nihilque admodum valere ſive ad opes, ſive etiam ad famam, niſi illam ſibi ſociam adſciſcant. Cum enim magnis illis effoſſionibus monumenta quædam antiquiſſimæ formæ detecta eſſent, hinc ſibi Philippus occaſionem arripuit ingenii prodendi ſui eo Commentario, qui eſt *de Monumentis Antii*; in quem tam multa, tam varia, tam recondita ex omni eruditione conjecit, ut minima pars titulo ſignificetur. Egregiam lucubrationem Innocentius XII. Pontif. Max. valde probavit, nec laudibus ſolum, quarum multi ſolent eſſe liberaliſſimi, ſed etiam beneficiis ornavit, plura daturus, niſi fato interceptus fuiſſet. Verumtamen quod ille præſtare non potuit, abunde præſtitit Clemens XI. qui pro ſua quadam non religionis modo, ſed etiam litterarum cura Philippum complexus, Adrienſem Epiſcopum renunciavit VIII. Id. Febr. MDCCII. Qui hominis virtutes & ingenium noverant, non eum libenter diſcedere Roma patiebantur, ut in

Ita-

Italiæ angulo nec prorſus illuſtri, neque ſaluberrimo deliteſceret: ſed ille tamen nihil tale recuſandum ratus, in quo divina quædam vis apparebat & providentia, Rhodigium ſtatim profectus eſt, totumque ſe ejus Eccleſiæ rationibus addixit. Magna in eo fuit & intelligendi & agendi celeritas. Itaque cum omnia ſuæ provinciæ negotia ipſe per ſe diligentiſſime expediret, optimique Præſulis partes impleret, ſua tamen tempora Muſis quoque tribuebat. Cujus induſtriæ quærenti ſocium, non defuit Comes Camillus de Silveſtris, notum in rep. litteraria nomen, ætate pæne pari, morum vero elegantia & antiquitatis ſtudio nihil diſſimili. Hunc ſibi Philippus tamquam divinitus datum in urbe multis quidem rebus ornata, ſed litteris colendis non admodum opportuna, cupidiſſime adjunxit, eoque uno familiariſſime, quamdiu vixit, uſus eſt. Curavit etiam ſibi a Dominicana familia virum in primis clarum Thomam Minorellum, ex cujus politiſſimo ingenio, quo tempore Rhodigii fuit, & ipſe magnum cepit conſuetudinis fructum, & Rhodigina juventus inſtitutionis. Sed & abſentium amicitias ſtudioſiſſime coluit, quicumque aliquo inſigni litteraturæ genere præſtarent; & Patavium identidem excurrebat, iis præſertim diebus, quibus Seminarii cenſus ab Eminentiſſimo Georgio Card. Cornelio haberi ſolet, cum ut ſe omnium fere diſciplinarum linguarumque diſputationibus continenter habitis recrearet, tum vero maxime ut Antiſtiti optimo, & ad litteras promovendas incitatiſſimo gratificaretur. Cetera lætus, & quod in humanis rariſſimum eſt, ſua contentus ſorte,

id

id unum primis annis dolebat, quod librorum copia careret; nec ſatis haberet fortunarum, quibus & Epiſcopalem dignitatem ſuſtinere poſſet, & honeſtiſſimum hoc deſiderium explere. Poſt aliquanto reſpiravit, inſtructaque decenter domo, de libris comparandis cogitare cœpit, quod ipſum ita præſtitit, ut vel ex hoc uno de ſumma ejus ſapientia conjici poſſit. Per hæc adjumenta non paucas pro re nata Diſſertationes compoſuit *de Taurobolio*, *de Vermibus corporis humani*, *de Solis Eclipſi*, *de Anniæ Fauſtinæ numo*, *de annis Imperii Elagabali*, ab iis editas, ad quos per epiſtolam miſſæ ſunt, præter ultimam, quam edidit ipſe typis Seminarii Patavini ann. MDCCXIII. Scripſit præterea ad amicos multa, non ſoluta modo, ſed etiam ligata oratione; quæ ſingula quidem minuta ſunt, ſed in unum tamen collecta corpus, juſtum volumen efficerent. Nolim equidem, quæcumque in ſcriptis reliquit ſive ſerio, ſive joco fuſa, ſtatim vulgari; quam ego librariorum curam magnorum virorum exiſtimationi ſæpe fatalem animadverti: ſed quædam tamen de militaribus itineribus, & de tota illa controverſia, quæ ipſi cum præſtantiſſimo adverſario Joanne Vignolio *de Imperio Severi Alexandri* fuit, omnino jacere non debent; quod jam ad umbilicos pervenerint, & famam ejus ſuſtinere poſſint. Multa etiam mihi de Patriarchis Aquilejenſibus legit, multa oſtendit ex abditiſſima antiquitate depromta: ſed pleraque informia ſunt, nec lucem ſperare poſſunt, niſi forte a clariſſimo viro Juſto Fontanino, qui & ea eruditione eſt, ut nihil hujuſmodi formidare debeat, & iis moribus, ut nihil

hil omittere poſſit, quod ad Præſulis amiciſſimi gloriam conducere videatur. Reliquum eſt, ut de ejus morte dicamus, quod paucis abſolvetur: nam ne diſſecto quidem exploratoque cadavere, medici ipſi ceteroquin peritiſſimi ſtatuere potuerunt, quo genere morbi conſumtus ſit; quique hydropem accuſant, ita rem involvunt, ut nec ſatis appareat quomodo gigni potuerit, nec quomodo cognoſci, nec quomodo ſanari. Quod certum eſt, duos ferme antequam moreretur menſes, perpetua ſiti laboravit, eodemque tempore *δυσουρίᾳ*, morbo illo quidem non novo, ſed pæne jam familiari. Sitis in febriculam deſiit, quæ & ab ipſo contemta eſt, nec a medicis valde oppugnata, quod ex *δυσουρίᾳ* proficiſci crederetur, nihilque ejuſmodi portenderet, quale poſtea conſecutum eſt. Quid plura? Sic erat in fatis: repente in extremis fuit. Itaque cum ſe ad ſupremum illud certamen rebus divinis comparaſſet, incredibili virtute & conſtantia deceſſit V. Kal. Mart. MDCCXVII. Rhodigii ſepultus eſt ingenti totius civitatis luctu, quæ calamitatem hanc acerbiſſime tulit, & pro ſumma temporum difficultate etiam in omen vertit. Talis fuit Epiſcopus, ut non ſolum cum probatiſſimis hujus ætatis, ſed cum veteribus etiam comparari potuerit. Severus & gravis, ſed idem, cum tempus poſceret, blandus & affabilis ſupra quam ejus vultus plane cenſorius polliceri videretur. Sermo compoſitus, & in re qualibet ita eruditus, ut ſemper meditatum crederes. Id fuit in illo ſingulare, quod cum plurimum temporis litterarum ſtudiis concederet, non tamen ſe rebus agendis ſubducebat; quo factum eſt, ut doctiſſimus

mus

mus idem eſſet, idemque prudentiſſimus. Hoc ipſi apud ſuos magnam auctoritatem conciliavit, liberalitas vero gratiam & benevolentiam. Amicitiis uſus eſt omnium ferme ſui temporis litteratorum, multorum etiam hoſpitiis : nam id in primis curabat, ut hoſpites frequenter haberet; cumque ipſe tenuiſſimo victu uteretur, alios ſplendidiſſime excipiebat. Sed hæc narratori ſatis: plura dabunt laudatores.

EPISTOLA II.

Ad eumdem

De Actione Oratoria.

FAteris, nihil eſſe vitioſius in Oratore, præſertim ſacro, quam motum vocis & corporis arte quæſitum: & tamen, quæ ſint artis præcepta, cognoſcere cupis; meque non litteris modo tuis, ſed etiam amicorum auctoritate urges, ut de re hac aliquid ſcribam. Non artem, opinor, ſed ſiquid eſt in arte nimium, reprehendis. Conſtitueram Quinctiliani Inſtitutiones ad te mittere: & ſane miſiſſem, niſi paullo eſſes ad iram pronior, quam oporteat. Quid enim? Putaſne me, aut noſtrum quempiam poſſe meliora? Sed quando falli vis, fallamus officioſe.

Oratoria Actio dividi ſolet in *Pronunciationem*, & *Geſtum*. Ad illam quod attinet, etſi vocis bonitas non eſt in nobis, ut ait Cicero; tractatio tamen atque uſus in nobis eſt. Quapropter in ſua illa, qua pollet unuſquiſque, vocis facultate bonus Orator videri poterit, ſi magna in primis cura animadvertat, ne præpropera quotidiani ſermonis feſtinatione verba mutilet. Fere enim familiaris locutionis vitia ad actiones quoque publicas afferuntur; & ſolent blaterones, cum dicunt e roſtris, ut ut aliqua in parte naturam conando vincant & conſuetudinem, extrema ſaltem periodorum deglutire. Ita porro diſtincte pronuncia-

ciabimus, ne tamen diutius in verbis immorantes ſingulis, hiulcam faciamus orationem, aut memoria laborare videamur, aut ſyllabas numerare. Quamquam vitium hoc non eſt ita commune, ut primum illud: quod ut tollatur, nulla me quidem re adjuvari magis expertus ſum, quam clara expreſſaque litteræ caninæ pronunciatione. Fit enim hac adhibita unius litteræ recte efferendæ diligentia, ut omnes bene pronuncientur. Imo ſi cui balba quædam hæſit minuſque aperta aliquorum verborum pronunciatio, quæ pro conſuetudine vetuſtiſſima tolli non poſſe videatur, *R*, ſibi dumtaxat, ſi quod eſt in verbis illis, valde proponat ſpiritu linguaque premendum; brevique ſentiet, in aliis quoque litteris efferendis nectendiſque ſe mirifice expeditum.

Cum perſpicue pronunciare poteris, illud deinde cura quam diligentiſſime, ut vocis varietate rerum, de quibus dicis, varietatem conſequaris. Nihil enim æque audientes enecat, atque unus ille, conſtans, & perpetuus quaſi cantus adoleſcentis e ſchola. Vitium tamen hoc, quod in foro & in curia ferri non poteſt, Oratori ſacro interdum condonatur reverentia quadam rerum, de quibus dicit, ſi cetera ſit gravis & facundus. Addo etiam illud, ipſam variandi curam hoc in genere, ſi nimia ſit, & loci oblita videatur, magis offendere, quam μονοτονίαν. Ceterum vocis variandæ leges longe plurimas & pulcherrimas habes a Quinctiliano: quibus addere qui velit aliquid, præſertim ad fori conſuetudinem, nugas agat. Ego inde pauca ducam pro modo Epiſtolæ, quæ non nimis enucleata exiſtimabo. Sit igitur

gitur vox lætis in rebus exponendis ipſa quoque quodammodo hilaris, plena, explicata, & ſuaviter fluens: in contentionibus audax, elata, & nervis omnibus intenta: atrox in ira, aſpera, denſa, & reſpirationibus crebra: paullo in invidia creanda lentior & ſubobſcura: in blandiendo, fatendo, ſatisfaciendo, rogando lenis & ſubmiſſa: in ſuadendo, monendo, pollicitando, conſolando gravis: in metu & verecundia contracta: in miſeratione ægre faucibus exiens, flexa, reducta, impedita: in aggreſſionibus fuſa, ſecura, incitata: in expoſitione teres, quaſique media inter gravem ſonum & acutum; ad ſummam, attollatur concitatis affectionibus, compoſitiſque deſcendat; & pro rerum natura, loci, temporis, & perſonarum, elata modo ſit, modo demiſſa. Nolim tamen religioſe nimium omnes animi motus imitemur. Nam & exultare clamoſe, & muliebres lamentationes edere hiſtrionum more, oratoriam dedecet gravitatem. Illud vero tibi certum decretumque ſit, ut initio magnæ Orationis voce utaris demiſſiore; ne cum paullatim creſcere debeat pro ipſa contentionis natura, ſupra vires augeatur, & quod conſequitur, in aſperum quemdam ſonum degeneret, gallorum clamori perſimilem. Præterquamquod modeſta illa vocis tenuitas, qua dicere incipimus, idonea eſt ad ſignificandum timorem, quem debet Orator reverentia quadam concionis initio profiteri; modo ne quid ſit ex abrupto alicui exprobrandum, quale illud Ciceronis in Catilinam: *Quouſque tandem*, &c. Eſſet enim præter artis leges, præterque rationem, tale quippiam timide proferre. Univerſe

ſe cavendum, ne tuſſi nimiaque excreatione, quem Græci πτυελισμὸν vocant, intercidatur oratio; ne ſpiritus per nares emittatur; ne vox ſubſultet inæqualibus ſpatiis, quaſique claudicet; ne rudis ſit, dura, pinguis, ruſticana: ſed quam maxime fieri poteſt, clare, ſuaviter & urbane flectatur, ſonumque efficiat ſine moleſtia æquabilem. Si vis autem pronunciationem & geſtum ipſum egregie moderari, oportet paratus accedas; remque totam, de qua dicis, firmiſſime teneas. Nam ſi quid ex tempore, vel animo non ſatis firmo aggredieris publice ad dicendum, ita eris totus memoriæ diffidentia metuque occupatus, ita in qualibet periodo proferenda ſimul de futura ſollicitus eris, nihil ut de actione poſſis cogitare. Sed hactenus de *Pronunciatione*: venio nunc ad partem alteram, quæ *Geſtu* continetur.

Geſtus nomine totius corporis habitum, figuram, motumque intelligo: cujus ea ſumma lex eſt, ut vel ex hoc ipſo rerum dicendarum ſpecies aliqua ſtatim offeratur. Veſtium & capillorum primum habenda ratio: illudque maxime curandum, ne nimia negligentia a civili cultu abhorrere videamur, concionemque contemnere; neve cura putidiuſcula in mollitiei ſuſpicionem incidamus. Coma veſtibuſque decore compoſitis, de fronte, oculis, manibus, pedibuſque cogitare debes. Recta enim horum membrorum conformatio & motus dicentem mirifice adjuvat; magiſque capit auditores, quam ipſa propemodum oratio. Frons itaque celſa & explicata lætitiæ index eſt, demiſſa obſequii vel doloris, caperata indignationis, dura contumaciæ, averſa deſpectus & irri-

Cc ſio-

ſionis. Celſam porro cum dico, nolim putes Palæmonas mihi probari. Nam ita attollere frontem, ut in tergum inclinetur, numquam decet; quemadmodum nec ita demittere, ut ſinum prope tangat: illud impudentis hominis eſt ac ſuperbi, hoc timidi & vecordis. Oculi, ex quibus maxime dicentis animus ejuſque affectiones eminent, in ſublime elati arrogantem hominem atque imperioſum oſtendunt, demiſſi humilem & orantem, averſi negantem ac deſpicientem: nictando malitiam ſignificant, lacrymando dolorem, connivendo ſimulationem: clauſis optime deſcribes cogitabundos, valde apertis attentos, incenſis minitantes: nihil denique in oratione tam varium eſt, quod vario oculorum motu Orator conſequi non poſſit, unde qui audiunt, maxime pendent; dicendaque intelligunt, antequam dicantur.

Manus, quibus ſecundum linguam nihil eſt vocalius, tantam vim addunt actioni, ut ſine earum adjumento plane frigeat. Siniſtra non bene ſola geſtum agit, ſed inſervire dexteræ debet. Sive tamen ſola, ſive alteri accommodata moveatur, intra humeros ſemper eſt continenda. Quod ſi Oratori averſanti aliquid neceſſe ſit manus ambas in lævam partem valde propellere, tum vero humerus ipſe & caput illuc protendatur. Dexteræ motus a ſiniſtra parte incipiat, & ſecutus verborum ſenſum deſinat loco ſuo. In ea componenda multum operæ collocavit Quinctilianus; & ſuperſtitioſe adeo digitis ſingulis leges impoſuit, ut neque in ſcena hoc tempore tantam diligentiam requiramus. Minus ſane peccat, qui intra familiaris ſermonis uſum manus continet,

quam

quam qui nimia quadam geſticulatione digitis micat, & ad verba ſingula motum aliquem accommodat. Modus ubique ſervandus; & pro rei propoſitæ ratione videndum, quid deceat. Quædam enim ſunt, quæ multiplicem geſtum celeremque poſtulant, quædam tardum, quædam etiam nullum. Præſertim vero initio dicendi ab omni geſtu abſtinere oportet; ita tamen ut ad ſecundam periodum manus paullatim excitentur; quarum deinde motus incaleſcente oratione percrebreſcet. In rebus magnis & lætis manus extendi ſolent, in parvis & triſtibus contrahi: lentiores promittunt, citatæ hortantur & urgent: dextera ſublata jurantem linguam recte comitatur; itemque robur & potentiam ſignificat; ori admota ſilentium indicat, porrecta fœdus & fidem, protenſa extra humerum odium & averſationem. Manus utraque pectori adpoſita precantis eſt, & miſerias ſuas profitentis, contracta avari, explicata largi & gratulabundi. Digitorum commiſſio anxios ac dolentes oſtendit, brachiorum complicatio pigros ac deſides, jactatio immodica iratos & furentes. Hæc ſingula advertere ſiquis poteſt, & in dicendo præſtare, ex arte faciet: verum cum ardet oratio, dicentem rapit, nec eum patitur ex præceptis conſilium capere.

Pedes quoque ſuas partes habent, ſed poſtremas. Ac primum quidem curet Orator, ne pedes quaſi varicando diſtorqueat; neve præter modum ſupplodat. Deinde oportet ejus excurſiones per ſuggeſtum eſſe quam moderatiſſimas, ſaltationes vero omnino nullas. Qua in re cum Q. Haterius (ut refert Seneca in Controverſiis) frequentiſſi-

 me

me ardore dicendi peccaret, monitorem a tergo habere ſolebat, qui ſe tactu veſtis, ubi opus eſſet, ad moderationem revocaret. Qui ſedens ex ſcripto recitat, paucioribus indiget: illud tamen monendus videtur, ne crus cruri fœdum in modum imponat. Quod quidem multis etiam ex concione dictum volumus, qui in hanc ſe otioſæ pecudis figuram componere ſolent.

Atque hæc de *Geſtu* ſatis tibi fore putamus. Quamquam neque ex his, neque ex aliis, quæ de *Pronunciatione* dedimus, fructum aliquem capies, niſi uſus accedat & exercitatio. Dicendo homines apti fiunt ad dicendum, agendo ad agendum. Deſere aliquando umbram iſtam: in ſole & pulvere non modo nobis, ſed ipſe tibi magis placebis. Vale.

EPISTOLA III.

De voce Mehercule.

VIx conjicere divinando poſſum, cur ad me per hoſce dies Latinas litteras dederis. Nihil minus Venetis Bacchanalibus convenit, quam quod vetuſtos libros & lucernam olet. Tametſi lingua ipſa, qua ſcribis, operoſa eſt; epiſtola non eſt operoſa: quod pro noſtra familiaritate monere volui, ne cui præterea Latine ſcribas, niſi cum paullo magis animo vacabis, & attentius ſcribere poteris. Quod quæris de particula *Mehercule*, utrum adhiberi poſſit a Latino homine, qui de Herculis geſtis fabulam ſcribat; incidit in vete-

rem

rem Angeli Decembrii querelam ad Amphitruonis Plautini actum 1. ſc. 1. & actum 3. ſc. 4. ubi juratur per Herculem, quo tempore Hercules nec Deus erat, nec omnino erat, ſed illa ipſa nocte Jovis opera gignebatur. Ac Decembrius quidem, Poetam defeciſſe putat, temporis ſui conſuetudine abreptum. Sunt qui juramentum hoc ad Herculem Ægyptium referant, Græco Alcumenæ filio antiquiorem. Taubmannus cenſet, Plautum more ſuo riſum captare: ſiquidem tota fabula compoſita videtur ad illius poeticæ Theogoniæ nugas irridendas. Sed quid opus eſt in re tam plana commentationibus & conjecturis? Quo tempore hæc acta finguntur, ne lingua quidem Latina erat; attamen tota fabula Latine ſcripta eſt. Quid igitur mirum, ſi Latinæ jurandi formulæ adhibentur, qualecumque tandem formulis iſtis numen ſignificetur? Ita nos Chriſtiani, qui Deum unum colimus, multiplicemque illam deorum Latinorum turbam irridemus, attamen cum Latine loquimur, *per deos* jurare ſolemus. Huic ſimile eſt illud Terentii in Eunucho act. 2. ſc. 2. *Concurrunt læti mi obviam cupedinarii omnes*. Cum enim fabula palliata ſit, & tamquam in Urbe Attica agatur, non erat facienda mentio *cupedinariorum*, qui ita dicti ſunt a Romano foro Cupedinis, ubi eſculenta vendebant. Scilicet cum actores Latine loquantur, formulis utuntur linguæ ſuæ, quamvis Græcam fabulam recitent. Quid illud in Adelphis, quæ Comœdia itidem palliata eſt, act. 3. ſc. 4. ubi Pamphila opem ſibi & auxilium ab *Junone Lucina* poſcit? Quomodo Græcæ huic fœminæ *Lucina* in mentem venit?

 Cur

Cur non potius *Ilithyiam* vocat, ut in more Græcis erat? Ipſe jam per te vides; ac proinde illud quoque vides, quantum particulæ *mehercule* tribui poſſit. Hæc in prima epiſtolæ tuæ parte. Ne in altera quidem ab Hercule diſcedis: de quo recte omnia; ſed illud fortaſſe non recte, quod cœleſtem ejus patrem *vitio patrem* vocas. Laudo modeſtiam, quod hominum regem atque deorum nolueris appellare adulterum. Sed quid ſignificat *vitio pater?* Illum, inquis, qui filium ſtupro genuit, ut docent Grammatici ex Martiali, & eſt in accuratiſſimo Fabri Theſauro. Ego vero dubito, num locus quem afferunt ex Martiali lib. 12. 53. id efficiat. Ibi Poeta Paterni avaritiam & rapacitatem reprehendit: cum autem Paternus vitii ſui cauſſam in filium conjiceret, ita eum Martialis objurgat,

Sed cauſſa, ut memoras, & ipſe jactas,
Diræ filius eſt rapacitatis.
Ecquid tu fatuos rudeſque quæris,
Illudas quibus, auferaſque mentem?
Huic ſemper vitio pater fuiſti.

Ait igitur, Paternum etiam antequam filium haberet, rapacitati fuiſſe patrem; ideſt ſemper quæſiſſe pecuniam, non filii, ſed avaritiæ cauſſa.

Herculem furentem ſi vis Italis noſtris dare Latina non intelligentibus, nihil moror: ſed illud ferre non poſſum, quod ais ejus fabulæ auctorem, quicumque ſit, *equitare in verbis altis*. Quid hocce monſtri eſt? Sumſiſti, opinor, ab eo qui Pindarum dixit *ἱπποβάμονα ῥήματα ῥέοντα*. At hoc nihil ſignificat aliud, niſi *verba equeſtria fundentem*. Recte enim dicitur *ſermo equeſtris*, ut dixit

Ho-

Horatius in epiſtola ad Piſones v. 95. *ſermonem pedeſtrem*. Siquis tibi Græca illa interpretatus reddidit *equitantem in verbis altis*; vide quid hominis ſit. Ita enim velim tibi perſuadeas, nullum eſſe eruditionis genus, in quo vani homines facilius fallant & fallantur, quam quod Græcis litteris continetur. Mediocria ingenia cum eo pervenerunt, ut Grammaticam teneant, Græca ubique ſine modo crepant, ſeque multitudini jactant. Ex quo fit, ut qui revera ſciunt, levitatem hanc indignati, quod Socrates adverſus Sophiſtas faciebat, ſe ſcire diſſimulent.

De Scardeonio nolim te urgere diutius. Ejus caput devovi, qui libellos meos in poſterum loco movebit. Cum enim ſingulos ſuperioribus diebus luſtraſſem, rationeſque collegiſſem, nonnullos deeſſe comperi, quos inter Stobæum, Paullum Diaconum, & antiquiſſimæ formæ Columellam. Nihil propius eſt factum, quam ut reliquos comburerem: tanta me primum indignatio, deinde tædium, poſtremo velut inſania cepit. Sed vicit demum ratio. Rariores tamquam carcere concluſi, meque ipſe graviſſimo ſacramento obſtrinxi, ne ullum exire patiar conditione quavis. Si me amas, ut profecto debes, accipe excuſationem: quod tum denique te feciſſe putabo, ſi mea opera aliis in rebus uteris. Vale.

EPISTOLA IV.

De Petro Bembo.

OMnem lapidem movi, ut proverbio dicitur: neque tamen lapidem illum tuum reperire potui. In æde D. Bartholomæi nihil eſt hujuſmodi, neque extra ipſam, neque apud ipſam, neque in tota illa vicinia. Æedituos omnes diligenter interrogavi, numquid ſcirent, aut fando audiſſent de *Moroſina Petri Bembi concubina*. Sed heus tu, nimis bonus es. Itane vero tibi perſuades, Patavii ea tempeſtate talibus ſepulcrorum titulis locum fuiſſe? A quo vis poſitum? Certe non ab alio, quam ab inimico, qui vellet criminis memoriam, ut in tali viro non levis, ad poſteros propagare. At id amici, & conſanguinei patiebantur? Quid leges de libellis famoſis? Nullæne erant? Hæc videlicet eorum commenta ſunt, qui vitiis ſuis excuſationes quærunt in antiquis moribus & exemplis. Neque vero fabulæ defuit occaſio. Nam in dextero ædis internæ latere, quod januæ majori proximum eſt, ſub pictis pellibus, quibus parietes omnes ſunt inſtrati, latet epigraphe veteri marmore inſculpta: *Moroſinæ Torquati Bembi matri. Obiit VIII. Idus Auguſt. MDXXXV.* Plura mitte quærere: nam fruſtra quæres.

Ceterum ſummus ille vir Patavino cælo in primis delectabatur, & ad otia litterarum maxime idoneum exiſtimabat: ut vel hac ipſa de cauſſa

nos

nos ejus memoriam colere debeamus. In Latina ejus hiſtoria non video quid requiras, niſi forte firmiorem quandam eloquendi facilitatem. Omnia ſunt Latine ſcripta, non ſuo tamen quæque modo. Scilicet hoc eſt, quod explicari præcepto non poteſt; atque adeo ne intelligi quidem niſi ab iis, qui diuturna legendi ſcribendique exercitatione aures & judicium conformarunt. De ejus epiſtolis recte judicas. Sed nihil dicis, cum *hominem* vocas *emunctæ naris*. Scio equidem eruditis omnibus modum hunc laudandi familiarem eſſe, quod ſibi perſuadeant, Lucilium Poetam ita fuiſſe laudatum ab Horatio lib. 1. Sat. 4. At ego nec Lucilium, nec hominem ullum emunctæ naris eſſe exiſtimo, ſed modo emunctæ, modo emungendæ. Fallacia orta eſt ex diviſione non recte appoſita verbis Horatianis. Ecce tibi locum integrum, ut ego legendum puto:

Hinc omnis pendet Lucilius hoſce ſecutus,
Emunctæ naris durus componere verſus.
Nam fuit hoc vitioſus: in hora ſæpe ducentos,
Ut magnum, verſus dictabat ſtans pede in uno.
Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles.
Garrulus, atque piger ſcribendi ferre laborem;
Scribendi recte: nam ut multum, nil moror.

Igitur Horatius ait, Lucilium durum fuiſſe in componendis verſibus emunctæ naris; quod multos, non bonos ſcriberet, ideoque flueret lutulentus. Eſt enim verſus emunctæ naris, idem atque emuncta nare fuſus, quia, emuncto & purgato capite, animus intenditur, & fit ad intelligendum acrior. Interpretes qui diviſionem adhibent ante vocem *durus*, vix defendere & expli-

care

eare poſſunt, quæ ſequuntur. Si enim Lucilius *durus erat componere verſus*, quomodo ducentos ſundebat hora una? Si homo erat *emunctæ naris*, quomodo fluebat lutulentus? Arceſſamus a capite. Si ais, quæ Bembus ſcripſit, emunctæ naris eſſe, libenter annuo; ſi Bembum ipſum emunctæ naris hominem vocas; ego vero, quid hoc ſit, non intelligo. Maluiſſem tibi blandiri; ſed in rebus hujuſmodi qui blandus eſt, officium deſerit. Vale.

EPISTOLA V.

De voce Ἀντικείμενος.

ACcepi tuas litteras, in quibus nimis tu quidem Græce. Quid enim eſt in oratiuncula illa, quod hominem delectare poſſit tam multis litteris tamque reconditis ornatum? Volumus imponere, non tibi, ſed populo. Utcumque tamen ſe res habet, ἥδιστον ἄκουσμα ἔπαινος. Quod ſcribis, te de hominibus occidendis cogitare, *mi homo, Dj melius duint*. Sed nolo jocari in re tam ſeria. Hinc tibi planiſſima ad opes via, nec tamen ad gloriam intercluſa.

Ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Cardinalis meus propediem in urbe erit, quicum de Libanii editione agam. Sed ægre ſibi perſuadebit, primum volumen prælo committi oportere, antequam alterum in promtu ſit. Schedulam tuam huic epiſtolæ adjiciam, in qua verbis paucis ad quæſtiones ſingulas reſpondere conatus ſum. Illud vero, quod eſt in extremo, de voce ἀν-

ἀντικείμενος, pluribus indiget. Hoc loco idem eſt, atque ἀντίστροφος apud Ariſtotelem initio lib. I. Rhetoric. ubi ait, τὴν ῥητορικὴν εἶναι ἀντίστροφον τῇ διαλεκτικῇ, *Rhetoricam affinem eſſe Dialecticæ* (ut vertit Majoragius) *& quaſi ex altera parte reſpondere*. Suapte natura *contrarium* ſignificat; nec eſt, cur a Lexicis plura petas. Verum ea quoque ἀντίκειν-ται, quæ ſunt relata, ut eſt in Categoriis; hoc eſt quæ ita ſe mutuo reſpiciunt, ut alterum alteri amice reſpondeat. Rem hanc plane intelliges, ſi tibi errorem patefaciam omnium Ariſtotelis Interpretum, quos ego quidem vidi, ad librum ſecundum Rhetor. cap. 23. t. 297. Ἀντίκειται δὲ τῷ ἐλεεῖν μάλιστα μὲν ὃ καλοῦσι νεμεσᾶν. τῷ γὰρ λυπεῖσθαι ἐπὶ ταῖς ἀναξίαις κακοπραγίαις ἀντικείμενόν ἐστι τρόπον τινὰ καὶ ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ἤθους τὸ λυπεῖσθαι ἐπὶ ταῖς ἀναξίαις εὐπραγίαις. Quæ verba ita interpretor: *Reſpondet autem miſericordiæ ea maxime, quam vocant indignationem. Nam dolori qui oritur ex adverſis, quæ accidunt immerenti, reſpondet quodammodo, & eſt ab eadem indole dolor qui oritur ex proſperis, quæ accidunt immerenti*. Alii verbum ἀντίκειται reddunt *opponitur*, ἀντικείμενον *contrarium*. Sed primum quidem verbis pugnant cum Ariſtotele, deinde ſententia. Verbis, inquam: ſiquidem poſt ἀντικείμενον ſtatim ſequitur καὶ ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ἤθους, *ab eadem indole*. Cui incommodo ut conſulant, particulam καὶ interpretantur *quamvis*. Sed aliud eſt καὶ, aliud καίτοι, vel καὶ εἰ. Sententia vero in eo laborat, quia Ariſtoteles id ſibi propoſuit ut oſtendat, indignationem cum miſericordia convenire, quod utraque ſit dolor ex injuſtitia ortus. Nam qui miſeretur, dolet aliquem injuſte miſerum eſſe; qui indignatur,

dolet

dolet aliquem injuſte eſſe felicem. Ambo viri boni ſunt, & officia commutant: proindeque perturbationes iſtæ ſibi ex æquo reſpondent, & quodammodo reciprocantur. Eodem modo uſurpatur ab Ariſtotele verbum ἀντίκειται paullo inferius t. 300. δόξειε δ' ἂν καὶ ὁ φθόνος τῷ ἐλεεῖν τὸν αὐτὸν ἀντικεῖσθαι τρόπον, ὡς συνέγγυς ὂν καὶ ταυτὸν τῷ νεμεσᾶν. Quæ verba ita vertit Majoragius: *Poſſet autem aliquis ſuſpicari, invidiam miſericordiæ eodem modo eſſe contrariam, tamquam vicina ſit, aut eadem quæ nemeſis*. Ita ne vero? Nempe Majoragius non diſcedit a prima τοῦ ἀντικειμένου ſignificatione. Ego ſic interpretari malim: *Videri autem poteſt invidia quoque convenire quodammodo cum miſericordia, tamquam affine aliquid indignationi, ac prorſus idem*. Cum enim dixiſſet Ariſtoteles, indignationem convenire cum miſericordia, nunc quærit, utrum ipſa quoque invidia cum miſericordia conveniat: ſiquidem etiam invidia dolet de alterius bonis tamquam immerito occupatis. Negat: quia miſericordia & indignatio de eo dolent, quod accidit immerenti; invidia de eo, quod accidit æquali. Neque enim invidus laborat, utrum qui felix eſt, merito ſit felix, an immerito: id tantum dolet, eum eſſe felicem: & ſi forte in calamitates decidat, lætatur. Ex quo ſequitur, invidiam eſſe improbi hominis, miſericordiam & indignationem probi. Sed ſit epiſtolæ modus. Tu quoque pone modum aliquem tuæ iſti Græcarum litterularum cupiditati, quæ jam cœpit eſſe nimia; teque Latio redde. Vale.

EPI-

EPISTOLA VI.

De voce Nepos.

BInas a te his quatuor ferventiſſimis diebus accepi litteras, & quidem latinas. Itane igitur neque tibi parcis, neque mihi? Urget te ſcilicet Pædianus iſte cum ſua caterva: monetque in ſingulas horas, ac pæne in judicium rapit, quod eum ***nepotem ex fratre*** dixeris, qui fratris filius dicendus erat. Quamquam ego iſtorum hominum nullam eſſe habendam rationem duco, qui quod pauculas voces, in quibus vulgo peccari ſolet, a Voſſio ſumſerint, ac memoriæ mandaverint, magnos ſe Cicerones putant, cetera indocti: attamen oſtendere conabor, quomodo poſſis cornicum oculos configere. Sed tu vide, quid jubeas; ego enim ſpectabo aliud nihil, niſi ut pareăm. Aio igitur, vocem *Nepos*, quæ natura ſua ad filios filiorum pertinet, ceteroſque ex iis genitos, aliquando etiam ad fratris & ſororis filios, & ab iis natos traduci poſſe, atque adeo debere; ne hunc veluti ſcopulum plus nimio declinantes, ad alium appellamus, qui fœdior ſit ac periculoſior. Ea enim interdum animi ſenſa exprimenda ſunt, quorum ratio non aliter conſtet, quam ſi hoc nomine declarentur. Siquidem vaſta illa verborum circumductio, & ſimilium caſuum continuatio, qua moroſi iſti aureæ latinitatis cuſtodes fraternas cognationes deſcribunt, ſermonem non ſolum enervat, ſed plerumque etiam obſcurat; ut pau-

paucis poſt diebus ne ipſi quidem intelligant, qui ſcripſerunt. Ego itaque non in ſingulis latinæ linguæ particulis, ſed univerſe in toto genere aurum requiro: ac ſæpe quidem animadverti, ex aureis verbis luteam orationem fuiſſe conflatam. Sed nunc tuis iſtis obtrectatoribus, quandoquidem nihil detrimenti latinitas capit, morem geramus: valeat in minima quoque vocula aurum; indulgeamuſque tam ſplendidæ cupiditati; verumtamen ita, ut conveniat inter nos quid ſit aureum. Auguſti obitus, inquiunt, auream clauſit ætatem. Ecce tibi igitur aurum ab Ovidio, qui Cupidinem pro Auguſti felicitate precatur, ex Ponto lib. 3. Eleg. 3. v. 61.

Sic regat imperium, terraſque coerceat omnes
Cæſar, ab Ænea qui tibi fratre nepos.

Vides, ut Poeta elegantiſſimus Auguſtum appellet nepotem Cupidinis, quod genus duceret ab ejus fratre, ideſt ab Ænea Veneris filio? Etiam in epiſtola Didonis Æneas dicitur frater Cupidinis: *Parce, Venus, nurui; durumque amplectere fratrem, Frater Amor*. Quid ſi dicant, inquis, tam alte peti cognationem hanc, ut in nomina minus propria degeneraverit? Id ſi dicant, pulchre eludent, ſeu potius eludere tentabunt: ſed ne nos quidem ex toto gladiaturam ignoramus. Nimirum quo ſtirpes longius procedunt, nepotes quidem minus propinqui ſunt, ſed tamen nepotes: cognatio minuitur, non variatur. Verum agamus cum iis liberaliter. Noſti, opinor, qua ſit Plautus auctoritate, cujus ore Romanas Muſas priſco illo ſæculo locutas ferunt: hic igitur tam locuples auctor in Amphitr. Act. 4. ſc. *Quis tam*

vaſto &c. ſic habet: *ego ille idem ſum Amphitruo, Gorgophones nepos, imperator Thebanorum*. Fuit autem Gorgophone Amphitruonis amita, quia ſoror Alcei ejus patris. Videturne tibi ſatis propinqua cognatio, quæ tueri vocabulorum dignitatem poſſit? Hic tu me etiam rides hominem ſemidoctum, qui carmina ſuppoſita a Plautinis non diſtinguam. Rideas licet, dummodo illud mihi primum concedas, Comœdiæ hujus Suppoſita omnia latini hominis eſſe, & quidem antiqui, ut Grammatici peritiſſimi conſtituunt; deinde moneri te ſinas, hanc, quæ Suppoſitorum ultima ſcena eſt, Plauti germanam judicari cum ab Jano Gulielmio in quæſt. Plaut. c. 7. tum ab aliis Criticis viris, quos refert Frid. Taubmannus in Plauti commentario. Quod ſi quam nos liberales ſumus, tam Pædianus tuus æquus eſſe velit; nec aureis tantum verbis, ſed argenteis quoque, &, quod multos feciſſe video politiſſimos ſcriptores, etiam æneis locum aliquem in Latio concedat; jam ea illi ex omni memoria exempla proponam, quibus fidem negare non poſſit. Quid enim? An illum Quinctiliani auctoritas parum movebit, qui, ſi ætatem quæris, ab ipſo Neronis exitu florere cœpit; ſi doctrinam & eruditionem, viginti annos erudiendæ juventuti impendit, tanta æſtimatione ingenii, ut & ſalarium e fiſco, & ſenatoriam dignitatem, & conſularia ornamenta conſecutus ſit? Hic igitur tantus eloquentiæ magiſter in prœmio, quæ pars Orationis cultum & elegantiam maxime poſtulat; in prœmio, inquam, libri quarti ſuarum Inſtitutionum, multum ſe debere profitetur Domitia-

no

no Imperatori, quod *ſibi ſororis ſuæ nepotum curam delegaverit*. Ad quem locum accipe Turnebi animadverſionem: *Nove dixit ſororis Nepotes pro Nepotes ex ſorore*. Neque enim dubitari debet, quin iſti fuerint Flavii Clementis filii, quos etiam tum parvulos Domitianus ſucceſſores deſtinaverat, ut narrat Suetonius in Domit. cap. 15. Hujus autem Clementis uxorem fuiſſe Domitillam Domitiani ſororem refert Philoſtratus in vita Apollonii Tyan. lib. 8. c. 10. (al. 25.) Ἔτυχε Κλήμεντα ἀπεκτονὼς ἄνδρα ὕπατον, ᾧ τὴν ἀδελφὴν τὴν ἑαυτοῦ ἐδεδώκει. h. e. *Interfecit Clementem virum Conſularem, cui ſororem ſuam collocaverat*. At enim Suetonius in Veſpaſ. c. 3. unam dumtaxat memorat Domitillam Flaviæ filiam, Domitiani ſororem, quæ, vivo adhuc, imo & privato Veſpaſiano patre, diem obiit; cum Domitilla Clementis uxor, in inſulam Pandatariam a Domitiano relegata, illi ſuperſtes fuerit. Eſto, num iccirco neganda Philoſtrato fides, qui proxima ætate vixit, & in ipſa domo Auguſta epiſtolarum magiſter fuit? Fortaſſe alteram hanc Domitillam Veſpaſianus ſuſcepit ex Cænide, quam, mortua Flavia, *pæne juſtæ uxoris loco habuit*; ut eſt in eodem Suetonii loco. Fortaſſe hanc quoque Flavia genuit, ſed ex Statilio Capella, quo tempore in ejus contubernio erat: quod in cauſſa eſſe poteſt, ut a Dione, ſeu potius Xiphilino, non ἀδελφὴ, ſed συγγενὴ, ideſt cognata Domitiani dicatur. Nonnulli Philoſtrati auctoritatem ſubruere conati ſunt, ſed adhuc inani conatu; ac ne timorem quidem ullum tibi injicere debent, niſi ſiquando ipſius verba ſollicitare incipient, ut ἀδελ-

φὴν

φιδῆν vertant in ἀδελφιδῆν, hoc eſt *ſororem* in *ſororis filiam*: nam fuit altera Domitilla Domitillæ filia, de qua inſcriptio apud Gruter. p. 245. n. 5. FLAVIA DOMITILLA FILIA FLAVIÆ DOMITILLÆ IMP. CÆSARIS VeſpaſiANI NEPTIS. Majus illi negotium exhibent, qui nos ad Grammaticorum ſubſellia vocant; juſtoque ſacramento contendunt, genus hoc conſtructionis aut aliud ſignificare, ac nos exiſtimamus, aut, quod Turnebus animadvertit, ab uſitata latini ſermonis conſuetudine abeſſe. Ergo ſi Quinctilianus *nepotes ex ſorore* dixiſſet, manus darent. At mihi diligenter perquirenti idiotiſmus hic toties occurrit, ut fidentiſſime ſtatuam ſororis meæ filium a Latinis ſcriptoribus tam recte dici *ſororis nepotem*, quam *nepotem ex ſorore*, aut *nepotem per ſororem*; omnino ut vernaculo ſermone dicimus vel *mio nipote di ſorella*, vel *nipote per via di ſorella*. Quod ita oſtendam, ut non ſolum Turnebo ſatisfiat, ſed illis quoque, qui vocem *Nepos* omnibus prorſus ex fratre ac ſorore genitis denegant; ſive ſola ſit, ſive adjunctis *ex fratre*, aut *per fratrem*, *ex ſorore*, aut *per ſororem* applicata. Svetonius in Cæſ. c. 83. *Tres*, inquit, *conſtituit hæredes, ſororum nepotes, C. Octavium, Q. Pedium, L. Pinarium*. En tibi, Turnebe, *nepos ſororis* pro *nepos ex ſorore*: nam Pedius & Pinarius ex Julia majore geniti erant, Cæſaris ſorore; Octavius autem, natus ex Atia Juliæ minoris filia, ſimpliciter ac ſine ulla adjectione *Cæſaris nepos* dicitur ab Eutropio in Breviar. l. 7. c. 1. Jam vero Tacitus prodeat, dignus etiam fortaſſe, qui Suetonio præiret. *Criſpum* (inquit an-

Procul dubio legendum ἀδελφιδῆν, atque ita ſolvitur nodus.

nal. l. 3. c. 30.) *equeſtri ortum loco C. Salluſtius rerum Romanarum florentiſſimus auctor ſororis nepotem in nomen adſcivit* . Fuit autem Criſpi mater Salluſtia C. Salluſtii Hiſtorici ſoror , ut videre potes in Glandorpii Onomaſtico . Prodeat Spartianus, qui ſic habet in Hadriano , c. 2. *Nepte per ſororem Trajani uxore accepta*. h. e. Sabina nepte Trajani per ſororem ejus Marcianam . Prodeat denique cetera turba, ſed non ſine nomine. Oroſius l. 7. c. 28. *Licinius adoleſcens*, *Licinii Auguſti filius*, *Conſtantini autem ex ſorore nepos*. Vetus monumentum , Gallieno imperante poſitum, apud Reineſ. Claſſ. 8. num. 37. AVVNCVLVS NEPOTI B. ME. Ambroſius l. 6. epiſt. ad Pater. num. 48. *Avunculus iſte illius*, *iſta hujus neptis vocatur*. Venant. Fortunatus l. 6. carm. 4. v. 16. *Non cecidit patruus*, *dum ſtat in Urbe nepos*. Sed jam ad ea tempora pervenimus, quibus ferme nemo latine ſcripſit, quin promiſcue nepotem dixerit cum filii , tum fratris filium : quod ita notum eſt omnibus , ut ſupervacuum ſit auctoritates congerere. Illud cave, ne tibi perſuadeant , Latinam linguam exinde interiiſſe , quæ quamvis in communi loquendi conſuetudine eſſe deſierit , attamen in ſcholis , in Academiis , in publicis monumentis, & univerſe in optimo quoque ſcriptionis genere, quæ ſingula populari locutioni infinito intervallo præſtant , ſemper viguit ac dominata eſt: qua de re multa jamdiu animo volvo, ſed ea non capit epiſtola . Etiamne igitur quis dubitabit de hujus vocabuli poteſtate ; ſeque miris modis contorquebit , quoties fratris, aut ſororis filium unica voce notare voluerit, aut

etiam

etiam pluribus, ſed quæ tamen cognationem hanc ſine magno verborum circuitu, ac ſine ambiguitate ſignificent? Muretus, ſui ſæculi Tullius, ex Apulejo quoque, ac Sidonio quædam eſſe petenda ſcribit lib. 1. Epiſt. 36. nos vero ne ab Ovidio quidem audebimus? Hinc videlicet noſtræ illæ macræ atque jejunæ ſcriptiones, in quibus nihil magis apparet atque extat, quam metus & ſollicitudo. Qui quidem morbus vetuſtiſſimus eſt, & ab ipſo Quinctiliano exploratus. *Iniqui judices* (inquit lib. 8. cap. 3.) *erga nos ſumus, ideoque paupertate ſermonis laboramus*. Mone igitur monitorem tuum, ne ſibi, ac tibi ſine cauſſa crucem figat. Hactenus juſſu tuo: nunc aliqua etiam ſponte mea; ne, ut ſoles, de litterarum brevitate queri poſſis. Atque ego quidem non valde miror, nomen *Nepos* fratris filiis poſteriſque eorum fuiſſe tributum, quia cum proprio cognatio iſta careret nomine, ex proximo arceſſere debuit: quod in aliis quoque linguis ex Latina propagatis poſtea factum eſt, *exemplo monſtrante viam*. Illud mihi potius mirum videtur, cur etiam ad prodigos appellationem hanc pertinere Latini voluerint: cum enim multæ rationes afferri ſoleant, nullam tamen adhuc video, quæ homini veritatis ſtudioſo poſſit eſſe ſatis. Accipe, quid ego de re hac, homo, ut ſcis, non valde acutus, nudius tertius excogitaverim. Cum Romani inter antiquas virtutes frugalitatem in primis numerarent, inter ſæculi vitia maxime prodigentiam, hinc factum eſſe crediderim, ut profuſum hominem & æquo largiorem nepotem dicerent. Quid palles, quid ad extrema oculos ab-

 jicis?

jicis? Nempe times, ne multa de veterum Romanorum frugalitate exempla, hiſtorias, verſiculos, quandoquidem ita uſuvenit, ad eruditionis ſpeciem & pompam tibi obtrudam. Non ita ſum laudis cupidus, aut certe non laudis hujus. Sed fac me unum aliquem eruditum ex *Theatro vitæ humanæ*: ego ne tibi tam vulgares eruditiones? Scio cui ſcribam. Id modo dico, Romanos ſcriptores nihil frequentius memorare, quam nepotum luxuriam ab avita parſimonia degenerantium; quod apud illos adeo increbuit, ut ne nominis quidem inter nepotem, & prodigum voluerint eſſe diſcrimen. Hic tu mihi Calepini lexicon objicis tres ante annos mea opera editum. Vide, numquid gravius. Sed primum de toto illo volumine ita velim judices, ut eſt in epiſtola ad Lectorem, nec plus a me poſcas, quam promiſerim; deinde ad hoc ipſum quod attinet, ſic tibi perſuadeas, nihil prorſus certi atque explorati conſtitui poſſe; ex quo factum eſt, ut non ſolum alii alia, ſed ego ipſe alias aliter ſcripſerim. Erit fortaſſe, cui priora illa magis arrideant, erit qui neutra probet: ſed quod in re hac facillimum eſt, multi reprehendent: quod unum in rebus omnibus eſt difficile, nemo optima reponet. Habes jam quo ſtudio ea curem, quæ te velle, quæque ad tuam laudem pertinere intelligo; neque vereor, ne te non expleverim: quod utinam tu quoque noſtrum deſiderium expleas videndi tui, iſtiſque ſilvis aliquando relictis, in ſole rurſus vivere incipias. Vale.

EPI-

EPISTOLA VII.

De vocibus Artopta, Locare, *&* Nota.

QUod Pædiano iſti tuo Juvenalis & Perſii Satyræ tantum placeant, quantum ſcribis, haud equidem miror: placent enim magnopere etiam nobis, quamvis non audeamus Horatianis opponere. Illud vero per mihi mirum videtur, qui fiat, ut ſibi perſuaſerit, nullum eſſe horum Poetarum verſiculum, quem ipſe non probe intelligat. Ut ut eſt, ego tibi auctor ſum, ut litibus abſtineas. Quod tamen conſilium ne videar dediſſe fugiendi laboris gratia, duo loca adſcribam, alterum Juvenalis, Perſii alterum, quibus tentare hominis ingenium poſſis, & belle, niſi fallor, includere. Debes igitur te in laudantis ſpeciem totum conformare; os ejus atque oculos ingenii indices admirari; interrogare, quam pridem ſe dederit his auctoribus; quidquid reſponderit, magna accipere admiratione. Cum maxime intumuerit, tum veluti diſcipulus aliquis in Pythagoræ ludo poſt ſilentium quinquennale, callide arguteque urge, nec quidquam abire patiaris. Eſt, inquies, in quinta Juvenalis Satyra vox *Artopta* (v. 71. *ſalva ſit artoptæ reverentia*) cujus, quæſo, vim ac ſignificationem pro tua iſta intelligentia mihi expedi. Si imparatum invenies, ut fere ſolent eſſe glorioſi homines, mitte ad Interpretes, unde verboſior redibit, ſed paullo doctior. Cum enim omnes excuſſerit poſtrema editione ab Henninio

collectos ; id, ſi recte conjicio, pronunciabit, quod Henninio ipſi probatur, *artoptam panem eſſe nonnihil aſſatum*. Hæc ſcilicet opinio fuit Octavii Ferrarii Elect. l. 2. c. 10. qui tamen ſi animadvertiſſet Plauti verba in Aulular. a. 2. ſc. 9. *Ego hinc artoptam ex proximo utendam peto*, facile ſibi perſuaſiſſet, *artoptam* vas eſſe, in quo panis aſſatur, non panem ipſum. Vides enim, opinor, vas utendum a ſene Plautino peti potuiſſe, panem utendum non item. Jam vero cum *artopta* vox Græca ſit ab ἀρτόπτη, quam deſcribit Pollux lib. 10. c. 25. τὸ σκεῦος, ἐν ᾧ τὰς ἄρτους ἐνοπτῶσι, *vas in quo panes coquunt*, quære a Pædiano tuo, cur putet a propria certaque ſignificatione abeundum. An non ſenſus & urbanitas conſtat, cum jubetur Paraſitus abſtinere pane, qui in *artopta* coctus eſt ; atque ita vereri vas in domini delicias, velut ad ſacra, comparatum? In quo quidem non tam uſum ipſum rei, quam Græcam appellationem irridet more ſuo. Quod ſi malit Lubini interpretationem tibi obtrudere, qui *artoptam* panis diſpenſatorem & cuſtodem eſſe putat, ab ἄρτος *panis*, & ὄπτομαι *video*, fac primum oſtendat, ubi novam hanc vocem, & quidem maſculini generis, ſive apud Græcos ſive apud Latinos invenerit ; deinde quomodo cohærere exiſtimet conſequentis carminis verba, *ſupereſt illic*, *qui ponere cogat*, nam ſi *artopta* cuſtos eſt, ipſe quidem *ponere coget*, non alius ſervus. Sudabit, mihi crede, atque algebit ; ſed explicare ſe ex ambagibus non poterit. Fortaſſe ad illos accedet, qui *artoptam* piſtorem dixerunt, tamquam ab ἀρτόπτης. Eſto, amplificemus Latinam linguam, ſiquidem vox ἀρτόπτης apud ul-
lum

lum Græcum ſcriptorem reperitur. Quid ſi dicat, mulierem panificam ſignificari, teſtemque appellet Plinium? Nihil novi dixerit, ſed nihil item veri. Ecce tibi Plinii verba lib. 18. c. 11. *Piſtores Romæ non fuere ad Perſicum uſque bellum* &c. *Ipſi panem faciebant Quirites, mulierumque id opus erat, ſicut etiam nunc in plurimis gentium. Artoptam Plautus appellat in fabula, quam Aulularium ſcripſit; magna ob id concertatione eruditorum, an is verſus Poetæ ſit illius; certumque ſit A. Atteii Capitonis ſententia, coquos tum panem lautioribus coquere ſolitos*. Primum igitur narrat Hiſtoricus, piſtores ad Perſicum uſque bellum Romæ non fuiſſe; deinde ipſe ſibi hac ſuper re difficultatem movet, quod in Plauti fabula mentio fiat *artoptæ*, hoc eſt piſtorii vaſis, & quidem ex Græcia allati, ut ex ipſo nomine patet; denique difficultatem tollit, tum quia non ſatis conſtat, an is verſus Plauti ſit, tum vero maxime quod *artopta* coqui uterentur, non piſtores. Hinc *artopticii panis* eodem capite meminit, qui ab *artopta* dicitur, ſicut a *furno furnaceus*. Videſne, quam nihil afferant probabile, qui *artoptam* apud Plinium mulierem putant? Igitur pro certo habeas, *artoptam* vas eſſe ad panem delicatiorem coquendum; neque ſinas, te per vanas commentationes induci. Vide porro, ne Pædianus ad incitas redactus, veterem Juvenalis editionem in medium afferat anni 1473. quæ non *artoptæ* habet, ſed *artocopi*. Vox *artocopus*, qualiſcumque eſt, etiam Britannico placuit: ſed tu illi & invidiam novitatis oppone, & optimorum codicum fidem, & eruditorum conſenſum pro *artopta*. Antequam manum de tabu-

la, illud quoque te monitum volo, unum ex omnibus veterem Scholiaſtem ſubdubitaſſe, utrum *artopta* piſtor eſſet, an vas: qui hunc conſecuti ſunt Juvenalis enarratores, pro piſtore nonnulli ſteterunt, vas omnes omnino rejecerunt.

Jam ad Perſium veniamus. Sed victus atque afflictus Pædianus ſuis ſe caſtris tenebit. Si tamen provocando rurſus educere in aciem potes, quære ab illo, quid putet per vocem *Rhenos* ſignificari in Satyra Perſii VI. v. 47. *ingenteſque locat Cæſonia Rhenos*. Si accipis, inquiet ſuo periculo cautus, quod ſcribunt Interpretes, *Rhenos* poſuit pro Rheni incolis. Tum tu: Principio quidem perinde loquebaris, ac ſi Juvenalis, & Perſii anima in te migraſſet; ſed ut nunc eſt, de tuo vivis. Itane vero nihil niſi ab Interpretibus? Recita, o bone, quinque ipſos Perſii verſus, quibus tota clauditur ſententia.

------------ Miſſa eſt a Cæſare laurus
Inſignem ob cladem Germanæ pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis: ac jam poſtibus arma,
Jam chlamydes regum, jam lutea gauſapa captis,
Eſſedaque, ingenteſque locat Cæſonia Rhenos.

Deſcribit igitur apparatum triumphalem C. Caligulæ, qui victoriam de Germanis relatam jactabat, laureatis litteris ad Senatum miſſis: qua de re legendus Suetonius in ejus Vita, cap. 45. & ſeq. Itaque Cæſonia ejus uxor parabat aras ad ſacrificia, & inter ceteras triumphi pompas Belgica vehicula, & Rheni imagines fieri curabat. Noſti oppidorum ac fluminum iconas, imo rerum & locorum omnium, quæ ullo modo ad victoriam pertinerent, in triumphum ferri conſueviſſe.

ſe. Tacitus Annal. 2. c. 41. *Vecta ſpolia* (in triumpho Germanici) *ſimulacra montium, fluminum, præliorum*. Ovidius de triumpho Druſi l. 4. Triſt. Eleg. 2. v. 37.

Hic lacus, hi montes, hæc tot caſtella, tot amnes,
Plena feræ cædis, plena cruoris erant.

Imo ipſum Rheni ſimulacrum ejus pompæ pars fuit v. 41.

Cornibus hic fractis viridi male tectus ab ulva,
Decolor ipſe ſuo ſanguine Rhenus erat.

Quare Cæſonia *ingentes Rhenos*, hoc eſt ingentes Rheni imagines fieri volebat, quoniam ad Rhenum ridiculam illam victoriam maritus retuliſſe dicebatur. Rheni porro incolas, qui tamquam captivi ante currum ducerentur, non Cæſonia, quæ in Urbe erat, ſed Caligula comparare debebat; & revera comparavit, & ad pompam ſepoſuit, ut narrat Suetonius cap. 47. Equidem non video, quid opus ſit in tanta ſententiæ perſpicuitate ad hanc μετωνυμίαν confugere præſertim tam duram, ut aliquos coegerit de codicum fide male ſuſpicari, vocemque *Rhenos* in *Rhedas* convertere. Et vero ſi *Rhenus* pro Rheni incola dici poteſt, jam reliquum eſt, ut & Patavium pro homine Patavino, & Adria pro piſce Adriatico, & alia hujuſmodi nimis ridicula dicantur.

Si vis autem illum uno telo prorſus conficere, hic veluti duplicato ictu, ad explicationem compelle verbi *Locat*. Quid tibi ab illo expectes, niſi quod interpretes omnes docti indoctique habent, videlicet idem valere atque accommodat, collocat, diſponit? Id cum dixerit, impune ridebis.

bis. Quid enim minus ad rem? quaſi vero Cæſonia tanto ante triumphi diem, qui dies ne advenit quidem umquam, arma in templorum poſtibus collocaret, captivos veſtiret, eſſeda & imagines in pompa diſponeret. Tu, ſi paullo reputabis attentius, ſtatim intelliges, *locare* nihil eſſe aliud, quam opus faciundum redemptoribus tradere. nam cum Caligula *procuratoribus ſcripſiſſet* (Sueton. c. 47.) *triumphum appararent*, *quantus numquam alius fuiſſet*, inveniendi erant artifices, quibus & arma poſtibus figenda, & veſtes ad captivos ornandos, & eſſeda, & imagines, & apparatus denique totus locaretur. Id vero uſuveniebat etiam in veris ac legitimis triumphis, ut vel tota, vel maxima pompæ pars, quamvis in ſpeciem advecta longius, in Urbe tamen conderetur; ideoque deeſſe non poterant id genus redemtores. Non aliter, credo, quinque Julii Cæſaris triumphi, quorum quatuor eodem menſe acti, parari tanta celeritate & varietate potuerunt. De his Vell. Paterculus l. 2. c. 56. *Quinque egit triumphos: Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini teſtudine, Africi ebore, Hiſpanienſis argento raſili conſtitit*. Hæc ſi tu magna aſſeveratione & confidentia dices, non ſolum tamquam vera, ſed etiam tamquam tua, excuties vano iſti Grammatico jactationem; nec amplius audebit mirificum ſe tibi Juvenalis, aut Perſii interpretem venditare. Quod reliquum eſt, noli de patria queri: ſunt & nobis Pædiani noſtri; verumtamen non audent cuilibet imponere.

Jam flagitat tabellarius; nec tamen ſcribendi finem facere poſſum, antequam te moneam, ne,

quod

quod in tuis litteris ſemel atque iterum animadverti, vocem *Nota* pro adnotatione ſeu explicatione temere uſurpes. Quid ſtupes? Latina non eſt. Nihil te pulcherrimorum librorum tituli moveant, in quibus *Notæ variorum*, *Notæ Criticæ*, *Notæ Selectæ*, & ſimilia; nihil quotidianus eruditorum hominum uſus, nihil ne noſtræ quidem ſcriptiunculæ olim emiſſæ, cum magnis nominibus crederemus. *Nota* ſignum eſt: *notaſque apponere*, quod habet Cicero in Piſon. c. 30. eſt ſigna quædam appingere ad ea probanda, vel improbanda, quibus appingimus; non explicare, ut vulgo increbuit. Multa generis ejuſdem in Latinis ſcholis & Academiis quotidie reſonant; at ego nolo movere Camarinam, quam olim cum tentaſſem, vix *me ſervavit Apollo*. Ea cum tibi excident ad nos ſcribenti, niſi ægre feres, ſignificabo. Pauci mihi crede, Latine ſciunt: neque ego mihi tantam hanc laudem aſſumo; ſed tamen quid ea ſit, & quibus deſit, intelligere mihi videor. Vale.

EPISTOLA VIII.

De Latinis tranſitionum formulis.

ORatiuncula me tua mirifice delectavit; eamque non ſolum, ut aliquid calumniarer, quod te velle ſignificaſti, ſemel atque iterum legi, ſed etiam multo magis, quod nullus eſſet calumniæ locus. Totus es a Cicerone: niſi quod apparet alicubi nimia quædam connectendi cura.

Natu-

Naturam ſequaris oportet, quæ multa diſtraxit. Neque enim in hoc Orationis virtus eſt, ut omnia ſint unum, ſed ut ad unum omnia referantur. Eſt ubi ipſa quoque negligentia tamquam ſimpliciter numerantis ad artem pertineat. Tu vero etiam a me petis Latinas tranſitionum formulas, quaſi in hoc augere maxime diligentiam velis. Equidem non puto, velle te ſuperare Ciceronem tuum. Atque ille quidem adeo nihil ſollicitus de tranſitionum varietate eſt, ut in duabus pagellis orationis pro Cœlio ſine controverſia elegantiſſimæ quinquies eamdem formulam uſurpaverit. Etenim ſic habet cap. 2. *Nam quod de pietate dixiſtis* &c. Tum ibid. *Nam quod eſt objectum municipibus* &c. Deinde cap. 3. *Nam quod objectum eſt de pudicitia* &c. Deinde c. 4. *Nam quod Catilinæ familiaritas objecta Cælio eſt* &c. Deinde cap. 7. *Nam quod æs alienum objectum eſt* &c. Miraris, ſtupes, ac pœne ſtomacharis tantam in Cicerone jejunitatem. Lege, ſi vacat, epiſtolam ſecundam lib. V. ad Familiar. quam licet accuratiſſime ſcripſerit pro rei gravitate, attamen in variandis tranſitionibus nullam curam ſuſcepit. *Quod ſcribis*, inquit, *pro mutuo inter nos animo* &c. *Quod ſcribis de reconciliata noſtra gratia* &c. *Quod ſcribis non oportuiſſe Metellum* &c. Neque tamen nimis eſt longa. Sed tu videlicet nimis in tenui laboras. Ut ut eſt, obſequar deſiderio tuo; ne me, ut ſoles, valde acutum in labore declinando judices. Sed, mihi crede, copulandi modus res ipſas ſequitur, & ſub ſtilum ſcribentis ſubit non quæſitus. Exercitatione conſequeris, ut frigida hæc adjumenta contemnas. Nunc ea po-

teris

teris adhibere, non ſolum tamquam vincula, quibus quæ inveneris, apte componas; ſed multo magis tamquam ſigna, quibus admonitus invenias.

1. Satis multa verba feciſſe videor de honeſtate: reſtat, ut de utilitate dicam. 2. Satis eſt argumenti, me nihil tibi debere; quid ſi oſtendo, debere te mihi? 3. Satis, opinor, intelligitis, quid ego illi: videte nunc, quid ille mihi debeat. 4. Sed hæc fortaſſe ferenda: illud vero quis ferat? 5. Sed illud minime tacendum eſt. 6. Sed operæ pretium eſt illa percurrere. 7. Sed his non deerit locus: interim quod initio propoſui, perſequamur. 8. Sed nimis multa de nugis; ad ſeria veniamus. 9. Sed hæc vulgaria: illud maximum eſt. 10. Sed conſtantiam hominis videte, Auditores. 11. Sed jam aliquando pedem conferamus. 12. Sed id alias, nunc quod inſtat. 13. Sed adhibeat oratio modum, & redeat illuc, unde deflexit. 14. Longum eſt perſequi ſingula: manebo, ut inſtitui, in genere univerſo. 15. Jam ad reliqua properabimus, ſi prius illud unum adjecerimus. 16. Jam vero ad id, quod eſt hujus cauſſæ caput, accedamus. 17. Jam quantum illud eſt, quod in tantis familiæ negotiis numquam intermiſit litterarum ſtudia? 18. Atque, ut facilius omnia intelligatis, ab initio rem totam vobis exponam. 19. Atque hæc ad utilitatem referebat, illa ad jucunditatem. 20. Atque ego de re ipſa poſtea diſſeram: nunc de conſilio dicere libet. 21. Ac de me ſatis: ſequitur, ut de te dicam. 22. At dices, me multis largitum. Nempe de meo; quid enim? 23. At enim hæc ſunt communia multis. Eſto: quid illud? Nonne

pro-

proprium Verris, & ſingulare? 24. At enim ſolum id eſt, ut me Siculi velint: alterum illud, credo, obſcurum eſt, quem Verres nolit. 25. Sunt hæc maxima: neque vero minora ſunt illa. 26. Hæc privatim: nunc quæ publice. 27. Hactenus, quæ domi geſſit: deinceps quæ foris. 28. Habetis de ſimplicibus verbis: accipite jam de compoſitis. 29. De moribus ſatis: nunc de doctrina reliquum eſt ut dicamus. 30. De his plus ſatis: nam quæ reſtant, ſunt multo graviora. 31. Alter erat locus cautionis, ne major ſit impenſa, quam vires. 32. Quid his immoror? Ad illa veniamus. 33. Quorſum alio nolentes abrepti ſumus? Ad rem redeamus. 34. Quid illud, quod proprie ad milites pertinet, quale quantumque eſt? 35. Quid quod ſeipſum etiam ſuperavit, cum &c.? 36. Quid vero, ut te ipſe proderes, id nonne divinitus factum eſt? præſertim, qui poſſes &c. 37. Nam quod de litteris objicitur, non eſt tanti, ut &c. 38. Nam illud quid attinet commemorare? 39. Neque vero illud me commovet, quod &c. 40. Age vero ad bellum in Italia geſtum veniamus. 41. Contra argumenta dictum eſt; contra teſtes dicamus. 42. Verum ubi teſtes adſunt, quid opus eſt rationibus? 43. Verum quid opus eſt teſtibus, ubi ratio non deeſt, & neceſſitas cogit? 44. Verum quidem hæc hactenus: illud unum poſtremo loco dicam. 45. Hæc miſſa facio: illud quæro. 46. Nimis hæc, inquies, vetera ſunt. At non vetus illud. 47. Pueritia illius expoſita, reliquas ætates attendite. 48. Grave eſt, quod dico, non ita tamen, ut ab illo non ſuperetur, quod &c. 49.

Plu-

Plura de illo jam dixi, quam putabam dici poſſe: nondum tamen illa commemoravi, quæ &c. 50. Multa hujuſmodi proferre poſſem: ſed ad illa properandum eſt, quæ &c. 51. Sinite, Auditores, me hæc prætermittere, quæ notiſſima ſunt, ut ad illa vos adducam &c. 52. Illud tamen, quamquam ad exitum feſtinat oratio, præterire nullo modo poſſum. 53. Hactenus de Principe: quod ſequitur de Tyranno. 54. Ex quo debet intelligi, quam turpe ſit &c. 55. Sunt expoſita jam fere, quæ de facto quæruntur. Nempe igitur ea reſtant, quæ de jure. 56. At malo, inquis, eorum metum mihi excuti, quam naturam indicari. Sequar, quo vocas. 57. Eſt hoc ampliſſimum: ſed tamen nihil magnificentius, atque ornatius illo eſſe poteſt, quod &c. 58. Videte jam porro cetera. 59. Et quoniam incidit de nobilitate ſermo, quis eſt &c. 60. Requiretur fortaſſe nunc, quomodo fortunam tulerit. Cognoſcite, Auditores. 61. Omittamus de genere dicere: videamus hominem ipſum. 62. Quoniam de impudentia dixi: caſtigemus ſegnitiem quoque. 63. Sequitur illud, ne deterioribus honos augeatur. 64. Quoniam magiſtrum cognoviſtis; cognoſcite jam diſcipulum. 65. Veniam, neque ita multo poſt ad hunc locum: in præſenti illa magis urgent &c. 66. Poſtularet locus, ut de canibus quoque dicerem: ſed nolo in re non valde gravi nimius videri. 67. Nolim videri longior: ſed tamen, ut bene emenſum detur, nonnihil de cauſſis adjungere placet. 68. Nolo plura dicere, quam temporis ratio poſtulet. Itaque minora illa prætereo &c. 69. Porro autem quis ignorat, quæ

hinc

hinc conſequuntur? 70. Adde his, Accedit his; Huc accedit, Huc pertinet, Eodem refertur. 71. Ad hoc, Ad hæc, Ad hunc ordinem referendum eſt, Huic proximum eſt illud, &c. Satin' nugarum? Ego vero volui te vel copia ipſa fatigare. Vale.

EPISTOLA IX.

De particula Admodum, *& verbo* Aborior.

EGone, is quem noſti, egone, inquam, aut tibi, aut ulli mortalium ſuccenſeam, qui me ſive prudens, ſive imprudens *admodum illuſtrem* appellet, & in hanc formulam litteras ſcribat? Quid ſi oſtendo, nihil meo quidem judicio, aut fere nihil diſcriminis eſſe inter *admodum illuſtrem*, *& illuſtriſſimum?* Multum ſane in iis, quæ ab hominum opinione pendent, tribuendum eſt uſui: at ego, qui jam Philoſophus ſum, *& mihi res, non me rebus ſubmittere conor*, rationem & veritatem ſequor, populi judicium contemno. Rem novam tibi aperiam; ſed tamen veram: Particula *Admodum* perperam adhibetur pro *Valde*, cum ſuapte natura ſignificet *omnino*, παντελῶς, h. e. ſummum rei ſtatum, non excellentem aliquem gradum. Accipe Latinorum Scriptorum conſuetudinem perpetuam, atque conſtantem. Cicero 5. de Fin. cap. 5. *In quo multum admodum fortunæ datur*. Livius l. 23. c. 29. *Equeſtris pugna nulla admodum fuit*. Idem l. 40. cap. ult. *Armorum magnam*

vim

vim tranſtulit, nullam pecuniam admodum. Idem l. 44. c. 43. *Secuti ſunt eum admodum quingenti equites*. Idem l. 22. c. 24. *Sex millia hominum cæſa, mille admodum Romanorum*. Idem l. 42. c. 65. *Mille admodum capiuntur*. Idem l. 43. c. 11. *Exacto admodum menſe Februario*. Curtius l. 4. c. 9. *Mille admodum equites*. Florus l. 2. c. 6. *Prætextatus admodum filius*. Id mihi præſertim clarum ſit, cum dicitur *nihil admodum*. Cicero in Brut. cap. 9. *Plane quidem perfectum Oratorem, & cui nihil admodum deſit, Demoſthenem facile dixeris*. Idem ibid. c. 58. *Curio litterarum admodum nihil ſciebat*. Conradus Schwarzius in Particulis Lat. Orat. c. 8. explicat *pæne nihil*, nec aliter explicari poſſe exiſtimat. Malebam homini docto parcere; ſed quia in eo deceptus eſt, in quo omnes Ciceronis interpretes, & Grammatici longe optimi, juvat locum examinare, unde communis hic error manavit. Is eſt Cicer. de Orat. lib. 2. cap. 2. *Alter* (Craſſus) *non multum, quod quidem extaret, & id ipſum adoleſcens: alter nihil admodum ſcripti reliquit*. Secundus hic Antonius eſt, qui *exiguum libellum* de ratione dicendi ſcripſiſſe dicitur in Brut. cap. 44. Ex quo & Schwarzius, & omnes ante illum Grammatici colligere ſe poſſe putarunt, verba *nihil admodum ſcripti* idem valere, ac *pæne nihil*. Sed vide, quomodo aberrent. Non negat Cicero, Antonium ſcripſiſſe aliquid, quod ad doctrinam pertineret; ſed negat, reliquiſſe orationes, aut ſermones, aut aliquid hujuſmodi, per quod ejus eloquentiæ memoria ſervari poſſet, & a ſilentio vindicari. Locum univerſum ſi leges, ac perpendes, nihil amplius dubitabis.

Præſertim vero, ſi cum iis compones, quæ ſunt in Orat. c. 38. *Craſſi perpauca ſunt*, *nihil Antonii*, *nihil Cottæ*, *nihil Sulpicii*. An huc quoque particula *pæne* vocanda eſt, ne *exiguo libello de ratione dicendi*, quem ſcripſit Antonius, injuria fiat? Porro autem cauſſam afferre ſolebat magnus hic Orator, cur Orationes non ſcriberet, de qua conſulere potes Val. Maximum l. 7. c. 3. n. 5. Jam vide, quæſo, quos lapides moverit Schwarzius, ut ſuum illud *pæne*, invitis Diis Deabuſque, tueretur, idemque faceret atque *admodum*. Eſt Salviani locus de gubern. Dei lib. 6. *Omnes admodum in perditionem ruunt*, *aut certe* (*ut aliud dicam lenius*) *pæne omnes*. Hic enimvero tam perſpicua eſt harum particularum diſtinctio, atque adeo oppoſitio, ut nihil magis. Attamen accipe ejus judicium: *Si* ADMODVM (inquit) *referas non ad* OMNES, *ſed ad verbum* RVVNT, *tum etiam elegans reſultat oratio ; neque* ADMODVM, *&* PÆNE *opponuntur*. Rides, opinor, præſertim qui noſti Salvianum hac particula mirifice delectari, & ubique pro *omnino* uti. Sed rideas licet multo magis, cum legeris eodem capite n. 3. moneri nos a Schwarzio, *Admodum de numero rarius eſſe*. Enimvero quid hoc ſit, vix puto intelligi poſſe. Nam ſi ſolas auctoritates a me allatas conſideres, nihil fieri poteſt elegantius. In viam redeamus. Qui *admodum illuſtris* eſt, nihilo plus illuſtrari poteſt. At enim omnes, qui Latine ſcribunt, particulam hanc pro *valde* uſurpant. Moveres me ſcilicet, ſi diceres uſurparunt. Neque enim video, quinam ex noſtris tantæ ſit auctoritatis, ut linguam latinam augere poſſit,

aut

aut mutare. Quid vero? Putaſne in hac una voce communiter ab omnibus peccari? Plurima ſunt generis ejuſdem: inter quæ illud ipſum *Aborior* referendum judico, quod in fine tuarum litterarum adhibuiſti, pro oriri ante partus maturitatem. Verbum hoc, ſi quæris, nihil valet aliud, quam mori; opponiturque τῷ *orior*, præpoſitione *Ab* vitium ſignificante, ut in *Abrogo*, *Abſimilis*, & aliis ejuſdem notæ. Varro l. 4. de ling. lat. *Idem hic Dieſpiter dicitur, infimus aer, qui eſt conjunctus terræ, ubi omnia oriuntur, ubi aboriuntur*. Idem in fragm. apud Nonium c. 2. n. 24. *Vinum, quod ibi natum ſit, ſi prægnans biberit, fieri ut aboriatur*. fœtus videlicet: quemadmodum dixit Gellius l. 12. c. 1. *Ut fœtus quoque ipſi in corpore ſuo concepti aboriantur*. h. e. intereant. In nitidiſſima Gronoviorum editione 1706. dicitur *Aborior* hoc loco paſſive adhibitum eſſe; quod a vero quam abſit, ipſe per te vides. Lucretius hanc ipſam ſignificationem tranſtulit ad alia lib. 3. v. 155. *Pallorem exiſtere toto corpore, & infringi linguam, vocemque aboriri*. h. e. intercludi, deficere; quod in magnis timoribus evenire ſolet. Adde huc ipſum quoque *Aboriſcor*, quod in unam eamdemque ſignificationem convenit. Lucretius l. 5. v. 732. *Inque dies privos aboriſci quæque creata*. Quamquam verbum hoc fortaſſe nullum eſt; nam neque alibi invenitur, quantum ego quidem omni adhibita diligentia affirmare poſſum; & hoc ipſo in loco alii leg. *aboriri*, alii *aboleſcere*. Multa fortaſſe miſcebis, ut verba Gellii, & Varronis apud Nonium ad vulgatam conſuetudinem detorqueas: ſed quamdiu nihil certi afferes, non po-

teris a nobis jure diſcedere, qui ſatis oſtendimus verbi hujus ſignificationem, & extra aleam poſuimus. Incerta enim ad certa ſunt revocanda. Siquid habes, quod opponas, modo ſit locupletis Auctoris, noli diſſimulare. In libera Civitate vivimus, quicumque litteris operam damus. Vale.

EPISTOLA X.

De T. Livii Patavinitate.

NOn putabam, eſſe amplius, aut ullo umquam tempore in Italia fore, qui de Livii Patavinitate quærerent. Itaque non laborem, ut exprobras, ſuperioribus litteris detrectavi, ſed moleſtiam ſum deprecatus. Nunc, quando urges, juvat me ipſum quoque Principis Hiſtoricorum gloriæ (utar enim Livianis verbis) pro virili parte conſuluiſſe. Vetus hæc Aſinii Pollionis accuſatio eſt, quam refert Quintilianus in lib. VIII. inſtit. c. I. Fortaſſe ne dici quidem accuſatio poteſt. Non enim id obtrectandi cauſſa objecit, ſed quod delicatiſſimi faſtidii homo aliquid ſibi in Liviana ſcriptione ſentire videretur, quod Romani ſermonis indolem & naturam non prorſus saperet, magiſque civitate donatum, quam civicum, ut ita dicam, appareret. Habent enim ejuſdem ſermonis populi pro regionum diverſitate ſuas quiſque loquendi formulas, & certam quamdam verborum ſtructuram, quæ interdum etiam in una

ea-

eademque Urbe, ſi paullo ſit amplior, nonnihil variatur. Id vero eſt, niſi fallor, quod Lipſius voce duriuſcula peregrinitatem vocat. Paulus Benius in lib. II. de Hiſt. eumque ſecutus Angelus Portenarius ſuſpicantur, Patavinitatis nomine nimium erga Pompejum ſtudium ab Aſinio fuiſſe notatum, cujus cauſſa Livius ab Auguſto Pompejanus dici ſoleret, ut eſt apud Tacitum annal. IV. c. 34. Aſinius autem, Vellejo teſte, Antonianus fuit, ideoque Cæſarianus, & quod conſequitur, Patavinis omnibus, qui Pompejo ac reip. faverant, maxime infenſus. Sed nimio plus eruditis viris adnitendum erat, ut probarent, inter Italiæ populos, qui bello Civili Pompeji partes & reip. ſuſceperant, Patavinorum ſtudium fuiſſe præcipuum, quaſique proprium uſque adeo, ut per quandam antonomaſiam Patavinitas diceretur. Quid enim? An non magis Pompejo favit Corfinium, ubi primum Cæſaris victorias remorari Domitius conatus eſt? An non majore in eum fide Brunduſium fuit, quam ultimam Italicarum urbium Pompejus reliquit? An non fortius & conſtantius ab eo ſtetere Maſſilienſes, qui totius Italiæ auctoritate minime moti, portas Cæſari clauſerunt, & uſque ad diſcrimen ultimum obſidenti reſtiterunt? Non defuere, qui reputantes nimiam quandam ſeveritatem Patavinis objici conſueviſſe, ut colligitur ex Plinio lib. I. epiſt. 14. & ex Martiali lib. XI. epigr. 17. hanc ipſam in Liviano dicendi genere ab Aſinio notatam vellent. Fere enim ſtilus cum vivendi ratione conſentit, & in ſuis quiſque libris non ingenii modo, ſed vitæ morumque imaginem quamdam

poſteris relinquit. *Profert mores* (inquit Quintilianus l. XI. c. I.) *plerumque oratio*, *& animi ſecreta detegit*; *nec ſine cauſſa Græci prodiderunt*, *ut vivat*, *quemque etiam dicere*. Atque iſti quidem Patavinitatem in laudis loco ponunt, ſed paullo ſtudioſius quæſitæ; quaſi nihil ſit aliud, quam nimis accurata latini ſermonis caſtitas & pæne ſuperſtitioſa ſeveritas. Idque eo fidentius affirmant, quod Quintilianus hanc in rem illius Atticæ anus exemplum affert, quæ Theophraſtum hominem diſertiſſimum, adnotata unius affectatione verbi, hoſpitem dixit; nec aliunde ſe deprehendiſſe interrogata reſpondit, quam quod nimium Attice loqueretur. *In vitium ducit culpæ fuga*. Quæres fortaſſe, quinam iſti ſint Grammatici tam benevoli. Equidem non memini. Immo ne illud quidem memini, utrum ego id aliquando legerim, an audierim, an vero ipſe ita olim cogitando conjecerim. Nunc certe longe aliter mihi videtur. Idcirco enim arbitror, objectam fuiſſe Livio Patavinitatem, quod Romana urbanitate careret. Teſtis mihi locupletiſſimus Tullius eſt in Bruto c. 46. Quod enim ille de externis Oratoribus dicit, idem mihi ab Aſinio dictum videtur de Hiſtorico externo. *Quid tu*, inquit Brutus, *tribuis externis Oratoribus? Quid cenſes inquam*, *niſi idem quod urbanis*, *præter unum*, *quod non eſt eorum urbanitate quadam quaſi colorata Oratio? Quid eſt*, inquit Brutus, *iſte tandem urbanitatis color? Neſcio*, *inquam*; *tantum eſſe quemdam ſcio*. Ita velim reſpondeat Romanus homo de Livii Patavinitate interroganti: Quid ſit neſcio; tantum eſſe quamdam ſcio. Sed hactenus ſatis.

Si

Si plura cupis, & vacas, adi Morhoſium, qui ait in ſuo Polyhiſtore lib. IV. c. II. ſe de Livii Patavinitate tam multa ſcripſiſſe, ut ea in compendium redigere pigeat. Mihi quidem in præſenti vacui temporis non eſt ſatis. Vale.

ACADEMICÆ COMMISSIONES,

Quæ qualibet hebdomada in Seminario Patavino publice haberi ſolent.

COMMISSIO I.

De Linguæ Latinæ ſtudio.

PROOEMIUM.

Vereor, ne mihi in præſenti exercitatione ſimile quippiam eveniat, ac veteri cuidam Sophiſtæ, qui in publica concione Herculis laudes perſequi conſtituerat. Cum hic florem ipſum Spartanorum magnæ cujuſdam expectatione rei uno in loco adeſſe juſſiſſet, jamque ſpectantibus omnibus in ſuggeſtum aſcenderet, tum ex iis unus, qui in corona ſedebant, Antalcidas nomine, vir cum primis dignitate & auctoritate gravis, Sophiſtam interrogavit, qua de re dicere vellet: Herculem, inquit, laudandum ſuſcipio. Hic vero Antalcidas otioſum Declamatorem nova interroga-

rogatione exanimavit, percunctatus, quis Herculem reprehendiſſet, ut opus eſſet laudatore. Habebant enim Herculem Lacedæmonii in Deorum numero, eumque omnes in primis colebant. Ecce me vobis, Auditores, eo conſilio, ut linguæ Latinæ ſtudium in hoc ejus quaſi portu, in quem denique multis jactata tempeſtatibus, Deorum immortalium providentia confugit, quam maximis potero, laudibus ornem. Video, quam nihil indigeat laudatore, me vero præſertim, quem ex hac ipſa contentione intelligetis neque Latine admodum ſcire, neque ullo doctrinæ aut eruditionis genere valere. Illud vos tamen etiam atque etiam obſecro, ne putetis, mihi temere cogitanti in mentem veniſſe, ut Sophiſtam agerem. Nam ſiquis a nobis Antalcidas quærat, utrum ſit aliquis tam vecordis animi ac deſperati, qui Latini ſermonis præſtantiam dignitatemque non agnoſcat, reſpondebo, ne litteris quidem ſua monſtra deeſſe. Abſunt enimvero ab hoc loco: utinam aliquando abſint provincia tota; cedant humanitati ac veritati locum; purgent cælum hoc fallaciis; in ſuas terras, hoc eſt barbaras concedant. Interim tamen ne cui noſtrum officere poſſint, ſiquando conentur huc quoque peſtilens virus afflare, ego hodie pro virili induſtriam omnem operamque adhibebo; non ſane quod ſperem me poſſe aliquid, ſed ut eorum ſtudia commoveam, quos & plurimum poſſe video, & ubi opus fuerit, paratos eſſe ad reſiſtendum certo ſcio.

SILVA.

EXercitatio hæc ad genus Laudativum pertinet. Laudabitis enim Latinæ linguæ ſtudium.

Primum ob dignitatem: quia lingua hæc fuit principis terrarum gentis; quia adhuc in publicis monumentis, in ſacris, in cærimoniis locum habet; quia una demum ex omnibus perpetuo duratura videtur, quod cum religione juncta ſit. Ac ceteræ quidem linguæ, quibus nunc utimur, pendent a populi voluntate, qua nihil levius; Latinam ab hac ſervitute eruditi vindicarunt, & certis firmiſque legibus conſtituerunt.

Deinde ob jucunditatem: quia pulcherrima eſt, gravis, numeroſa, dives, ad omnia animi ſenſa exprimenda & ornanda ſupra ceteras apta.

Hinc ab omnibus nationibus, tamquam cujuſque propria, arrepta eſt: qua ratione gradum facietis ad ejus utilitatem oſtendendam. Nam per hanc unam cum omnibus hominibus jungere commercia poſſumus, & Babelicæ turris incommoda compenſare.

Poſtremo ob neceſſitatem: nam qui litteris deditus eſt, aliis omnibus linguis carere poteſt, hac una non poteſt. Omnes enim artes ac diſciplinæ Latine traduntur; omnes Academiæ Latino ſermone circumſonant; frigidus eſt Theologus, Philoſophus, Juriſperitus, qui ſuarum rerum gravitatem aliis verbis aſſequi conatur, quam Latinis.

Ergo hæc litteratorum lingua dici quodammodo debet, in qua qui præſtat, non jam inter turbam, ſed inter ipſos litteratos eminet. Quod

ſi

ſi homines brutis animalibus antecellunt, quod animi ſenſa inter ſe conferre loquendo poſſint; litterati ceteris hominibus, quod melius poſſint; quanta erit ejus præſtantia, qui litteratos ipſos elegantia ſermonis prætergrediatur?

Ultimo loco ad abſurdum res duci poterit. Nam cum in tanta brevitate vitæ tam multa diſcere debeamus, abſurdum eſt per alias linguas vagari, quarum monumenta omnia in hac una continentur. Ac ſiqua contendere cum Latina poſſet, Græca ſcilicet eſſet. Verum quid habent Græci, quod non ſit Latinis litteris mandatum? Cum tamen contra ex Latinis pauciſſima Græco ſermone legantur, &c.

AD GRÆCAM INTERPRETATIONEM.

Lingua Latina per Ven. GREGORIUM CARD. BARBADICUM in Patavino Seminario reſtituta.

ITalico regina ſolo dominabar, & ipſe
Lacteus edebat verba Latina puer.
At cum ſe noſtro Gens barbara miſcuit orbi,
In latebras linguæ me pepulere novæ.
Pulvere ſub turpi damnata ſilentia duxi,
Et blattas Cicero, Virgiliuſque tulit.
Tum Petrarcha meis ſumſit pro juribus arma,
Conatus veterem reſtituiſſe locum.
Jamque refloreſcens complebam lumine terras,
Viſaque ſunt nobis aurea ſæcla iterum.

Poſt-

Poſtea ſed variis rurſus concuſſa duellis,
Heu, dixi, melius delituiſſe fuit.
Denique Gregorius ſortem miſeratus acerbam,
Me ſedis voluit ſceptra tenere ſuæ.
Regna anguſta nimis, tantoque minora vetuſto
Non placuere mihi, ſed placuit Dominus.

GRATIARUM ACTIO.

MUnera multiplici creverunt ordine veſtra,
Nec penſari ulla jam bene voce queunt.
Huc linguæ coeant omnes, & pignore certent,
In re non facili quæ ſit inepta minus.
Siqua ſuis poterit tam grandia reddere verbis,
Huic uni cedet lingua Latina locum.

COMMISSIO II.

De ſtudio Linguæ Græcæ.

PROOEMIUM.

SÆpe ego conſtitui, ſiquando mihi dicendi copia apud vos daretur, in diſceptationem vocare, cur Græcæ litteræ, florentibus Romanorum rebus, tam male audirent, ut mores corrumpere crederentur; tametſi nemo eſſet unus, qui negaret, diſciplinas arteſque omnes ad civilem cultum libero homini neceſſarias ex illis profectas eſſe. Ut enim nihil de Satyrarum ſcriptoribus dicam, moroſis ingeniis atque acerbis, quorum princeps Juvenalis (ſi modo princeps appellari debet)

bet) neque hominibus Græcis, neque verbis pepercit; nonne Cato ille Cenſorius, gravitatis & ſapientiæ imago, ad Marcum filium ſcripſit, *Bonum eſſe Græcas litteras inſpicere, non perdiſcere?* Quid M. Cicero Oratoris pater? Nonne hujus viri omnium opinione prudentiſſimi illud eſt, quod refertur in libris de Orat. a filio conſcriptis, *Ut quiſque optime Græce ſcit, ita eſſe nequiſſimum?* Quod vero mihi magis mirum videtur, tantum abſuit ut voces iſtæ Romanorum ſtudia retardarent, ut ipſe quoque Cato, nihil inconſtantiæ famam veritus, inclinata jam ætate Græcas litteras avidiſſime ſecutus ſit, quas recta firmaque improbaverat. Verum id totum ut excutiatur, ſuiſque momentis in partem omnem examinetur, longioris diſputationis eſt, multoque gravioris, quam ut a nobis ſuſcipi poſſit, & in horæ ſpatium vel paullo amplius includi. Itaque ad noſtra potius tempora converſi, de illis queramur, quod Græcæ litteræ, incredibili rerum ac voluntatum mutatione facta, laudatoribus abundent, cultoribus vero magnopere egeant. Neque enim nos eas colere dicendi ſumus, quorum plerique inviti nolenteſque accedimus; tantumque operæ illis tribuimus, quantum ferulæ metu tribuere cogimur. Sic enim fit, ut eorum, quæ quotidie diſcimus, nihil animo adhæreat; & cum univerſum ſcholarum curſum obierimus, adhuc de Grammaticis elementis timide dubitanterque reſpondeamus. Faſtidium hoc rerum optimarum graviſſimi morbi indicium eſt: cui demum ut aliqua ratione occurramus, declamationem adverſus nos ipſos præſenti exercitatione inſtituimus. Quo quidem ſtimuli

gene-

genere ſiquid nos ad ignaviam abigendam proficere intelligemus, reliquas omnes litterarii negotii partes hunc in locum afferemus, eamdemque ſingulis operam & diligentiam adhibebimus.

SILVA.

DEclamationem inſtituite adverſus illos, qui Græcarum litterarum ſtudia vel prorſus oderunt, vel ſegniter colunt: quod commode præſtabitis earumdem litterarum laudatione.

In duo genera dividi poſſunt, quæ faciunt in rem hanc; alterum eſt eorum, ex quibus efficitur Græcarum litterarum dignitas; eorum alterum, ex quibus utilitas exiſtit.

I. Pars. A nobilitate rerum, quæ Græce ſcriptæ ſunt. Ea lingua plena eſt dignitatis ac ſplendoris, qua uſi ſunt principes liberalium artium ac diſciplinarum auctores: atqui a Græcis omnes fere artes ac diſciplinas accepimus: ergo eorum lingua, &c.

Ab antiquitate. Antiquiſſima litterarum monumenta, ſi ſacra Biblia excipias, Græca ſunt. Ab his autem reliqua omnia ſunt propagata, Latina præſertim.

A multitudine Scriptorum. Magnus eſt eorum numerus, qui in quolibet rerum genere Græce ſcripſerunt: unde in hanc linguam tanta verborum copia redundavit; tam varia declinandi, componendi, figurandi ratio; tot ſchemata, tot dialecti, &c.

A teſtimonio. Romani, omnium ætatum omniſque memoriæ prudentiſſima natio, tantum honoris

noris Græcis litteris detulerunt, ut iis ferme unis per annos quingentos uſi ſint; & cum gentes omnes, quibus imperabant, barbaras dicerent, Græcos tamen & honorifice appellare conſueverunt, & vel in ſumma potentia bonarum artium magiſtros habuerunt.

II. Pars. Oſtendite ad ſolidam eruditionem non ſatis eſſe Latinas litteras: ſed quia res non caret invidia, antequam rationibus confirmetur, præmittite magnorum virorum teſtimonia. Familiam ducat M. Varro, qui apud Cic. Academ. I. c. 2. eos qui Græce ſcirent, *doctos* appellavit, reliquos omnes *indoctos*.

Varronem ſequatur Cicero, qui in Bruto c. 45. ait, C. *Titium eo perveniſſe, quo poteſt Latinus orator ſine Græcis litteris*.

His adjungatur orator ſæculi ſui eloquentiſſimus idemque doctiſſimus M. Antonius Muretus, cujus hæc ſunt verba lib. 2. Var. lect. c. 20. *Sine Græci ſermonis cognitione manca omnis & mutila eſt doctrina: & qui ejus expertes ſint, ab eis ne Latine quidem ſcripta penitus percipiuntur*.

Tum rationes in medium afferte. Nam pulcherrima litterarum atque artium monumenta Græca ſunt, quorum cognitione qui caret, quomodo dici poteſt eruditus?

At enim Latino ſermoni, atque adeo etiam vernaculo reddita ſunt.

Reſpondebitis primum, non omnia reddita eſſe; deinde non fideliter; poſtremo illa ipſa, quæ fideliter reddita dicuntur, tamen in pluribus deficere & claudicare; quod nulla lingua vim & venuſtatem Græcæ aſſequi poſſit. Quam in rem Gel-

lii

lii auctoritatem afferetis, qui toto capite ſexto decimo lib. XI. contendit quædam eſſe, quæ ne pluribus quidem Latinis verbis dici poſſunt niſi obſcuriſſime, cum a Græcis perfectiſſime & planiſſime uno verbo dicantur.

Demonſtrabitis igitur, qui carent Græcis litteris, eos carere uſu pulcherrimæ artis, quæ Critice dicitur, in veteribus ſcriptis interpretandis ac dijudicandis poſita. Nomine autem veterum ſcriptorum Latina quoque complector, quæ cum magnam partem a Græcis fluxerint, nequeunt ſine ope illorum perfecte intelligi.

Si vacat, errores aliquot illorum hominum recenſete, qui aleam hanc ſine Græcæ linguæ præſidio tentare voluerunt; eorum vero in primis, qui rationes & origines vocum ſunt perſecuti; qui ſane ridicula protulerunt.

Hæc ad interpretandum. Multa porro etiam ad componendum facere videntur, ſi quam copioſa, quam fuſa, quam varia Græca lingua ſit, cogitare velitis. Sed hoc veluti prætereuntes attingite, ne ſolitæ exercitationis modum prætergrediamini.

Parænesi orationem claudetis, cui auctoritatem conciliabit Horatii monitum in epiſt. ad Piſones de Art. Poet.

- - - - - - - - - Vos exemplaria Græca
Nocturna verſate manu, verſate diurna.

AD

AD GRÆCAM INTERPRETATIONEM.

Lingua Græca per Ven. GREGORIUM CARD. BARBADICUM *in Seminario Patavino reſtituta.*

MUſarum Phœbique parens pulcherrima quondam,
  Græcia nunc fœdo dat ſua colla jugo.
Heu, Superi, prohibete nefas: quo crimine tanto
  Amiſit priſcum patria veſtra decus?
Sic erat in fatis. Artes migrate Pelaſgæ:
  Explicat en vobis Itala terra ſinum.
Nec mora: jam lætæ ſubeunt Antenoris Urbem,
  Illas Gregorius quo jubet eſſe loco.
Scilicet hic unus mirandi fœderis auctor,
  Trojugenas Græcis conciliare poteſt.

GRATIARUM ACTIO.

NOn agimus Græce veſtro pro munere grates:
  Scilicet hoc unum Dorica lingua nequit.
Aptior haud ulla eſt benefacta rependere verbis;
  Sed nondum veteri ſuſpicione vacat.
Artibus ingenium juvit coluiſſe Pelaſgis:
  At Romana tenet pectora noſtra fides.

COMMISSIO III.

Accuſatur Solœciſmus.

PROOEMIUM.

NUllus eſt capitalior litterarum ac litteratorum hoſtis, quam Solœciſmus, a quo vix illi cavere ſibi poſſunt, qui florentiſſimam ætatem aſſidua ingenii exercitatione triverunt, omnemque Grammaticorum ſtudiorum curſum per ſummos labores ac vigilias ſemel atque iterum obierunt. Itaque non eſt cur miremini, Auditores, ſi nos peſtem hanc juſto judicio perſequi hodierna luce decrevimus, tantoque conatu debilitare atque affligere, ut ex hoc Muſarum domicilio longe cultiſſimo ſtatim excedat, & in ſuas illas, unde exiit, Solorum latebras, ſe ſe conjiciat. Itane igitur eſſe labem, quæ ſermonem noſtrum, hoc eſt maximum Deorum beneficium hominibus conceſſum turpiſſime fœdet, neque ſolum in triviis & tabernis, ſed in foro, in templis, in curia, in academiis impune graſſetur? Dii veſtram fidem! Nimis jam mites, nimis patientes adhuc fuimus. Expedienda ſunt arma omnia, explicanda ſigna, procedendum in aciem, debellandum aliquando eſt. Sed illius quidem tam multæ inſidiæ ſunt, tam abditæ, tam callide poſitæ, ut in ejus ſinu ſæpe lateat, tamquam in tuto, quicum depugnat, nec ante ſe prodat, quam victoriam reportarit. Quocirca mihi ipſi timen-

dum

dum magnopere eſt, ne dum Solœciſmo glorioſus miles bellum indico, Solœciſmum admiſerim; ipſiſque armis hoſtem contexerim, quæ in ipſum diſtringo. Id ne forte fiat, quæſo vos, Auditores, intendite oculos animoſque, monete pro veſtra benevolentia, pro veſtra auctoritate reprehendite: nam cum animadverterim ſæpenumero, ideo ſcelus hoc impune abire, quod ab iis ipſis defenditur, qui huc deſcendunt ut oppugnent, ego firmiſſime ſtatui conjunctis vobiſcum viribus prælium inire, & in me ipſum arma convertere, ſiquidem in me ipſo deprehendetur. Tu vero, *Præſul ampliſſime*, quem nobis judicem nec opinatum fortuna obtulit, noli mirari de rebus tam minutis a nobis diſputari. Ætas videlicet, & prima hæc ſtudiorum ratio ita poſtulat: nec illi ipſi, qui in litteris regnant, ad eam gloriam perveniſſent, niſi ab his tenuiſſimis exercitationibus incepiſſent.

SILVA.

COmpoſitio verſabitur in genere judiciali: poſtulabitis enim Solœciſmum hoſtem veſtrum velut apud Prætorem actione de vi & inſidiis; quod nolentibus vobis, in poſſeſſiones veſtras invadat, modo per inſidias, modo per vim, ſtipatus barbariſmis, idiotiſmis, impropriis, macrologis, battologis, & aliis orationis peſtibus.

Dicetis, vos operam omnem & induſtriam adhibuiſſe, rogaſſe, obſecraſſe, contendiſſe modis omnibus, ut a vobis rebuſque veſtris abeſſet; ſed audaciam tantam coerceri non poſſe niſi publica auctoritate.

Deſcribetis labes, quas lucubratiunculis veſtris ſæpe intulit; dolorem inde conſecutum, verecundiam, jejunia, verbera, &c.

Si monſtrum hoc abigatur, ætatem veſtram feliciſſimam fore, quæ hac una de cauſſa infeliciſſima eſt, &c.

AD GRÆCAM INTERPRETATIONEM.

Pro Solœciſmo.

CUm hæc audiſſet Solœciſmus, neque patronum inveniret, ipſe pro ſe dixit; & quidem ita graviter & facunde, ut nihil deſideratum in ejus oratione ſit, niſi cauſſa melior. Innocentiæ ſuæ illud in primis argumento eſſe, quod cum ætate innocentiſſima, hoc eſt cum pueris maxime vivat; a viris autem fere abſit, niſi boni viri ſint. Grammaticorum nationem, quod ſibi bella moverit, Deorum immortalium judicio ad perpetuas nugas tamquam ad metalla fuiſſe damnatam. Neque vero magis miſeram illorum conditionem fuiſſe, qui olim ſua crimina luere in fodinis cogebantur, quam ſit iſtorum, qui inter obſoleta atque exeſa veterum linguarum rudera dies noctesque verſantur. Se adhuc unum ſermonis libertatem ab illis oppugnatam defendiſſe; ſe Theologis, ſe Philoſophis, ſe Medicis, ſe Juriſperitis ſuffragatum, ut præclaras animorum ſuorum cogitationes, quibus generis humani ſalus continetur, dicendo ſcribendoque exponere poſſent. Ro-

gare

gare atque orare, ne ſe ejicerent, ni vellent, magnam repente in omnibus bibliothecis & academiis ſolitudinem fieri. Ipſos quoque latinitatis magiſtros ac pæne canonas non raro ad Solœciſmum confugiſſe, ne optimas ſententias Grammatica ſuperſtitione debilitare cogerentur. Quid enim eſſe aliud Virgilii ſchemata, quibus obtinuit, ut Grammaticorum malleus diceretur? Nomina varia, rem unam & eamdem. Scilicet oſtenderent Grammaticum aliquem, qui latine & eleganter ſcriberet: omnes ad unum aridos eſſe, jejunos, ineptos, exſuccos, vix oſſibus hærere. Ipſi ſe igitur prius accuſatores in ordinem redigerent, tum de aliis cogitarent. Quamquam ſe quidem libenter in exilium abiturum, ſi poſſit aliquando inter homines iſtos ad contentiones natos convenire. Hoc vero quis ferre poſſit, adverſarios ſuos oppugnationem inſtituiſſe, de cujus ratione atque ordine nondum ſtatuere unanimi conſenſu potuerint? Alios enim alia præcipere; quod unus probet, alterum improbare: non eſſe mirum, ſi Solœciſmo non parcant, qui pugnant ſecum ipſi. Hic vero tam ingenioſus viſus eſt, ut ipſi illi, qui accuſabant, cogitare cœperint, numquid ſibi timendum eſſet, quod reo minime malo periculum creaſſent.

GRATIARUM ACTIO.

SIquando litterulæ noſtræ de fortuna conqueſtæ ſunt, quod minime videretur deſiderio reſpondere, hodie quidem jure ac merito queruntur, quod te nobis, *Præſul Illuſtriſſime ac Reveren-*

 ren-

rendiſſime, jamdiu optatiſſimum non ſatis opportuno tempore conceſſerit. Nec enim aut hujus diei ſchola ex illis eſt, quæ principes habentur, aut ipſa ſcholæ exercitatio auribus tam eruditis ullo modo digna. Sed tamen, ut de nobis ingenue fateamur, quemcumque tandem adventus hic tuus in diem incidiſſet, nihil profecto erat in toto hoc Scholarum noſtrarum ordine, quod in tantam hanc lucem ſine verecundia exponeretur, teque judicem totius Italiæ ſapientiſſimum non formidaret. Ergo quidquid hoc eſt ſive laboris, ſive induſtriæ, exiguum certe quidem, noli præ tua iſta ſingulari atque recondita eruditione contemnere; ſed reputa, tantam hanc litterariæ gloriæ famam, quantam nemo unus poſt natas litteras vivens obtinuit, ita demum te beatum efficere poſſe, ſi ſit cum illa humanitate conjuncta, a qua litteræ ipſæ nomen adeptæ ſunt.

COMMISSIO IV.

Curas hominum ridere oportet, ſed ſapientius, quam Democritus ſolebat.

PROOEMIUM.

DUos ferunt fuiſſe Philoſophos, Democritum & Heraclitum, ita inter ſe natura ſtudiiſque diverſos, ut alter perpetuo rideret, alter perpetuo quodam luctu conficeretur. Prodibat Democritus in forum ridenti ſimilis, adunco naſo, buc-

buccis pæne ad aures diductis; & ut mercatorem offendebat, vel artificem, vel cauſſidicum, ad ſingulos, veluti rem novam ſibique lætiſſimam, riſum inſtaurabat. Narrabat quis de magiſtratu ſibi delato? Ille ridebat. Alius querebatur de repulſa? Ille ridebat. Erat qui venderet, qui emeret, qui tranſigeret, teſteſque in rem ſuam appellaret? Ille vero ſuaviſſime ridebat. Denique quidquid diceres, quidquid peteres, quidquid interrogares, omnia promiſcue, teque ipſum tamquam ſcenicum hominem riſu excipiebat. Accedebat ex parte altera mœſtus & ſordidus ſenex Heraclitus, promiſſa impexaque barba ſqualidiſſimus, obducta fronte, lippis oculis, acutis naribus, diſtorto ore, temporibus collapſis, genis enectis, qualem prorſus decet eſſe hominem rebus omnibus illacrimantem. Hunc ſiquis recreare conatus eſſet vel oſtentatione rerum, vel narratione lætiſſima, laterem lavabat; quod ſibi ad ſapientiæ famam æternum ſqualorem luctumque indixiſſet. Habetis, Auditores, ſtultorum par lepidiſſimum. Non enim video, quemadmodum inter Philoſophos iſthoc neſcio quid hominum numerare poſſim. Tamen ſiquod ſtultitiæ genus ferendum eſt, & humanæ imbecillitati condonandum, multo malim in noſtra civitate Democritos eſſe, quam Heraclitos. Etſi enim tam in adverſis rebus ridere vitium eſt, quam flere in ſecundis; attamen hoc aſperioris naturæ eſt, neque excuſari interpretando poteſt, nec in hominum ſocietate tolerari. At vero qui ſibi imperavit in qualibet fortuna hilariter vivere, & omnes rerum humanarum eventus ridere, nec valde a ſapiente diſtat, & ma-

gnum ſibi præſidium ad aliorum convictum & benevolentiam comparavit. Si paullum igitur ſibi temperet Democritus, ſi effrenem ridendi licentiam paullulum cohibeat, jam noſter eſt, & cum ſapientibus ſedet. Id totum cujuſmodi ſit, Auditores, adſumus explicaturi; ea tamen ſive lege, ſive conſuetudine, ut nos pro noſtra imbecillitate atque infantia impune ridenda dicamus, vos vero pro veſtra bonitate & patientia ne talia quidem rideatis.

S I L V A.

Animadvertite argumenti hujus duas eſſe partes, quarum prima ſignificat, curas fere omnes, quæ ab hominibus ſuſcipiuntur, leves eſſe ac riſu dignas; altera, non admodum prudenter ſe geſſiſſe Democritum, quem ferunt humana omnia promiſcue riſiſſe.

I. pars. Homines plerumque ſunt occupati vel in honoribus comparandis, vel in divitiis congerendis, vel in utroque: atqui honores ac divitiæ non poſſunt humanum appetitum explere, eique beatitatem impertiri: ſunt igitur ridendi tot tantique conatus. Videte hanc in rem Ariſtotel. l. 1. Ethic. c. 5. & ibi Interpretes, præſertim vero Tarquinium Gallutium.

Civitatis ordines recenſebitis, in foro, in curia, in officinis nimio plus occupatos atque intentos, ut bona tam exigua, tam incerta, tam habentibus noxia per fas nefaſque ſibi parent. Videte hic Juvenalis Satyram X. Ipſos quoque litterarum ac ſapientiæ ſtudioſos, eorumque contentio-

tiones ad trutinam revocabitis; oſtendentes, quam ſtultum ſit diu noctuque impalleſcere chartis, ſummumque hujus vitæ bonum valetudinem exſuccæ gloriolæ devovere. Nihil enim fere ſit intra modum.

II. pars. Democriti vultum, habitum, mores urbana atque eleganti ethopæja deſcribetis; ut appareat, nulla certa ratione, ſed potius levitate, aut etiam fortaſſe ambitione ductum, hominum ſtudia ridere conſueviſſe.

Quodnam enim judicium de illo ferendum eſt, qui & poſſeſſiones ſuas deſeruit, & oculis ſe privavit, ut nulla re a cogitando averteretur? Dicetis, hanc ipſam opinionem ſapientiæ, quam quærebat, fuiſſe ridiculam. Nihil enim probari debet, quod nimium ſit.

Oſtendetis, multa eſſe in hominum ſocietate, quæ rideri non debent, ſi modo & ratione conſtent, Deorum immortalium religiones, artium ac diſciplinarum ſtudia, rei familiaris ac publicæ curam, &c.

Denique Democritum, ceteroſque ejus mentis Philoſophos ob antiquitatis reverentiam per quamdam veluti correctionem excuſabitis. Nam cum vellent hominum animos nimiis perturbationibus liberare, ad extrema hæc adducere conabantur; non quod id totum fieri poſſe crederent, quod contendebant, ſed ut naturam nimis aberrantem revocarent ac reflecterent.

Verumtamen correctionem hanc ita adhibebitis, ut excuſare quidem magna nomina videamini, non tamen eorum inſtitutum probare.

AD

AD GRÆCAM INTERPRETATIONEM.

VEteres ſcriptores in Democriti Philoſophi famam conjuraſſe videntur. Adeo multa de illo ridicula memoriæ prodiderunt. Ego uni fidem habeo Diogeni Laertio, qui & gravis Hiſtoricus eſt, & hoc ſibi argumentum ſumſit, ut Philoſophorum Vitas moreſque deſcriberet. Alii mirabilia magis, quam vera conſectantur: itaque etiam contraria dicunt. Valerius Maximus lib. 8. c. 7. ſcribit, eum bona ſua patriæ donaſſe, Cicero de fin. l. 5. c. 29. deſeruiſſe: qua etiam de cauſſa ſtultitiæ inſimulatur a Lactantio lib. 3. c. 23. Revera neque donavit, neque deſeruit, ſed in pecuniam redacta peregrinando abſumſit. In quibuſdam Græcis monumentis apud Gellium l. 10. c. 17. habetur, illum ſe oculis ſua ſponte privaſſe, ne umquam videndi illecebris a contemplando avocaretur. Id ipſum confirmat Laberius Poeta, & Tertullianus in Apologetico c. 46. ſed alter cauſſam affert, quod improborum fortunas aſpicere nollet; alter, quod mulieres ſine cupiditate intueri non poſſet. *Credat Judæus Apella*. Perpetuo ridens inducitur a Seneca de tranq. c. 15. & ab aliis antitheta quærentibus. Sic enim præclare opponitur Heraclito ſine intermiſſione ploranti. Ex Philoſopho Mimus. Vitæ genus tam varium varia item conſecuta eſt opinio mortis. Senio defecit, cum annos vixiſſet pluſquam centum. Sed magis ex dignitate tanti viri Athenæo

l. 2.

l. 2. δειπν. viſum eſt, ſi perſuadere poſteritati poſſet, ipſum ſibi mortem ultro conſciviſſe. Quidam tradit, φθειριάσει confectum objiſſe; haud alio ſane fundamento, quam quod a tanta paupertate, in quam inciderat, pediculi abeſſe non poſſent. Miror equidem, neminem unum ex ejus diſcipulis inventum fuiſſe, qui magiſtri nomen ab injuria vindicaret.

GRATIARUM ACTIO.

SIquis Democritus tantam hanc graviſſimorum virorum, & nobilium adoleſcentum frequentiam videret, ſtatim a meridie uno in loco, eoque pro ratione temporis valde anguſto coactam; aſſidenſque paullulum, audiret de Latinis Græciſque litterulis, de ſyllabis, de apicibus certamen inſtitui, quot quantoſque cachinnos tolleret, quam ſolutos, quam effuſos! Mira enimvero eſt patientia veſtra, quæ hujuſmodi tædia ad duas pæne horas producta, qualibet hebdomada ferre poteſt; noſque etiam excitare cunctantes ac ſegnes, ut hoc vobis negotii afferamus. In quo cum reputo nihil vos ſpectare aliud, quam quod e re noſtra ſit, incredibili quadam verecundia perfundor; maximeque velim meum erga vos animum, voluntatem, ſtudium, obſervantiam ſingulari aliquo verborum genere declarare. At in hac officii parte tam difficili ſi valerem, jam non veſtra inſtitutione indigerem: niſi vero qui aquilam pingere recte novit, is ad muſcam doctore indiget. Illi igitur hæc rideant, qui ſe ſibi dumtaxat natos exiſtimant; nec niſi privatorum commodorum ratio-

tionem habent : vos nobis ſemper in magna admiratione eritis , qui rerum veſtrarum fere obliti , nihil agitis , nihilque cogitatis niſi noſtra cauſſa. Idque eo magis mirum eſt , quod beneficia veſtra in illos confertis, qui non ſolum referre nullam gratiam poſſunt, ſed ne ipſum quidem beneficiorum pondus ex toto cognoſcere.

COMMISSIO V.

Qui recte paret, dignus eſt ut imperet.

PROOEMIUM.

QUod de bello dici ſolet , nondum expertis jucundum eſſe, id de imperio dici debet. Etſi enim imperare pulcherrima in ſpeciem & ſuaviſſima res eſt , in his tamen veluti floribus multiplex latet anguis, idemque ejuſmodi, ut non modo corpus, ſed animum in primis ſauciet, partem hominis præſtantiſſimam. Ingredere magnificas illas ædes. Videſne ſtantes in limine armatas copias? Non tam ad populi, quam ad ipſius domini terrorem aluntur. *Multos enim timeat, qui a multis timetur, neceſſe eſt*. Agedum infer pedem, tolle oculos. Delectantne te lacunaria illa argento auroque diſtincta? At inde in ejus beati cervices gladii pendent, filo tenuiſſimo illigati, quemadmodum Damocli oſtendit Dionyſius. Circumfer te undique. Placetne ſolium nobiliſſimis ſervis ad nutum & obſequium utrimque ſtipatum? At multi in eo Reges ab iis ipſis trucidati ſunt, quorum opera utebantur ; atque adeo ab illis ,

quos

quos ſibi unice ad præſidium conſtitutos, corporis cuſtodes appellabant. Quid mihi menſas apparatiſſimas innuis? Ita quotidie multi veneno interficiuntur, ut jam menſa crux Regum appellari poſſit. Quid dominatus majeſtatem, quid chlamydem, quid ſceptrum, quid coronam oſtendis? Nempe oſtendis onus: tanto enim iſta graviora ſunt, tanto curæ moleſtiæque pleniora, quanto pluribus gemmis ornata. Noli mihi ærarium, noli mihi fiſcum indicare. Nihil poteſt eſſe hujuſmodi ſine magna invidia & populi imprecationibus. Sed jam per Deos immortales exeamus; omnia hic ſuſpicionis plena, intuta omnia; non amicitiæ, non fidei, non benevolentiæ locus. In aula ſumus, intelligenti ſatis eſt: ſed numquam tamen ſatis ambitioſo, qui ſua cupiditate tamquam nocte aliqua circumfuſus, nihil tale videt, aut omnia videt vitro illo colorato, quo crudeliſſimus Princeps ſuppliciis ipſis, humano ſanguine fœdatis, pulchritudinem aliquam comparabat. Nihil vero hic tam miſerum eſt, ut ex omni parte circumſpectum, non aliquam bonitatis ſpeciem præſeferat, moveatque deſiderium ſui. Ergo parcamus homini imperandi cupido, vel quia ſua eſt imperio felicitas, vel quia videtur eſſe. Id unum ab illo contendamus, ut hæc ipſa cupiditas virtutis adminiſtra ſit; hoc eſt ita ſibi perſuadeat, privatum hominem tum demum imperio dignum eſſe, ſi recte pareat. Si hac ad imperandum nitetur via, nos illi ultro imperium concedemus; reique publicæ egregie conſultum per ambitionem exiſtimabimus. Id dum fuſius oſtendimus, adeſte humaniter; totamque hanc exercitationem ita temperate,

rate, ut nobis quotidie magis magiſque placeat, talibus dominis obtemperare.

SILVA.

PLato lib. 6. de leg. & Ariſtoteles lib. Polit. 3. non de ſuo modo ſenſu, ſed ex communi hominum opinione proverbio firmata pronunciant, vix fieri poſſe, ut aliquis recte imperet, qui non antea paruerit. ὐκ ἐςιν ἄρχειν μὴ ἀρχθέντα. Id vos tamquam exordii loco ponetis, ut propoſitam a me ſententiam oratiuncula explicetis. Utrumque enim conjunxit Cicero, cum dixit initio lib. 3. de leg. *Et qui bene imperat, paruerit aliquando neceſſe eſt; & qui modeſte paret, videtur qui aliquando imperet, dignus eſſe.*

Dicetis igitur hoc maxime locum habere in liberis civitatibus, in quibus ex ipſo civium ordine ſummi magiſtratus eliguntur; iidemque homines modo imperant, modo parent.

Explicabitis recte parendi difficultates; quas qui expertus eſt, & ſuperavit, magnum dedit virtutis ac prudentiæ teſtimonium.

Dicetis, terminos eſſe aliquos, intra quos imperia in liberum hominem contineri debeant; quos quidem terminos nemo melius cognoſcere poteſt, quam qui privatam fortunam belle ac modeſte tulit.

A contrariis quoque argumenta ducetis, oſtendentes, quam ſtolide, atque impotenter rempublicam adminiſtrent, qui cum eſſent privati, magiſtratibus ipſis imperare voluerunt, & cum ſumma rerum omnium licentia vivere.

De-

Denique quaſcumque obedientiæ laudes invenietis, huc trahi recte poterunt.

AD GRÆCAM INTERPRETATIONEM.

Reſponſio Jugurthæ nomine ad Micipſæ orationem, quæ eſt apud Salluſtium de Bel. Jugurt. c. 10.

NE dii ſiverint, Rex, ut Numidiæ immature adeo rapiaris. Etſi enim ſatis gloriæ vixiſti; & tibi etiam fortaſſe ſatis, qua es moderatione rerumque humanarum ſatietate; nobis quidem certe nondum ſatis. Tamen, quod caveas in poſterum rebus tuis, veritus multo ante, quæ aliquando naturæ neceſſitate futura ſunt, facis tu quidem pro tua iſta ubique commendata ſapientia. Mihi ſane inviſum regni nomen, ſi tua funera conſequi debet. Præterquamquod innutritus ego bellicis laboribus ac venatione, quomodo poſſum ad civilem rerum curam & urbanam quietem animum convertere? Adherbali & Hiempſali facile erit patris virtutes imitari, quibus licuit manentibus domi proxime intueri. Quod ſi me tamen jubeas uti beneficio tuo, & in partem venire ſummæ dignitatis, id efficiam diligentiſſime, ut videaris potius laboris aliquid imminuiſſe filiis, quam regni. Numquam excidet animo meritorum tuorum recordatio; eamque prædicabo & habebo nomini tuo gratiam, quam tibi referre non potero. Dic mihi vel regnandi, vel parendi leges, impera quod videtur, aut veta; omnia

non

non minore fide, quam tibi, præſtabo memoriæ tuæ. Quod & faciam, diis bene juvantibus; & eo libentius, quo tardius.

GRATIARUM ACTIO.

QUemadmodum ad recte parendum obſervantia & ſolertia opus eſt, ita ad imperandum prudentia & æquitate. Nihil porro in humana ſocietate miſerius excogitari poteſt, quam impotens dominus. Siquidem ſervus moneri, caſtigari, dimitti poteſt; dominum pati neceſſe eſt. Quorſum hæc, Auditores? Scilicet eo denique ventum eſt, ut grates poſtuletis; multumque veremur, nequid nobis ſupra virium noſtrarum modum imponatur: non quod iniquius aliquid a vobis eſſe poſſit, ſed quod pro inſigni quadam bonitate naturæ de meritorum veſtrorum magnitudine cogitare nolitis; quæ, ut nos quidem exiſtimamus, nulla verborum copia æquari poteſt. Ergo date hoc obſervantiæ in vos noſtræ, ut non parere aliquando liceat: ex quo potiſſimum intelligetis, hominibus vos de veſtra dignitate ſollicitis imperare. In reliquis pro veſtra auctoritate jubete: nam ita nobis in animum induximus, huic in primis ætati obedientiam convenire; & per eam unam fieri poſſe, ut cum vos ad majora progreſſi eritis, non deſint ex nobis, qui loca iſta veſtra occupare poſſint.

COM-

COMMISSIO VI.

Populo imponere facile eſt.

PROOEMIUM.

SIquando umquam lætus & alacer ad dicendum, aut ſcribendum acceſſi, quod ipſa me rei propoſitæ facilitas ceteroquin timidum ac refugientem invitaret, id certe mihi hodie contigit, cum de hominum fraudibus & fallaciis commentari aliqua juſſus ſum, & in conſpectum veſtrum afferre. Neque enim putavi in eo mihi deeſſe orationem poſſe, quod ita commune omnibus eſſet, ita vetus, ita frequens, ita privatim publiceque uſurpatum, ut quocumque me verterem, quidquid aſpicerem, quidquid audirem, vel totum ex mendacio conſtaret, vel mendacii partem maximam complecteretur. Curia, forum, judicia, compita omnia, ſummi infimique cives, quantam, bone Deus, quamque perſpicuam, civilium negotiorum non imperito, dicendi copiam ſuppeditant! Sed ne a ſchola diſcedamus, quid eſt in poetica facultate non fallaciſſimum, quæ vel ipſum nomen a fingendo ducit? Quid noſtra hæc, cujus in præſentia periculum facimus? Nonne ita in fallendo eſt, ut præceptores ante Ariſtotelem omnes nullam dicendi artem, niſi ad concitandos auditorum animos tradiderint; Ariſtoteles vero ipſe, qui primus probandi locos excogitavit atque edidit, non tamen vera, ſed vero ſimilia ab oratore requirat?

Quid plura? Ipſi illi barbati Philoſophi, qui ſe graviſſimo nomine veritatis indagatores appellant, multis animi motibus abrepti, & partium ſtudiis veluti milites auctorati fallaciſſime diſputant; eoque ſe feliciores arbitrantur, quo plures adoleſcentes, magiſtrorum fallacias in ipſam poſteritatem propagaturos, inducere poſſunt. Neque vero ſiquis eſt ita ſolers & acutus, ut ſibi nolit imponi, fraudum iſti ac fallaciarum artifices quippiam de ſolita contentione remittunt. Satis illis eſt, ſi plures in errorem inducant: populo canunt, non Platoni; nec hominum de ſe judicia ponderant, ſed numerant. Id utrum recte faciant, nolo in præſenti quærere; ſed tamen quandoquidem faciunt, eorum artes explorare lubet, ut quantum quidem ætatis hujus noſtræ imbecillitas patitur, populares inſidias nobis caveamus. In quo primum facilitate veſtra indigemus, deinde vero ſapientia; ut cum patienter tuleritis nugas noſtras, ipſi talia reponatis, qualia argumenti gravitas poſtulare videtur. Id a vobis præſertim ſperamus, NNNN. quos ex inopinato ſedentes hoc in loco conſpicimus. Neque enim, opinor, tantam hanc incommodiſſimi temporis moleſtiam animo tam æquo ferretis, niſi magno quodam erga litteras amore, & aliqua etiam erga nos benevolentia duceremini.

SILVA.

STilum veſtrum in eos expedire debetis, qui ſe populo venditant, idque laborant, ut ſapientes habeantur, quamvis nullam operam nul-

lum-

lumque laborem impenderint in comparanda ſapientia.

Initio quidem explicabitis, quid nomine populi intelligatis, quæ vox non plebem dumtaxat comprehendit, ſed nobiles promiſcue atque ignobiles, tum viros quoque principes, ſi ſint indocti.

Turba hæc magis ſpecie rerum ducitur, quam rebus ipſis. Itaque mendacia ingenioſe colorata plus valent apud illam, quam ſimplex ac nuda veritas: Medicum probat garrulum, Philoſophum contentioſum, Cauſſidicum impudentem, Militem jactabundum; quo quidem genere hominum quid frequentius?

Nihil facilius, quam in eos cœtus cooptari, quas litterarias Academias vocant. Cum quis tamen eo loco ſedet, tamquam ita demum Muſis initiatus, ſtatim cum litteratis numeratur. Advenit ſolemnis recitationis dies, tota urbe diſcurritur; vix unus aut alter de ſuo: hoc tamen populo ſatis.

Quid ſiquis libellos aliquot ſibi comparet? quid ſi pauca quædam magnorum virorum nomina memoriæ mandet? quid ſi publicas acroaſes frequentet, in iiſque caput belle moveat? Apollo eſt.

Sed inter omnia hujuſmodi fallaciarum inſtrumenta nullum potentius eſt opibus, quibus & fama ſapientiæ, & laudatores, & teſtes facili negotio comparantur. &c.

AD GRÆCAM INTERPRETATIONEM.

De ſimulationis & fallaciæ bonis.

FAllendi ars vetuſtiſſima eſt ; & ex quo virtus cœpit eſſe, virtutis ſimulatio fuit. Qua de re adeo nihil querendum judico, ut etiam miſeram ejus civitatis conditionem putem, quæ iſtiuſmodi vitio caret. Apparet enim in nullo pretio veram laudem eſſe, ubi nemo eſt, qui eam fallaciter imitando ſimulet. Illi tantum numi adulterari ſolent, quibus publica forma & auctoritas eſt. Miror equidem, Juvenalem tantopere doluiſſe Sat. 2. quod eſſent Romæ qui *Curios ſimularent, & bacchanalia viverent*. Quam enim hæc ſignificationem habebant, niſi probitatem & honeſtatem in ea gentium omnium patria tanti fieri, ut illi etiam, qui ad vitia profligatiſſimi erant, tamen ſe Curiorum ſimiles videri mallent? Non tanta eſt virtutis oſtendendæ cura, ubi vitia valent & dominantur. Sed ne a litterulis noſtris longius abeamus, vix dici poteſt, quanta ego lætitia exultem, cum video in aliqua civitate opifices quoque ac ſellularios ſcientiæ opinionem aucupari. Neque enim ſe tamquam ſcientes venditarent indocti, niſi crederent in honore eſſe, qui vere ſciunt. Quoties tibi ſe tamquam magnos hiſtoricos jactabunt, quos tranſalpinæ ephemerides erudierunt? Attamen patere. Quoties Gellium cum Cicerone component; quoties de

Sal-

Salluſtio tamquam de Poeta loquentur; quoties tempora temporibus, nomina nominibus mutabunt, *delphinum ſilvis appingentes, fluctibus aprum?* Attamen patere. Sed vide, quam te velim ad patientiam comparatum. Tum quoque illos ſine faſtidio aſpicere debes, cum viros Principes inducunt, ſuaque illis mendacia venditant. Grave eſt hoc, nec facile ferendum; verumtamen ita fiet, ut tuam tibi fortunam gratulere, regiaſque opes contemnas, quæ talibus inſidiis obnoxiæ ſunt.

GRATIARUM ACTIO.

MUlti ſe vobis bene gratos carmine præbent;
Sed mirum, ſiquis vera Poeta canit.
Qui nullas veſtro reddit pro munere grates,
Scilicet is pretium muneris omne videt.

COMMISSIO VII.

Jucundius eſt reprehendere, quam laudare; ſed tutius laudare, quam reprehendere.

PROOEMIUM.

QUidam ſunt ingenio tam difficili & acerbo, ut omnes hominum actiones ægre ferentes, quidquid vident, quidquid audiunt, promiſcue reprehendant; rurſus alii tam bono ac facili, ut

omnia ad laudem convertant. Utrumque mea quidem ſententia malum: nam neque reprehenſore vitia carere debent, neque virtus laudatore; ut æqui & iniqui diſcrimina appareant, habeantque homines officii ſtudioſi atque honeſtatis, quid ſequantur, ac fugiant. Pejus tamen illud, quod a reprehenſione proficiſcitur: nam laudare omnia levitatis eſt; at reprehendere intolerandæ cujuſdam malitiæ, quæ odia inter homines ſerit, eorumque ſocietatem & communionem, alterum in alterum armando, diſſolvit. Ac ne ſilere quidem prorſus laudabile eſt: oportet enim hominem ratione & voce præditum non quaſi mutum animal vivere, ſed de rebus humanis judicare, colloqui cum altero, turpia & honeſta perpendere, probare, improbare. Qui medium noſſe ac tenere poteſt, is mihi eſt ſapientiſſimus: proximum locum tenet, qui minimum peccat, vel in ea parte peccat, quæ minus periculi habet. In hanc rem totam quædam de more afferimus, ſed nihil prorſus aut veſtro judicio, aut loco dignum. Et multi quidem ſe modeſtiæ cauſſa initio ſtatim abjiciunt, ut in ipſa exercitatione tanto magis excellant: nos hoc uno fortaſſe laudandi erimus, quod de noſtra infirmitate vere ingenueque fatemur.

SILVA.

DUplex erit orationis pars.

Ad primam hæc pertinent. Quia qui reprehendit, videtur eſſe quodammodo judex ejus, qui reprehenditur.

Se-

Secundo, quia ex vitiis ejus, qui reprehenditur, magis apparet præſtantia & virtus illius, qui reprehendit.

Tertio, quia qui reprehendit, ſibi videtur acutus & perſpicax, atque adeo etiam urbanus, ſiquidem poſſit cum aliquo ſale aliena peccata notare.

Quarto, quia reprehenſor ſibi videtur rem gratam audientibus facere; quippe omnes libentius reprehenſionem aliorum, quam laudes excipiunt.

Ad ſecundam hæc. Quia qui reprehendunt, inimicos; qui laudant, amicos ſibi parant. Quo referri Terentianum illud poterit Andr. I. I. 41. *Obſequium amicos, veritas odium parit.*

Secundo, quia laudatores facile inveniunt, qui ſeipſos quoque laudent, reprehenſores frequenter in reprehenſionem incidunt.

Tertio, quia qui reprehendit, facile modum excedit; qui laudat, non item, aut ſi excedit, nullam injuriam facit.

Quarto, quia neminem umquam laudaſſe pœnituit; reprehendiſſe, permultos. Hic commemorare poteritis infelices eorum exitus, qui ſe ſatyris ſcribendis dediderunt: & ne longius abeatis, infandam Ciceronis necem referetis, quam certe ſibi ipſe per ſuas Philippicas peperit. &c.

AD GRÆCAM INTERPRETATIONEM.

Epiſtola C. Verris, qua Ciceronem ab inſtituta in ſe accuſatione deterret.

SI eo cœpiſti, M. Tulli, in foro & judiciis tanta contentione verſari, ut te levium adoleſcentum & quadruplatorum agmini nunc demum conjungeres, vereor, ne non ſatis tutam vitæ rationem ad laudem & gloriam, ac ne ad opes quidem inſtitueris. Ad hominum certe benevolentiam nihil eſt importunius. Quo eſt mirandum magis, te petitionis tuæ tempore ad accuſandum deſcendere, & a Cornelia gente inviſæ admodum rei auſpicia capere. Ædilitatem petis; comitia imminent. Itane prenſas? Itane Romanos cives tibi concilias? Nempe Siculi præſto erunt; Siculi pro Cicerone ſuffragia ferent; aderunt tibi gratia & auctoritate Siculi. O te rerum omnium ignarum, ſi neceſſitudinis vinculo neſcio quo ſeditioſis provinciæ ingeniis obſtrictus, non iis modo, quibuſcum eadem in urbe, in foro, in curia vivendum, ſed fortunis etiam tuis bellum indicis! Noli, quæſo, M. Tulli, ſuſceptum ambitionis curſum tute tibi intervertere, ut provinciarum audaciam foveas ad Prætores accuſandos plus nimio effuſam. Jam vero ſi principes civitatis ad dicendum idonei ſociorum querelas temere excipiant, & in judicium deferant, profecto neque Curiis, neque Catonibus ſalva res erit. Sunt enim adhuc libertatis me-

memores, verbo ſocii, revera populi Romani hoſtes; cumque ipſi per ſe non poſſint, id contendunt, ut nos per nos ipſos inteſtino bello conficiant. Vide ergo etiam atque etiam, diligenterque conſidera, utrum alienis morem geras, an tuis; Siculis ne, an Verri. Aliunde quid ſperes nec ſcio, nec ut ſciam, valde laboro. Ego certe, ſi evadere per te potero, id efficiam gentis opibus, amicorum gratia, & quod his temporibus caput eſt, pecuniarum largitione, ut in Comitiis tuis nihilo plus a Quincto Fratre deſideres. Novi equidem magnanimi viri ingenium, qui malis omnibus Reip. carere honoribus, quam ulla re niti præter virtutem & honeſtatem. Sed tamen ut libere fateamur quod res eſt, priſca illa prenſandi ſimplicitas, & frigida majorum ambitio in Campo obſoleverunt; & ipſi illi integerrimi libertatis auctores, Bruti ac Valerii, ſi in hæc tempora incidiſſent, ſæculi moribus communique conſuetudini inſervirent. Cum enim hæc una ad Præturas & Conſulatus via reliqua ſit, operæ pretium eſt vel invitos huc pertrahi bonos cives, ut quoquo modo ab improbis Reip. adminiſtrationem vindicent. Siqua ergo in nobis præſidia eſſe putas ad civium Rom. ſtudia & voluntates conciliandas, ea potes hoc tempore demereri omnia. Sive enim delationem Cæcilio concedas; ſive judices ex compoſito rejicias; ſive demum in ſequentem annum cauſſam produci ultro citroque diſputando patiaris; & amice facies, & ſine ulla clientum ſuſpicione facies. Interim vide, quam de animo tuo nihil dubitem, qui ſtatim fiſcos tibi aliquot recte obſignatos per puerum

rum mitto, quos Comitiorum nomine diſtribuas. Sic ea tibi adjumento futura ſunt, quibus ſi uti nolis, oppugnabere. Itaque conſule non mihi modo, ſed tibi etiam multo magis, rebuſque tuis. Mihi ſiquidem in hoc judicio nihil te amico periculi comparatur, te inimico parum. Satis enim intelligis pro tua ſapientia, & rerum forenſium uſu, quid nobis præſidii in Hortenſio, quid in Metellis, aliiſque ſumma auctoritate viris, quid in civitatibus Siciliæ non unis, quid denique in cauſſa ipſa futurum ſit. Sed jam familiaris epiſtolæ modum pæne exceſſi. Vale; & reputa, mihi quidem, ut omnia cedant improſpere, nihil impendere gravius exilio: at vero eas eſſe noſtræ familiæ opes, ut & amicorum beneficiis, & inimicorum injuriis paria rependere poſſimus.

GRATIARUM ACTIO.

Non nos pro veſtro referemus munere verba.
In tacito melius gratia corde ſedet.

COMMISSIO VIII.

Litterati ſolent eſſe mites.

PROOEMIUM.

Qui de vitiis ac virtutibus craſſius judicant, nec inter lenitatem, ac lentitudinem ſatis diſtinguunt, putant ſapientem hominem omni prorſus ira vacare oportere, omneſque injurias ut-

utcumque illatas fatue ſtolideque tolerare. Hinc non defuerunt, qui Zenonem Eleatem valde reprehenderent, quod conviciis petitus non conticuiſſet; quaſi vero philoſophica præcepta non animi perturbationes, ſed animum ipſum retunderent, & ad ſervilem patientiam abjicerent. At ille, quomodo, inquit, laudes ſentiam, ſi convicia non ſenſero? Non igitur inſitos naturæ ignes virtus extinguit, ſed moderatur; iſque demum manſuetus ac mitis eſt, qui ab omni tumultu liber eatenus iraſcitur, quatenus ratio poſtulat. Habetis, Auditores, quid revera ſentiamus, cum literatis hominibus lenitatem tribuimus, qui ſi omni motu iræ carerent, & ἀναίσθητοι eſſent, ne litterati quidem appellari poſſent; quippe illo inſtrumento ſpoliati, quo ingenium acuitur & accenditur. Res eſt hujuſmodi, ut non facile ab adoleſcente tractari poſſit: me tamen ideo conari juvit, tantumque diſcrimen ſubire, quod cogitarim non poſſe vos, qui tam multa ſapientia litteriſque floretis, mecum agere niſi mitiſſime.

SILVA.

ARgumentum hoc ejuſmodi eſt, ut primum more & exemplis, deinde ratione explicari debeat.

Videmus igitur litteratorum ingenia leniſſima eſſe, & ad timendum potius, quam ad audendum prona. Multa hoc in genere de Cicerone ac Demoſthene narrantur, quæ eos ab armorum ſtrepitu valde alienos fuiſſe ſignificant; quamvis uterque in acie fuerit, alter vero etiam exercitum

du-

Digitized by Google

duxerit, ſeque Imperatorem appellandum curaverit.

Ratio ea videtur eſſe, quod litterarum ſtudia molliunt animos, & humanitatis memores faciunt.

Juvat ad iram moderandam, ex Philoſophia didiciſſe, quam gravis morbus ſit; quantopere ipſi noceat, in quo eſt; quam hominem ratione præditum dedeceat, feriſque ſimilem reddat, &c.

Accedit vitæ genus, quod litterati ducere ſolent, umbratile ac remotum a turbis, quæ homines ad iram inclinant.

Hinc puellas litterarum præſides fecit antiquitas, eaſque in altiſſimo jugo collocavit procul a rerum humanarum curis & ſollicitudinibus; ex quibus fere *ſurgit lutea bilis*. &c.

AD GRÆCAM INTERPRETATIONEM.

VEtus eſt barbarorum accuſatio, Muſarum ſtudia animum frangere. Hinc narrat Procopius, Gothos proceres nullo pacto permittere voluiſſe, ut Amalaſuntha eorum Regina filium Athalaricum litteris imbueret. Quid vero Gothos appello? Licinius ipſe Romanorum Imperator adeo litteris hac una de cauſſa infeſtus fuit, ut eas virus ac peſtem publicam appellaret. Horum non dicam hominum, ſed brutorum ſtultitiam ſatis arguit Julius Cæſar. Quis illo fortior, quis item ex omni antiquitate doctior? Nemo plura bella geſſit, nemo plures victorias retulit, nemo ma-

majus imperium occupavit. Idem tamen cum hæc ageret, ſuos illos Commentarios ſcribebat, quibus nihil eſt in tota latinitate elegantius. Quid Cicero, alter, ut ita dicam, litterariæ Reipublicæ Conſul? Nonne is quoque & Pompeji caſtra ſequutus eſt, & ipſe exercitum duxit, & Imperator eſt appellatus? Ergo litteræ cautos homines faciunt, non timidos; lenes, non ignavos.

GRATIARUM ACTIO.

Reddimus en nullas veſtro pro munere grates.
Qui poterit nobis parcere, mitis erit.

COMMISSIO IX.

Magnum eſt in paupertate ad bonas artes acquirendas profitendaſque impedimentum.

PROOEMIUM.

Nihil eſt in orbe terrarum, quod pluribus conviciis ac maledictis petatur, quam pecunia; nihil item quod magis anxie avideque paretur. Si Senecam audis, pecunia peſtis eſt, curarum parens & origo, vitiorum adminiſtra, ſatelles malorum omnium, hominibus in pœnam conceſſa, ut ſeſe ipſi non habentes habenteſque excruciarent. Interim tamen nemo Seneca ditior: prædia ruſtica, & urbana ſupra modum privatæ for-

fortunæ; equi, ſervi, ſtatuæ, horti, vis auri & argenti tanta, quanta Imperatorem, orbis terrarum dominum, movere poſſit, & ad prædam allicere. In hac rerum omnium copia paupertatem laudat, quæ animi libera, quæ ſecura & expedita, quæ paucis contenta, quæ ad philoſophandum aptiſſima. Dii boni! Tune is, Seneca, eſſes; aut omnino Senecam eſſe homines ſcirent, niſi per commoda iſta ad philoſophiam perveniſſes, tuamque ſapientiam divitiarum ſplendore illuſtraſſes? Philoſophiam dico; non Cynicam illam in reprehendendo poſitam, cetera inertem, ſordidam, dolioque & Diogene dignam; uno verbo Senecæ Philoſophiam, quæ & aulæ par ſit, & conviviis interſit, & jocis delectetur, & vivere homines cum hominibus ſinat. Huc qui contendit, næ ille multis ab ipſa pueritia indiget, in primis vero ſchola & magiſtro, quæ maximo fere impendio conſtant. Fac porro te feliciſſimo ingenio præditum per omnia paupertatis incommoda evaſiſſe, & ad aliquam cognitionem, diis hominibuſque juvantibus, deveniſſe. Quid tum inde? Quot quantiſque fortunæ adjumentis opus eſt, quibus amicis ac patronis, quanto otio, quam multis libris, ut aliorum judicio ſatisfacias, eumque te omnibus probes, quem eſſe revera ſentis? Toga ipſa ſuas partes agit, annulus, ædes, comitatus; quibus deficientibus, jacere ingenia vel laureata neceſſe eſt, moliſque ac tabernis operam dare. Nemo Medicum advocat, cui trita lacerna ſit; nemo litem ad Cauſſidicum defert, cujus facundiam non ampla domus opibuſque referta commendet. Bene ac feliciter in hoc argumento

Sa-

Satyricorum princeps Juvenalis verſatus eſt, cujus ingenium placet nobis hodierna exercitatione imitari; non quod ſimilia fieri poſſe putemus præſertim ab adoleſcentibus, ſed ut rem natura ſua veram, ſæculiſque omnibus exploratam magis magiſque confirmari ætate moribuſque noſtris oſtendamus.

SILVA.

DUplex difficultatis genus perpendere debetis, quod pauperi impedimento eſt, ne poſſit emergere, & in hoc quaſi theatro litterarum ſuas partes agere.

Prima difficultas eſt in litteris ac diſciplinis acquirendis, eaque primam oratiunculæ veſtræ partem conſtituet; altera in profitendis, quæ partis alterius argumentum erit.

Pars I. Hic explicare debetis, quanti prima inſtitutio conſtet: nam pueri, quos proficere in litteris volumus, domo ablegandi ſunt; & in iis locis qualibet impenſa collocandi, in quibus neque optimorum magiſtrorum copia deſit, neque frequens exercitatio, neque æmulatio, &c.

Tum paullatim progreſſi ad ſtudia, quæ majora dicuntur, oſtendetis, quibus facultatibus opus ſit, ut quis librorum ſupellectilem ſibi comparet, ut in celeberrimis Academiis præſtantes viros audiat, ut publicas exercitationes de more habeat, iiſque titulis ornetur, quos majores noſtri ſapientiſſime inſtituerunt, ut doctos ab indoctis etiam vulgus diſtinguere poſſet.

Ex his & ſimilibus recte expoſitis apparebit, quan-

quantum ſit ad bonas artes acquirendas in paupertate impedimenti.

Pars II. Sed fac aliquem acquiſiviſſe: cui, quæſo, bono erunt? ſibi uni ſapiat neceſſe eſt, ſuaque in umbra vivat, qui opibus caret. Nam ne ad eos quidem gradus, quos Sapientes occupant, vel occupare debent, niſi per numos aſcendi poteſt. Hic vero cavete diligenter, nequid nimis odioſum attingatis.

Quid ſi emittere lucubrationes ſuas velit, & hominum judicia ſubire? Num ad typographum accedere poteſt ſine pecunia?

At enim vel Medicinam facere, vel in cauſſis judiciiſque verſari poterit, unde opes comparantur. Ita videlicet, ſiquis vellet aut Medico uti pannoſo, aut Cauſſidico.

Neque vero hoc ad ſæculi mores referendum; quæ communis quidem, ſed vetus & vana querela eſt: cujus rei vobis argumento erit Satyra Juvenalis VII. Quippe ipſa rerum natura ita ferre ſolet, ut cui ad vitam commode ducendam neceſſaria deſunt, is animo depreſſus atque abjectus, nihil eximium proferre poſſit.

Artes aluntur laude; at paupertas ridiculos homines facit. &c.

AD GRÆCAM
INTERPRETATIONEM.

SI felicitas venalis eſſet, nemo niſi dives feliciter viveret. Quamquam divites fere omnes ita ſunt avari, ut ne ipſam quidem felicitatem em-

emturi videantur, ſi emi pecunia poſſit. Itaque ſumus omnes infelices; pauper laborat, ut aliquas opes acquirat, dives ut plures; ille nequit uti, hic uti renuit. Et hujus quidem major calamitas: neque enim mirum eſt pauperem appetere pecuniam, qua caret; quemadmodum non eſt mirum, ſitire convivam, qui nondum bibit. At divitem inhiare pecuniæ, ejuſque cupiditate contabeſcere, hoc vero quid eſt aliud, quam illum, qui immodice bibit, adhuc ſitire, nullaque ratione expleri poſſe? Sitis hujuſmodi morbus eſt, & quidem inſanabilis, quia cupiditas ſuperfluorum infinita eſt. Paupertas ſi morbus eſt, facile ſanatur; quia neceſſaria pauca ſunt & parabilia.

GRATIARUM ACTIO.

Reddere pauperie prohibemur munera vobis.
Sic ea pauperibus, divitibuſque nocet.

COMMISSIO X.

Litteratus homo non debet latere.

PROOEMIUM.

Diſciplinarum & artium ſtudium ita cum famæ ſtudio conjunctum eſt, ut nemo neque noſtra, neque majorum, neque ulla ſæculorum memoria inventus ſit, qui cum eſſet excellenti virtute præditus, prædicationem nobilitatemque contemneret. Ac ſiquis forte modeſtiæ ſimulatione lucem

ſplendoremque fugit; nobiſque perſuadere conatur, ſatis ſe multa ſcire, ſed hominum judicia famamque deſpicere; hunc ſcitote ignaviæ morem eſſe, ut falſam quamdam moderationis ſpeciem comminiſcatur, qua ſe primum tegat adverſus reprehenſionem, deinde etiam, ſi fieri poſſit, nava ingenia & induſtria in invidiam adducat. Scilicet ubi quis in animum induxit pigram & deſidem vitam agere, nihil eſt reliquum niſi ut vires ingenii omnes, quaſcumque habet, in id conferat, ut ejus vitii notam effugiat, in quo eſt: id autem facere commodius nequit, quam ſi ad proximam virtutem confugiat, ex eaque ſibi perſonam adumbret, quæ minus acutos plebeculæ oculos eludat. Hæc fere illa modeſtia eſt, quam quidam in litteris jactant, non ſibi tantum, aut privato nomine improbi, ſed ipſi rerum naturæ injurioſi, quæ ſenſum hunc laudis & gloriæ præclare agentibus indidit; ut ſi cetera diligentiæ præmia aliquando deſint, hoc tamen non aſſumtum aut adventitium, ſed innatum atque inditum perpetuo illam comitetur. Hoc illi tam inſigne bonum prava opinione corrumpunt; rati, ſe induſtriam tollere poſſe, ſi tam certum probatumque induſtriæ incitamentum ſuo judicio ſuſtulerint. Quod ſiquis forte non nihil valet, & tamen revera ita ſentit, hic quidem non improbus eſt, ſed tamen ſtultus. Sapientia, inquit, ſeipſa contenta eſt; ſplendet ſibi lumine ſuo; non debet ex ore vulgi pendere. Egregie. Tu igitur in tuis latebris ac ſilentio ſapis. At quo teſte? cui bono? quam in rem? Hujuſmodi nempe ſunt avarorum pecuniæ, quæ tam deſunt, ſi adſint, quam ſi non ad-

adſint. Quis mihi lyram laudet, quæ ſemper taceat? quis arcum, qui numquam tendatur? quis ratem, quæ navalibus nondum exierit? Tute tibi habe mutum hoc ſive ſcientiæ, ſive ſapientiæ genus: ſed interim noli mirari, quod nos non tam ſubtilis ingenii homines hoc, quidquid eſt, inertiam appellemus. Intelligitis, Auditores, quibuſcum nobis præſenti exercitatione futura res ſit; nec vero umquam tantopere de noſtra infantia doluimus, quam hoc tempore dolemus, quo tenebriones iſti ignaviæ patroni conficiendi eſſent. Agemus, pugnabimus, contendemus viribus omnibus; ac ſi nihil aliud, hoc certe efficiemus, ut cognoſcatis, quam vehementi laudis ſtudio ducamur, qui ne has quidem lucubratiunculas latere volumus.

SILVA.

VUlgatum eſt argumentum, quod multis rationibus firmari poteſt, ſed quæ ſequuntur, potiſſimæ ſunt.

I. Quia litteræ debent perficere naturam hominis, non corrumpere; corrumperent autem, ſi ſolitariam facerent; quia homo natura ſua ſocietatem amat.

II. Nullus homo ſibi ſoli natus eſt: ergo multo minus litteratus homo, qui quanto pluribus naturæ beneficiis ornatus eſt, tanto magis debet humanæ ſocietati prodeſſe.

III. Hominibus natura ſermonem dedit, ut inter ſe colloquerentur, & animi ſenſa ad commune bonum inter ſe conferrent. Ergo litteratus

homo, qui optima cogitat, & cogitata optime explicat, non debet mutarum animantium more latere.

IV. Ipſa litterarum doctrinæque natura abhorret a latebris, lucemque poſcit. Quapropter Varro apud Cicer. Acad. 1. c. 1. ait, *Intemperantis eſſe ſcribere, quod occultari velis*.

At enim in alto montis vertice Muſarum domicilium ſapientiſſimi homines, litterarum parentes, collocarunt. Scilicet ſignificarunt, hominis litterati vitam non eſſe valde negotioſam, non tamen ſolitariam. Neque enim ſingulas Muſas in ſingulis montibus ſtatuerunt, ſed omnes ſimul cum Gratiis, & Apolline, & magna præterea illorum frequentia, qui in eam civitatem quotidie contenderent.

V. Litteratus homo non poteſt excellere, ſi careat æmulis, multo vero minus ſi careat amicis. Nam eum & excitari aliquando neceſſe eſt, & moneri, & provocari, &c. Ergo ejus vita non debet eſſe ſolitaria.

Ultimo loco repellite vanas ac ridiculas illorum excuſationes, qui per quamdam δυσωπίαν latere ſe dicunt, ſuæque ignaviæ culpam ad modeſtiam traducunt.

AD GRÆCAM

INTERPRETATIONEM.

GLoriæ cupiditas magnum eſt ad recte agendum incitamentum, nec ullus eam contemſit, quin fuerit ignavus. Hæc ipſa tamen ali-

quan-

Digitized by Google

quando modum excedit, ut in Zeuxi contigiſſe accepimus; qui cum ad ludos Olympicos ſe contuliſſet, quo tota fere Græcia conveniebat, nomen ſuum aureis litteris pallio inſcripſit, ut ab omnibus agnoſceretur. Porro tam alte de ſe ſentiebat, ut quas pinxiſſet tabulas, nullo pretio æſtimari poſſe putaret: ideoque non eas quidem vendebat, ſed donabat. Quod vitium in illo fuit, multi deinde ſunt imitati, virtutem pauciſſimi.

GRATIARUM ACTIO.

MUnera quod nequeat perſolvere debita vobis,
Scilicet idcirco gratia noſtra latet.

COMMISSIO XI.

De urbis commodis.

PROOEMIUM.

SI mihi verba ad ignavos adoleſcentes facienda eſſent, nihil diligentius caverem, quam ne urbem, aut urbanum aliquid laudarem. Cum enim illi tunicatam libertatem vehementer ament, ruſtica otia, aucupia, venationes, acerbiſſime indignantur, quoties audiunt fori curiæque occupationes, Magiſtratus, Scholas, Academias, ceteraſque, ut ipſi appellant, civitatis cruces celebrari. Sed cum apud eos dicam, qui diſcendi ſtudio inflammati, & ad omnem urbanam elegan-

tiam exculti, cum hominibus vivere malunt, quam cum feris, videor mihi magnam inire poſſe gratiam, ſi urbis commoda perſequar, & in aliquo litterarum lumine collocem. Veſtra ſcilicet bona vobis commendo, veſtræque fortunæ gratulor, qui in hac præclariſſimarum rerum communione vivitis, ubi quæ ad ſcientiam, quæ ad virtutem, quæ ad felicitatem pertinent, vobis non modo abundant, ſed, ſiquid hujuſmodi redundare poteſt, plane redundant. In Urbe vivitis origine antiqua, mœnibus ampla, publicis privatiſque ædibus ſplendida, ſolo ac cælo temperatiſſima, multiplici flumine irrigua, monti marique proxima, & quod in primis ex uſu veſtro eſt, omnium bonarum artium ac diſciplinarum libris & magiſtris refertiſſima. Siquis alio cogitet, hunc ego omnis humanitatis expertem ad infeliciſſimum illud vitæ genus redire juſſerim, a quo ſive Oratorum opera, ſive Poetarum, ſive etiam Philoſophorum (nam multi ſibi hanc laudem ſumunt) vetuſtiſſimi homines abducti ſunt, & in hoc veluti corpus conſociati. Illud vero mihi verendum eſt, ne in tam lata atque ubere dicendi ſegete jejunus videar; cui quidem accuſationi ut prævertam, non dicam me eloquentia carere, quæ ab hac ætate poſtulari non poteſt; ſed quod eloquentes ipſi dicere ſolent, inopem me copia factum. Attamen, ut ſpero, induſtriam probabitis, quam ego unam præſtare debeo: nam quod a natura eſt, vires ita ſunt infirmæ, ut ne agello quidem laudando ſufficiant.

SILVA.

MUlta ſunt urbis commoda: ac primum quidem ratione loci, qui ſolet eſſe ſaluberrimus: id enim in primis urbium conditores advertere ſolent. Quod ſi forte natura non ſit hujuſmodi, ignium multitudine purgatur.

Deinde ad mercimonia exercenda opportunus eſt: fere enim urbes ad fluminum ripas, & maritimos portus ſtatui ſolent, ut omnia importari & exportari facile poſſint.

Demum tutus eſt: quia mœnibus claudi ſolet, & adverſus hoſtium incurſus communiri.

Sed multo plura, multoque majora ſunt commoda illa, quæ ex ipſa ſocietate & communione civium proficiſcuntur: quia nemo ſibi unus ſatis eſt ad omnia vitæ officia.

Quo loco explicabitis commoda exercendæ religionis, dicetis de curia, de judiciis, de reliquis magiſtratibus, de artificum & mercatorum collegiis, de academiis, deque iis omnibus, quæ homines hominum cauſſa excogitarunt, ut ſimul vivere poſſent, mutuiſque officiis & auxiliis frui. &c.

AD GRÆCAM INTERPRETATIONEM.

De urbis incommodis.

BEne hercule diſputas: ſed videris tertiam Juvenalis ſatyram nondum legiſſe. Fac, quæ-

ſo, in manus ſumas; & quæ ille de urbanis incommodis narrat, cum tua iſta oratiuncula compone: tum vero judicium feremus. Quod ſi ad fallendum dicis, auditores quæras oportet, qui adhuc in ſilvis degant & glande veſcantur. At nobis nimis quotidie in oculis ſunt ingentes animi corporiſque agitationes, vitia, pericula, morbi, quæ urbanam vitam comitantur, eamque infeliciſſimam faciunt. Magnus eſt curiæ ſplendor: at ambitione contaminatur. Utilis eſt judiciorum adminiſtratio: ſcilicet ſi corruptelis vacare poſſet. Pulchra eſt ordinum diſtributio, & hominum inter ſe ſocietas: ita videlicet niſi contentionibus, calumniis, invidia, malevolentia, ceteriſque urbanis peſtibus corrumperetur. Mercatura commoda eſt: nimirum ſi poſſet carere fraudibus. Nullum profecto bonum nobis oſtendes, quod non aliqua tabe inficiatur. Templa & religiones non tam ſplendide coluntur, quam ambitioſe; litterariæ Academiæ ineptis hominibus, & inſulſis recitationibus affluunt; ædium magnitudo ac frequentia caſibus & incendiis obnoxia eſt; opportunitas loci vicinorum avaritiam & cupiditatem allicit; arces & mœnia bella provocant. Hæc ſunt bona illa tua. Nunc ſi mala referre incipiam, vereor ne ita te commoveam, ut ex hoc loco ſtatim avoles, & in agrum concedas. Sed parcamus l. 1. c. 2. ægrotis; ſiquidem urbani bene multi, ut Celſo videtur, aut ægroti ſunt, aut ab ægrotis parum diſtant.

GRA-

GRATIARUM ACTIO.

GRatia cum Muſis habitare Heliconia fertur,
Urbaniſque locis præpoſuiſſe juga.
Quod ſi forte ſubit, veteres oblita receſſus,
Mœnia, num fallax occupat illa forum?
Sedibus his gaudet, quas non ſprevere Camœnæ;
Scilicet antiqui fœderis uſque memor.

COMMISSIO XII.

Ignava adoleſcentia nihil eſt turpius.

PROOEMIUM.

SOphocles, Iſocrates, Plato, multique præterea Græci Latinique homines, quos in literis conſenuiſſe accepimus, ita ſibi ſcribendi operam ad bene beateque vivendum neceſſariam exiſtimarunt, ut ne in ſumma quidem ſenectute, coram ipſa, ut ita dicam, incumbente ac minitante Libitina, calamo pepercerint. Nimia illa fortaſſe agitatio fuit, & ſi quidem recte judico, extra locum; quod poſtrema vitæ pars longo jam curſu defatigata, contentionem ferre nequeat: ſed tamen cum multi viribus & ætate florentes laborem recuſent, ad annos minus idoneos migrare debuit. Quod ſi parum intenta & operoſa ſenectus non admodum probatur, quid de adoleſcentia dicendum erit otioſa & ignava? Monſtrum

hoc

hoc ſimile eſt ac ſi tellus per nivem & brumam diligenter ſubigatur, anni tempore incaleſcente quieſcat. Ac nos quidem ibi vivimus, ubi ipſa natura loci nullam ætatem eſſe patitur niſi occupatiſſimam. Nihil hic deterius habetur otio; nulla eſt tam fœda lues, nulla labes, nulla peſtis, quæ poſſit cum ignavia comparari. Parietes iſti citius ruent, quam deſides tegant: quia inſtituta ſtudiorum ratio perpetuo labore conſtat; eoque intermiſſo, non jam debilitatur, ſed omnino diſſolvitur. Facile igitur mihi erit in hac exercitatione, quemadmodum jubeor, ignavos reprehendere, inviſum nomen, & omni patrocinio deſtitutum: ſed tamen timide facio, veritus nimirum, ne cum aliquid ingenii infirmitate peccavero, minus benevole judicantibus ipſe quoque ignavus videar.

S I L V A.

QUæcumque de otio dicta, aut ſcripta invenietis, huc omnia, judicio & ratione adhibita, adduci poſſunt. Sed ita efferenda ſunt, ut vim maximam capiant ex comparatione adoleſcentiæ cum reliquis ætatibus.

In eo præſertim operam & induſtriam veſtram collocabitis, ut adoleſcentem aliquem urbane deſcribatis, qui inter noſtras haſce numquam intermiſſas contentiones otiari velit, & per cauſſas malitioſe quæſitas magiſtrorum curam eludere.

Orationem parænesi concludetis, ea omnia commemorando, quæ pudorem ignavo adoleſcenti afferre poſſint; eumque in ſui ipſius ſuarumque virium cogitationem adducere.

AD

AD GRÆCAM INTERPRETATIONEM.

Pro Ignavia.

IGnavus tibi videor: numquid icciroo minus ſapiens? Scilicet ardelionibus inſipientia eſt modeſte agere domi ſuæ; honeſto otio frui; non foro, non curiæ, non ſuis, non alienis moleſtiam exhibere. At hoc noſtro vitæ genere qui delectantur, vacant invidia & inimicitiis, non capite dolent, non diſtillationibus laborant, felices fortunatique ævum longiſſimum ducunt. Et eſſe igitur, & dici ignavum facile patior, ſi Superi terrarum cælorumque domini ignavos fortunant. Apage te cum tua iſta diligentia laboris ac periculorum plena, valetudini infeſta, anxia, ſollicita, æmulis, invidis, inimicis obnoxia. Num pauca tibi videntur humani generis incommoda ab ipſa rerum natura profluentia, niſi ſibi quiſque carnifex ſit, & ad interitum ruat voluntarium? Audio gloriæ nomen jactari: quam vanum, quam inane, quam ridiculum, Dii boni! Hoc vero vel in primis hominum levitatem oſtendit, quorum multi vitam cum gloria commutant, quæ ſiquid eſt, a mortuo quidem percipi nequit. Atqui hoc, quidquid eſt, immortalitatem appellant, ut etiam in ſummo malo ſibi blandiantur. Ego ex mortalibus natus, mortalis æquo animo ſum: idque unum peto, quod, niſi fallor, æquiſſimum eſt, ut mihi inter illos vivere li-

liceat, qui & plerumque tarde moriuntur, & numquam certe ſe ipſi conficiunt.

GRATIARUM ACTIO.

SI bene pugnatum eſt, Muſæ Chariteſque, favete;
Ut ſua pro meritis præmia quiſque ferat.
Si male pugnatum eſt, Muſæ Chariteſque, favete;
Ut melior faciat nobile finis opus.

COMMISSIO XIII.

Litteris deditus adoleſcens debet eſſe vigilans & operoſus.

PROOEMIUM.

SCipionem ferunt dicere ſolitum, ſe numquam minus eſſe otioſum, quam cum eſſet otioſus. Ego vero multos animadverti numquam minus eſſe operoſos, quam cum ſunt operoſi. Ille enim longa conſuetudine obtinuerat, ut ne otium quidem otioſe conſumeret; iſti autem languoris ac deſidiæ pleni vel graviſſima negotia ſocorditer agunt. Fac rurſus, ne in ſæculi offenſionem incidas, Romanam curiam eſſe: quid gravius, Dii immortales? Hic tamen ſedere videas neſcio quid hominum, quibus nihil eſt ſenatorium præter togam. Accedunt vel pœnæ, vel infamiæ metu, & quidem eo tardius, quo ægrius. Ex ipſo ore mo-

motuque corporis ſtatim apparet, quanto otio ac ſocordia diffluant. Prima illis cura de ſubſellio, tum quota ſit hora, & multa ſubinde de itinere, de ſcalis, de publico ſervo querela. Sequitur aliquid de valetudine; ſed inter hæc heſterna crapula feſſis ſomnus obrepit: obdormiſcunt, ructant, cruditates inhalant vicinis omnibus. Tandem Senatus dimittitur, ſurgunt ſemiſopiti, incurioſi abeunt. Tu vero cave homines offendas. O te beatum, inquiunt, qui noſtris laboribus vitam ſecuram ducis. Noli enim de privata conditione dolere: magna cruce cares; nulla eſt Senatori quies. Papæ, nimis exhauſtum laboris eſt; vacationem petant, ætatemque publicis jactationibus ingraveſcentem domeſtico otio reficiant. Hæc aliquis fortaſſe ridebit: ego vero indignationem tenere non poſſum. Nullum enim turpius eſt otium, & homine indignius, quam quod negotii ſimulatione tegitur. Neque vero putetis, Auditores, litterarios ludos hoc vitio carere. Videtis, ut ignavi quidam de ſuis laboribus querantur; lectos deſeri ante lucem; æternas ſcholas haberi; publicas exercitationes privatis ſuccedere; modo Latine ſcribi, modo Græce; ne ipſam quidem menſam lectione vacare; quin etiam ludos ipſos animi cauſſa inſtitutos latina locutione contaminari? Operoſum ſane vitæ genus, ſi ita eſt; ridiculum, ſi adſit laboris fallendi ratio. Surgimus ſcilicet ut inviti ſolent, iterum ac ſæpius urgente monitore; libros in manus ſumimus, ſed tam lente atque oſcitanter, ut ſtatim decidant; non pluteus recte habet; non calamus, non atramentum: monitor interim abit; rurſus obdormitur, donec procedendendo

den-

dente die, præclara illa ientandi hora omnes omnino excitat. Hic vero totus eſt homo, itur, reditur, clamatur, nihil fingi poteſt negotioſius. Sed jam ſchola, magiſter adeſt, animi cadunt; alius capite, alius ventre laborat; hic libros invenire non potuit, illi penſum ablatum eſt; per excuſationes & fallacias tempus ducitur. Itane vero operoſi ſumus? Hæccine adoleſcentis ingenui occupatio? Honeſtius, opinor, Nattæ vivunt ac Nomentani, qui otium & ignaviam ſine fuco profitentur. Hac de re lubet aliquanto copioſius dicere, præſertim cum illos judices habeam, qui non modo ſententia ſua, ſed exemplo etiam, quæ dixero, confirmabunt.

S I L V A.

EXercitatio hæc admodum ab ea differt, quæ vobis ſuperioribus diebus propoſita eſt; ſed illud etiam curare debetis ad dicendi copiam comparandam, ut aliquando rem eamdem ſtilo varietis.

In vigilantia præcipue verſandum vobis erit, quæ quantum ad ſtudia conferat, Cleantis lucerna tantopere celebrata ſatis declarat.

Adoleſcentem porro deſidiæ ſomnique plenum belle irridet Perſius Sat. 3. quam videbitis.

Nullum eſt ingenium hominis tantum, quod efficere aliquid poſſit, niſi viridem ætatem aſſiduis vigiliis exercuerit. Quis enim magis ad eloquentiam factus, quam Demoſthenes; quis magis, quam Ariſtoteles ad philoſophiam? Ille tamen, ut ſcribit Cicero Tuſcul. 4. c. 19. dolere ſe ajebat, ſiquan-

quando opificum antelucana victus eſſet induſtria; hic vero ita, teſte Laertio, cubare ſolebat, ut machina ad id comparata citiſſime excitatus, naturam ipſam ſuperaret, ſtudiumque repeteret.

Ajunt Auroram amicam eſſe Muſarum: nempe ut ſignificent, quæ pars diei ad ſtudia opportuniſſima ſit. &c.

AD GRÆCAM INTERPRETATIONEM.

Fabella.

HOdie mane adoleſcentem conveni juris ſtudioſum, & quidem pro ætate ſtrenuum, ſed ſomno & culcitæ ut qui maxime deditum. In lectulo de more jacebat; vixque impetrare potui, ut ſub ipſum prandium zothecam aperiret, noſque ſalutantes admitteret. Reprehenſionem paraveram; cum ille me ex vultu ipſo intelligens, noli, inquit, ſubiraſci, quaſi vero otioſus decumbam. O vitam juriſconſultorum infelicem! Litem adhuc audivi magno labore animi, necdum video, quomodo ſatis commode dirimere poſſim. Ego vero, quid hoc, inquam, litis eſt adeo gravis, ut ne dormienti quidem parcat? Tum ille: nihil potes cogitare gravius. Adſunt mihi quotidie bene mane feminæ duæ acerbiſſime litigantes: feminam dixi, ſatis intelligis rixoſum animal & implacabile. Altera Pigritia dicitur, altera Diligentia: hæc me ſomno excitat, jubetque ante lucem ſurgere; illa adverſariam arcet, graviterque increpat; & quamdiu inter ſe digladiantur de ſomni

vitiis ac virtutibus, de lecti commodis & incommodis, ego inter utramque judex animi pendeo, nec alterutram condemnare audeo. Prandium interim advenit; Amplius pronuncio. Vide igitur quantæ me curæ vel eo tempore conficiant, cum tibi ceſſare videor. Ad hæc primum riſi; deinde vero indignatus, non modo verbis, ſed etiam verberibus, cum ſe defendere non poſſet, deſidiam tam ingenioſam caſtigavi.

GRATIARUM ACTIO.

GRatia conatur ſi vobis æqua referre,
Nempe ſupra vires eſt operoſa ſuas.

COMMISSIO XIV.

Tardus adoleſcens nullus homo eſt.

PROOEMIUM.

TAm multas identidem perſonas hoc loco ſumimus, ut mirum ſit, adoleſcentis ingenium ætate ipſa tenue atque exile tantæ varietati ſufficere. Modo nos matutinæ ſcholæ de rebus ſubtiliſſimis diſputare jubent, modo ad exotericas exercitationes vocant pomeridianæ; nunc Græca urgent, nunc Latina; interdum ſtantes, interdum ſedentes dicimus; alias interrogamus, alias reſpondemus; nemo denique noſtrum unus homo eſt, ſed veluti Proteus Virgilianus, *omnia transformat ſe ſe in miracula rerum*. Ecce nos hodie

Rhe-

Rhetoras, qui heſterno die partim Theologi, partim Philoſophi videbamur. Satin' ſalvæ, Quinctiliane? Noſti diſcipulos olim tuos, qui te ineptiis conficiebant? Nimium placuiſti tute tibi, cum vappas hujuſmodi excluſiſſes. Adſumus in veteri ludo. Verum ſic habe; nos tamquam tempeſtate delatos huic ſcopulo adhæſiſſe, quem nec libenter tenemus, nec certe tenebimus diu. Tu vero, Naſo, curæ quondam noſtræ, cui partes hodie ſecundas tribuimus, quo animo in ſcenam redis? Age porro Getas cogita: nihil tibi a nobis æque continget calamitoſum. Tua quidem carmina interpretari pro dignitate non poſſumus, at certe non deformabimus. Quid vero ſi ne tua quidem dicere potes, quæ publici juris eſſe voluiſti? Miſereor prolis quondam tuæ; ſed jam a te ipſo emancipata per omnes puerorum ſcholas dudum oberrat, & vapulat. Atqui ego Manibus loquor neque curantibus talia, neque ſcientibus; perinde quaſi ab iis, qui audiunt & judices ſedent, nihil omnino timendum ſit. Equidem video, quam multa verba fieri oporteat, ſi omnem ingeniorum noſtrorum infirmitatem aperire de more velimus, cauſſaſque illas ſingillatim recenſere, quibus ab hac luce deterrebamur: ſed nunc ita ſe res habet, ut cum verecundiæ fines tranſgreſſi, negotium tam grave ſuſceperimus, jam audere naviter, totumque perficere debeamus. Ac ne initio quidem fortaſſe peccavimus; neque omnino verecundia dicenda eſt, quæ adoleſcentes a pulvere arcet. Tarditas & ignavia hoc nomine tegitur, cum qua nos perpetuum bellum ſuſcepimus; in quam ſæpe ex hoc loco declamavimus;

quam hac ipſa exercitatione profligare dicendo ſtatuimus. Si quando labes hæc teterrima (quod in primis Superi avertant) nos quoque inficiet, animadvertite jure veſtro ; in ceteris rebus ætatis hujus noſtræ, atque imbecillitatis rationem habete.

S I L V A.

DEſcribite exordii loco præclaram indolem ejus adoleſcentis, qui experrectus & ad omnia promtus eſt. Ex quo ſequitur, quam miſera ſit ejus conditio, qui in ætate ſuopte ingenio tam fervida vietus eſt ac frigidus. Alteram hanc partem explicate oratorie; & oſtendite, hunc nullum hominem tota vita futurum.

I. Quia in hac prima ætate prodit ſe natura, & ſignificat, cujus ingenii ſit, quantum poſſit, quid valeat; quæ ſi ſopita eſt, quando, aut quomodo excitabitur? Quod oſtendi poteſt a ſimili; nam fere ex aurora primoque diluculo totius diei ratio & natura dignoſcitur.

II. Quia cum in adoleſcentia ſpiritus celerrime agantur, is aut paucos, aut hebetes ſpiritus habet, qui tarde movetur.

III. Quia hæc ætas nulla re alia commendatur, quam vivido naturæ impetu, qui eſt ingenii index, unde omen in reliquas ætates capere ſolemus.

IV. Quia qui friget in adoleſcentia, deficientibus ætatis flexu ſpiritibus, reliquum eſt, ut ſtipes in ſenectute fiat.

V. Denique quia tarditas in aliis ætatibus excuſa-

cuſari poteſt *ſpecie virtutis & umbra*: In adoleſcente nullam habet excuſationem. &c.

AD GRÆCAM INTERPRETATIONEM.

Pro tarditate.

DUm vitas tarditatis notam, vide ne ſubeas levitatis. Proverbium eſt apud Varronem, Romanos ſedendo vincere; inde ortum opinor, quod Fabius Maximus Hannibalis vires juveniliter exultantis, & pugnandi locum impatientiſſime quærentis cunctando fregerit. Nullum quadrupes eſt humano generi utilius quam bos, nullum item tardius. Qui nimium properat, ſerius abſolvit. Itaque citius equi caudam depilat, qui ſingulos pilos digitis excerptos paullatim evellit, quam qui omnes ſimul, utraque manu compreheñſos, uno impetu conatur educere. Ajunt canem feſtinantem cæcos parere catulos: quod quemadmodum ſe habeat, videant naturæ exploratores. Quid igitur agendum? In omni vitæ ratione difficile eſt terminos illos invenire, *quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum*. Cura ne nimium juvenis, neve nimium ſenex videaris; &, quod Græci dicunt, *Feſtina lente*.

GRATIARUM ACTIO.

GRatia, quid ceſſas vetulæ male mobilis inſtar?

Et tamen æterno flore puella viges.
Gratia non grata eſt, quæ dat ſua munera tarde:
Unum ſi dederis, da cito, bina dabis.

COMMISSIO XV.

Multa multis condonare oportet.

PROOEMIUM.

SÆpe mecum ipſe cogitavi, quo tandem fato loci hujus exercitationes regerentur, in quibus nihil umquam auditur, niſi jurgia & accuſationes, perinde quaſi quidquid huc affertur, ipſa ſoli lue ſtatim corrumpatur, nullamque ſui partem retineat, quæ poſſit jure laudari. Ubi quis in hunc pulverem deſcendit, ubi ſe ſiſtit, illico turba omnis in illum; alii ſolœciſmum objiciunt, alii rerum ordinem caſtigant, alii ſenſa non probant; quoſdam vocula offendit, nonnullos etiam litterula; huic dictio non bene ſonat; ille nervos deſiderat; denique modo turmatim, modo ſinguli miſerum adoleſcentem aggrediuntur, verberant, conficiunt. Si legis, non recte pronuncias; ſi recitas, male canis; ſi taces, es ignavus; ſi dicis, nimis audax; omnia demum ad reprehenſionem referuntur. Equidem non diffiteor multa præſertim a pueris in re litteraria peccari, quod niſi eſſet, magiſtris non indigerent: at nimis acerbe judicat, qui nihil putat ab illis promi, niſi errores. *Objicio*, *reprehendo*, *erraſti*, *faciendum erat*, hæ ſunt perpetuæ harum exercitatio-

tationum formulæ. Eſt ne verſiculus, quem ferre poſſis? Agedum lauda, ſi diis placet, mihique animos adde. Lapſus alicubi videor non tam ignavia, quam infirmitate? Ne me ſtatim jugules; remitte aliquid proficere volenti. Ita videlicet in omni humana vita fieri ſolet, in qua niſi veniæ daretur locus, nulla homini cum homine poſſet eſſe ſocietas & conjunctio. Ex quo enim primi parentis labe rerum natura vitiata eſt, ſiquis perfectum aliquid, ſuiſque numeris abſolutum ex omni parte requirit, is mihi ne compos quidem videtur animi. Sed hoc ipſum latius explicabo; ut cum vobis perſuaſum erit in univerſum, multa multis condonari oportere, nihilo plus a me poſtuletis, quam ab ingenio infirmiſſimo debeat.

SILVA.

DIcetis, nihil eſſe in hac rerum univerſitate ex omni parte perfectum, ſed ea bona appellari, quæ minus mala ſunt.

Quod igitur uſuvenit in rebus ceteris, idem de homine dicendum: *Vitiis nemo ſine naſcitur; optimus ille eſt, qui minimis urgetur*. Ergo qui humanæ vitæ ſocietate fruitur, condonare multa debet. Hor. l. 1. ſer. 3.

Quia qui nihil condonare vult, nullos amicos habet: ſtare autem ſine amicitiis humana vita non poteſt.

Quia qui eſt difficilis, nihilque in aliis ferre poteſt, infinitam ſibi invidiam conflat; cumque

ipſe vitiis non careat, vitam moreſque ſuos multorum inimicorum judicio ſubjicit.

Quia neque magiſtratus ſummo jure agunt, ſed ex æquitate multa remittunt.

Quia Deus, cujus ſumma eſt auctoritas, & infinita potentia, tamen erga homines mitiſſimus eſt. Cur non homines erga homines ipſos? &c.

AD GRÆCAM INTERPRETATIONEM.

Pro Severitate.

TAnta eſt aliquorum in peccando temeritas & pervicacia, ut vel a mitiſſimis pœnas extorqueat. Nam clementia quoque ipſa ſuos terminos habere debet, ut virtutis nomen & rationem tueatur. Neminem puto ex omni antiquitatis memoria ad parcendum fuiſſe proniorem, quam Alexandrum Romanorum Imperatorem: quem unum iccirco ex omnibus nomino, quod non fatuitate aut inertia, ſed ratione & conſilio talis fuerit: ſiquidem ſuapte natura ad ſeveritatem ferebatur, unde illi *Severo* nomen. Cum cognoviſſet, Camillum quemdam Senatorem res novas moliri, ut tyrannidem occuparet, primum quidem ad ſe vocato gratias egit, quod reipublicæ curam ſponte ſuſciperet; deinde in Senatu imperii participem appellavit: tum ne quid joco facere videretur, in ædes Palatinas recepit, Imperiali veſte ornavit, & menſæ adhibuit: donec ipſe in expeditionem profectus, renuentem ſequi, & impe-

pe-

perium abdicantem ad ruſtica otia dimiſit. Hunc tamen ipſum longo poſt tempore Imperatoris juſſu occiſum hiſtorici narrant. Quid rurſus peccaverit, non conſtat; ſed certe Alexandri patientiam fatigavit. Quod cum reputo, ſic ſtatuendum exiſtimo, quemadmodum in corporibus, ita etiam in animis morbos eſſe quoſdam, qui ſine ferro atque igne curari nequeant.

GRATIARUM ACTIO.

MUlta igitur multis debent peccata remitti:
Lex pulchra eſt, nobis non tamen æqua ſatis.
Omnia ſi pueris jubeat peccata remitti,
Quæ nobis placeat, non erit ulla magis.

COMMISSIO XVI.

Improborum felicitas non poteſt eſſe diuturna.

PROOEMIUM.

SI, quam Græci dicunt ἐθελοθρησκείαν, hominibus concederetur, varios ſibi quiſque Deos fingeret, & pro diverſis cupiditatibus plane ridiculos. Mirabile dictu eſt, quam nihil ſibi inter ſe conveniant ne duo quidem homines de re tanta, atque adeo ne unus quidem ſibi ipſe in tota vita. Adoleſcens enim læta numina facit & ad indulgendum prona; vir gravia & honorum cu-

Digitized by Google

pida; ſenex callida & rebus ſervandis intenta; denique ut cujuſque negotia pro temporum varietate ferunt, modo facilia, modo ſevera, nullaque in re ſibi conſtantia. Quid quæritis? Illi ipſi, qui probi ſunt, & pro conditione rerum humanarum etiam prudentes, nonnumquam tamen de Superis queruntur, quod latrones, proditores, adulteri diutius floreant, quam ipſi pati poſſint; & ſua conſilia quodammodo cæleſtibus opponunt. Etſi divina humanis rationibus penſitanda non ſunt, nobis tamen in mentem venit, hac ipſa de re hodierna exercitatione diſſerere; & improborum felicitatem, quæcumque ſit, in medium vocare. Magna vero res, & adoleſcentis ingenio longe major: niſi quod auſpicio juſſuque præſtantiſſimorum virorum conantibus nihil omnino difficile videri debet. Favete igitur, Auditores, cum ea, qua ſemper conſueviſtis humanitate, tum ſingulari aliqua, & in præſens diſcrimen accommodata, nequid indignum divina providentia pro noſtra imbecillitate dicamus.

SILVA.

DIcetis in exordio non eſſe temere judicandum de Divina providentia, cum videmus improbis hominibus recte eſſe: nam fere in altum tolluntur, ut graviore caſu ruant. Tum cauſſas & rationes perſequemini, quibus felicitas corrumpi ſolet, niſi ſit cum virtute conjuncta.

I. Igitur nihil poteſt eſſe diu, quod a fortuna pendeat, non a ratione: improborum autem felicitas fortunæ munus eſt.

II. Quia, ut refert Cicero ex Nævio Philipp. 2. c. 27. male parta male dilabuntur: nihil enim eſt conſtans niſi virtus, & quod virtute nititur.

III. Quia improbi neque per ſe ipſi retinere fortunam poſſunt, ejuſque bona tueri, quia carent prudentia; neque per alios, quia carent amicis.

IV. Quia intereſt publicæ felicitatis improbos perire, aut jacere; itaque oppugnatores multos inveniunt.

V. Ponite vobis ante oculos Romanos Imperatores, orbis terrarum Dominos. Improbiſſimus quiſque peſſime periit.

VI. Sed eſto. Tota improbi vita felix ſit (ſi quidem felix dici poteſt, quem malefactorum conſcientiæ diu noctuque vexant) attamen felix ſit more ſuo, ſeu potius communi hoc noſtro, qui felicem appellamus, cui plurima ſint fortunæ bona, quid? An hæc diuturna dici felicitas poteſt? Quid eſt, oro, in hoc tam exiguo vitæ ſpatio diuturnum? Manent illum ſempiterni cruciatus, &c.

Hic vero ex Fidei Chriſtianæ regulis oſtendite, quomodo breviſſimam vitæ hujus felicitatem æterna ſupplicia tandem aliquando conſequantur.

Sic porro illa refelli poſſunt, quæ adverſus Deorum providentiam in libro Ciceronis tertio de Nat. Deor. Cotta diſputat, ubi tantopere miratur, Dionyſium tyrannum, poſt natos homines ſceleſtiſſimum, in ſuo lectulo mori potuiſſe; eamque poteſtatem, quam ipſe per ſcelus nactus erat, quaſi juſtam & legitimam, hæreditatis loco filio tradere.

AD GRÆCAM INTERPRETATIONEM.

D*Eorum crimen* (inquit Seneca de conſol. ad Marc. c. 12.) *Sylla Felix*. Nempe Ethnici de Diis ſuis facile judicabant, quos & fato duci, & pugnare ſecum ipſos, & multis perturbationibus agitari arbitrabantur. Nos qui de divinitate ita ſentimus, quemadmodum homines decet ſuperiore quodam lumine illuſtratos, neque infelicitate proborum hominum, neque improborum felicitate movemur, ut de arcana illa providentia dubitemus, quæ cælos terraſque moderatur. Quamquam fere homines in eo falluntur, quod veram felicitatis, atque infelicitatis rationem & naturam non recte metiantur. Hanc enim totam fortunæ bonis & corporis robore definiunt; cum in quadam potius mentis tranquillitate, in fortitudine animi, in omnium dictorum atque factorum conſtantia & veritate ponenda ſit. Ex veteribus Philoſophis nulli minus peccarunt hac in parte, quam Stoici: itaque etiam maxime omnium cum Chriſtianis inſtitutis eorum inſtituta conſentiunt. At enim Seneca, qui Deos criminatur, totus a Zenone eſt. Eſt videlicet a Zenone: ſed ipſe quidem, ſi recte perpendimus, Deos non criminatur. Nam eo in loco ubi invidiam commemorat Diis conflatam ob Syllæ felicitatem, vulgus notat. Imo, ſi Senecam audis, non eſt Sylla inter improbos numerandus, qui arma bene ſumſit, & bene poſuit. Quid, inquiunt, ſi

ſi Diogenes quoque dicere ſolebat, Harpalum prædonem nimis felicem contra Deos teſtimonium dicere? Nempe ex illa, quam profitebatur, Cynica diſciplina, quæ neque Diis, neque hominibus parceret. Nemini umquam Diogenis criminationes periculum crearunt.

l. 3. de natur. Deor. c. 34.

GRATIARUM ACTIO.

MUnera veſtra libens cepi; nec verba requiro,
Debita queis ſolvam. Debeo nempe libens.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLASTICÆ DISPUTATIONES,

Quæ bis in hebdomada in Seminario Patavino publice haberi ſolent.

DISPUTATIO I.

Ad quamlibet Diſciplinam

PROOEMIUM.

NUmquam ſane intelligere potui, quemadmodum fiat, ut cum veterani milites quotidie hoſtem aciemque cupiant, gregarii vero inſolentia rerum exanimati ad quemlibet armorum ſtrepitum de fuga cogitent; in noſtra tamen hac umbratili militia tirones plus animo valeant, quam qui viribus uſuque probati triariorum locum tenent. Ego equidem primis adoleſcentiæ annis in hanc arenam deſcendere juſſus, non ſolum nihil cunctabar, ſed tamquam ad victoriam vocatus, horas ipſas impatientiſſime numerabam, quæ cuilibet ex more atque inſtituto ad ſe com-

paran-

parandum concedi ſolent. Nunc ſeu cognitione periculi, ſeu majore famæ cura ita locum hunc reformido, ut nihil beatius putem, quam latere, aliorumque contentiones procul a ſollicitudine ſpectare, & ex illis proficere. Quam multa tentarim, quam multa moverim, qua arte, quibus precibus uſum ſim, ne huc prodirem, meque aleæ tam periculoſæ committerem, in præſenti non vacat exponere: illud tamen tacere non debeo, me quidquid egerim, non ignavia egiſſe, ſed formidine quadam pugnæ, quæ cum ipſa per ſe difficilis, multarum rerum apparatum & ingenia exercitatiſſima poſtulat, tum vero mihi & valde infirmo, & parum animoſo, & ex tam longa vacatione modo redeunti plane intolerabilis videbatur. Parere tamen neceſſe fuit; in quo deinde ne alacritas quidem defuit, ubi præſertim cogitare cœpi, cum illis rem fore, qui judicia ſua ad æquitatem referre ſolent; omnemque hujuſmodi exercitationem ex cujuſque ingenio, ex loco, ex tempore humani facileſque metiri.

GRATIARUM ACTIO.

PRimus ego, Charites, poſco mihi munera veſtra,
Queis ornem faciles in mea vota viros.
Siqua negare placet, poſtrema negabitis olim.
Officioſæ animæ non bene prima negant.

DIS-

DISPUTATIO II.

Ad Theologiam.

PROOEMIUM.

EQuidem fore non putabam, ut qui alios ridere ſoleo, quotieſcumque de ſuæ diſciplinæ difficultate tam multa prædicant, ipſe quoque ad hunc ſcopulum appellere deberem, aliiſque ludo eſſe. Videlicet id mihi proponitur ad diſputandum, *utrum futurum fuerit, ut Deus humanam naturam ſibi adjungeret, ſi Adam non peccaſſet*: eſtne, ut nobis tamquam in facili negotio blandiamur? Si in iis cognoſcendis, quæ facta ſunt, tantopere alii ſudare ſe atque algere dicunt, quid reliquum eſt, ut ego dicam, qui in ipſa divinæ voluntatis arcana penetrare jubeor; atque adeo voluntatem ipſam quodammodo prægredi, quidque factura fuerit, ſi non feciſſet quod fecit, divinare? At enim illi, qui ſe unos Theologos putant, & locum tam gravem numero ipſo defendunt, in hac ſe diſputatione privatim ac publice frequentiſſime jactant. Ego vero Theologicam hanc multitudinem laceſſere nolo: ſed tamen multitudo eſt. Utinam tam bene cum litteris ageretur, ut Theologi multi eſſe poſſent. Quotidie diſputant, non quidem ut veritas tamquam ex æris lapidiſque conflictu expreſſa refulgeat, ſed ut exire volens, ſuoque ingenio refulgere, barbararum formularum tenebris pluſquam Cimmeriis

riis obruatur. Qui in hoc ſibi perſuadent poſitam eſſe differendi laudem, nihil debent reformidare. Ego qui alio ſpecto, ad hæc tam recondita ægerrime accedo; veritus ſcilicet, ne per ambages ingenii mei non ſolum nihil promam hac luce dignum, ſed ea ipſa, quæ plana ac lucida ſunt, aliqua umbra deformem. Cavete vobis diligenter, Auditores; cavete nobis: neque quidpiam abire ſinatis, quod temere excidiſſe videatur.

GRATIARUM ACTIO.

GRates, Muſa, refer, dixi: tum reddidit illa:
Non eſt feminei Numinis iſtud opus.

DISPUTATIO III.

Ad Theologiam.

PROOEMIUM.

QUi graviſſimas controverſias audire quotidie ſoles (N N) & pro tuo jure diſceptare, miraberis fortaſſe, quid nos tanto rerum ac verborum apparatu ludicrum certamen inſtituamus, quo demum confecto, nihil victores ſupra victos referant; totumque negotium vanis gratulationibus definiatur. Verumtamen ſi reputabis, per fictas has pugnas eo denique perveniri, ubi tu tantopere emines, hoc eſt ad veras & ſolidas recte ju-

judicandas; ſollicitudini huic noſtræ non ſolum veniam dabis, ſed auſpicia quoque tamquam rei graviſſimæ præbebis. Quamquam nihil in Theologico pulvere leve eſt, ipſæque illæ exercitationes, quas reliquæ facultates umbra tegunt, & domeſticis parietibus concludunt, ſi a Theologis ſuſcipiantur, ex re ipſa dignitatem capiunt, & magnorum virorum præſentia dignæ ſunt. Itaque ipſe me tibi potius excuſabo, qui neque ingenio ita valeo, neque viribus, neque uſu, ut rei non exiguæ gravitatem coram Principe ſuſtinere poſſim. Video enim, quam dedeceat ineptire, ubi qui præeſt, dignitate & ſapientia conſpicuus, ſua quadam luce ſubſellia ornat, magnamque verecundiam dicentibus & audientibus offundit. Sed profecto ſi tum denique appellare te debeo, cum paria tibi eniti potero, tardius id æquo, aut numquam fiet. Interim quæ poſſunt a me proficiſci, qualiacumque ſint, humaniter excipe: nam ita quidem fiet, ut ad majora confirmatus ætatem audendo prægrediar; eaque tibi offeram, quæ tuo nomine & patrocinio quadantenus digna, his vero longe meliora judicentur.

GRATIARUM ACTIO.

Audiſti facilis; virtus hæc Principe digna,
Muneribus nullis allicienda venit.

DIS-

DISPUTATIO IV.

Ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam.

PROOEMIUM.

NOndum ſatis moleſtia illa depoſita, quam ex Theologica exercitatione cepiſtis, ecce vos iterum Eccleſiaſtica hiſtoria in hanc arenam adducit, de ſe ſuiſque alumnis judicaturos. Nempe plurimum ſibi ſcholæ noſtræ de veſtra ſapientia & humanitate pollicentur, quæ ſe vobis ſingulæ publice commendant, nullaque tantorum calorum ratione habita, aures veſtras obtundunt. Ea quidem eſt ſtudiorum noſtrorum ratio, ut his diebus abſoluta, aliquam ſibi quærant ex publica luce commendationem: niſi tamen cum primum patientiæ veſtræ periculum fecimus, tam nobiſcum benevole egiſſetis, nemo profecto noſtrum auſus eſſet ruſus deſcendere, veſtrumque animum, renovato certamine, pertentare. Tametſi nova hæc exercitationis ſpecies, inſolitus rerum hiſtoricarum apparatus, minime uſitatæ de antiquiſſimis temporibus quæſtiones nonnullam habere videntur jucunditatem, quam illæ fortaſſe non habent egregiæ quidem ac divinæ, ſed tamen valde protritæ Thomiſtarum & Scotiſtarum diſputationes. Verumtamen de re ipſa utcumque ſit, de me quidem certe nihil polliceri poſſum, niſi tenue atque exiguum; tum quod nemo eſt, qui in tanto difficillimarum rerum diſcrimine audere debeat; tum

quod ego minime omnium ad audendum factus, non modo ſolem ac pulverem, ſed etiam umbram timere ſoleo. Quid igitur? Scilicet tantum mihi eſſe in te præſidium intelligo, Princeps Eminentiſſime, ut præſentia tua confirmatus animos ſumam, magnoque me ſive ardore, ſive impetu in certamen conjiciam. Tu nobis ſi faveas, nihil eſt aliud, quod laboremus; nec vero favere non potes, ubi tuos videas in magno periculo poſitos ope indigere.

GRATIARUM ACTIO.

MUnera non poſſunt æqua tibi lance rependi:
Munera non debent lance minore dari.

DISPUTATIO V.

Ad S. Biblia Polyglotta.

PROOEMIUM.

QUo primum tempore ad hæc ſacrarum litterarum ſtudia vocatus ſum, fortunam incuſare cœpi; quæ me in altum repente compuliſſet, ubi magnam vitæ partem modico fructu jactarer, nihilque mihi perdiu appareret, *niſi pontus & æther*. Exiguus quidem codex ad diſcendum offerebatur; at eum ajebant multis abditiſque linguis deſcriptum eſſe, quas ſimul omnes terribili neſcio quo nomine *Polyglotta* vocabant, æter-

niſ-

niſque voluminibus exaratas oſtendebant. His addebant & Biblia magna, & Criticos Sacros, & Cornelium a Lapide, & Toſtatum, & Ugonem, & Sylveiram, & Lorinum, & alia multa Scriptorum nomina, qui non libros, ſed bibliothecas ad noſtras animulas fatigandas ediderunt. Dii boni, quæ tum me cepit deſperatio! Parui gravate quidem, ut fit, ſed tamen parui, quoniam ita neceſſe erat. Quid tum poſtea? Cum paullo longius proceſſiſſem, facile cognovi omnia initio ad fallendum compoſita fuiſſe; nihilque ſtudiis noſtris planius eſſe, ſi recte inſtituantur. Linguæ multæ ſunt, ſed valde ſibi ſimiles: interpretes prope infiniti, ſed eadem fere recoquentes: volumina immenſa, ſed ſuccus mediocris, & ex uno in aliud minima varietate decurrens: uno verbo, ſi methodus non deſit, omnia in medio poſita & expedita. Neque vero hæc dico, quod putem poſſe me in hac exercitatione facili negotio præſtare: jam enim fateor ante tubas, non eſſe mihi propoſitum, ut contentionibus emineam, a quibus me & voluntas, & exilitas laterum, & verecundia quædam pæne ruſtica cogit eſſe alienum. Sed hæc ipſa, ut ſpero, imbecillitatis pudoriſque confeſſio ab ea me culpa liberabit, qua ſe multi nimio plus fidentes hoc in loco contaminant.

GRATIARUM ACTIO.

MUnera non refero: nimirum fenore nullo
Illecti nobis munera veſtra datis.

DISPUTATIO VI.

Ad S. Scripturam Vulgatam.

PROOEMIUM.

ECce nos Vulgatæ Scripturæ Interpretes, ut nobis quidem videmur, ſatis induſtrii, ut aliis neſcio quibus, deſides & ignavi. Sunt enim quidam nimii obſoletarum linguarum admiratores, qui nullam diligentiam probant in ſacris litteris adhibitam, niſi Græcos & Hebraicos codices complectatur: quorum opinio ſi quidquam habere momenti debet, videtis quodnam judicium non dicam de Scholaſticis ſcriptoribus, ſed de ipſis Sanctis Patribus ferendum ſit; qui omnes, præter Hieronymum, Hebraicis litteris caruerunt, multi vero etiam Græcis. Equidem non intelligo, qui fieri potuerit, ut Deus Optimus Maximus in medio Latio religionis ſedem conſtitueret, nec tamen vellet ad ejus myſteria explicanda Latinas litteras eſſe ſatis. Latinus igitur erit ſupremus religionis Antiſtes atque Interpres, Latinæ ejus conſtitutiones, Latinæ ſacrificiorum formulæ, Latinæ preces; liber vero ille, unde hæc omnia fluxerunt, per quem maxime conſtant, ad quem unum tamquam ad lapidem Lydium exigenda ſunt, intelligi ex toto non poterit, niſi ad Græcos & Hebræos confugerimus? Siqui tantum ingenii habent atque otii, ut multarum linguarum cognitionem comparare poſſint, afferant per me

licet

licet ad Vulgatæ Scripturæ ſtudium non Græca ſolum & Hebraica, ſed etiam Arabica & Ægyptia; ſed a nobis tamen nihilo plus requirant, quam quantum poteſt Latinus homo ad ſacrorum Bibliorum interpretationem divina providentia vocatus. Nam quod de fontibus ajunt, inde puriores latices fluere, quam ex rivis, id a D. Hieronymo petitum eſt, cujus ætate minus aliquanto depravati erant Hebraici Græcique codices, Latinus vero nullus deſignari poterat in magna Interpretum varietate, qui pro certo haberetur. Nunc univerſæ Eccleſiæ decreto quidquid erat in antiquis illis fontibus auctoritatis, in Vulgatam interpretationem derivatum eſt; ut jam nec pervicacibus Hebræis, nec levibus Græcis ad noſtram inſtitutionem indigeamus. Hæc habui, quæ hodiernæ exercitationi breviter præfarer, ut a veteri accuſatione me meoſque aliquando liberarem. Quod ſupereſt, in judicio veſtro conquieſcimus, cui ſane tantum tribuimus, ut, ſi jubeatis, a propoſito ſuſceptoque conſilio ſtatim diſcedere parati ſimus.

GRATIARUM ACTIO.

UTor jure meo, dum carmina bina rependo:
Hoc alias pretio munera veſtra tuli.

DISPUTATIO VII.

Ad Dialecticam.

PROOEMIUM.

VIx egreſſi Rhetorico ludo, necdum ſatis, quid ſit ſyllogiſmus, tenentes, in hanc arenam prodire jubemur, & Dialectici perſonam ſuſtinere. Scimus totum hoc diſcrimen valde leve videri illis, qui craſſiore Minerva rerum nomina capientes, Dialecticos parum abeſſe a Grammaticis putant; quod utrique de verbo ac nomine, eorumque recta inter ſe conjunctione plurimum diſputent. Neque vero nos tam abjectos homines Grammaticos judicamus, ut eorum ſocietatem reformidemus, præſertim ſi illi ad nos accedant, quemadmodum Scioppius fecit, cum ſuam illam Grammaticam Philoſophicam ſcripſit. Ne illud quidem inficiabimur, utramque hanc facultatem in re levi occupari, modo ipſi nobis oſtendant, leve aliquid eſſe, animi ſenſa recte formare & efferre. Sed bona illorum venia dicam; ſiqui ſunt, qui ita ſentiant, vereor ne ingenium habeant ad Dialecticam non ſatis idoneum: nam vel minus apte cogitant, vel ſua cogitata infeliciter exprimunt. Nos ex quo cœpimus hoc in pulvere exerceri, tantum videmus, ut nunc demum homines nos eſſe cognoſcamus, ratione & judicio præditos, ad cogitandum natos, & ad ea, quæ cogitamus, mutuis ſermonibus in-

ter

ter nos conferenda. Quam miſera eſt eorum conditio, qui nondum eo pervenerunt, ut diſciplinæ hujus tam divinæ uſum & utilitatem intelligant! *Ille ſe* (inquit Fabius libro Inſtit. 10. c. 1.) *profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit*. Quod ille in arte dicendi valere putabat, ego ad noſtram hanc cogitandi artem exigua mutatione transferre ſoleo, ratus hunc eſſe primum adoleſcentis progreſſum ad philoſophica contendentis, ſi Dialecticos libenter audiat. Neque enim diffiteor, ab Oratoriis & Poeticis ſtudiis ad hæc noſtra venientibus omnia videri ſtrigoſa, exſucca, frigida, moleſtiarum pleniſſima. Itaque qui porro pergit, & perſpicit intra corticem, ille nimirum Philoſophus eſt, vel Philoſopho proximus: qui nihilo plus capit, quam Grammaticus, vocemque omnem, cujuſcumque ſit ſcholæ, aut magiſtri, ex ſono & ſtrepitu judicat, is redeat ad Priſcianum. Sed de aliis nimis multa: ad me ipſum venio, de quo in primis hodierna exercitatione judicium ferri debet. Equidem nihil habeo, quod pollicear, ne illam quidem, quam omnes ceteroquin hoc in loco jactare ſolent, voluntatem & induſtriam. Ipſe enim mihi vehementer diffido; & quamvis intendam vires omnes, attamen cum reputo, quam longe abſim ab eo faſtigio, in quo laus philoſophandi ſita eſt, non ſolum nihil in præſenti audeo, ſed vix animum majoris ætatis expectatione ſuſtento. Si ullo umquam tempore fiet, ut aliquid poſſim, hujus certe diei recordabor, quo die mearum virium periculum facere incipio, & ex veſtra erga nos benevolentia omen capio.

GRATIARUM ACTIO.

SÆpe fatigantem repulit me Gratia: numquid
Non ſatis eſt, inquit, munera velle dare?

DISPUTATIO VIII.

Ad Phyſicam.

PROOEMIUM.

ARtem illam jam adepti, quæ definitionis, diviſionis, & argumentationis regulis continetur, reliquum eſt, ut ad eas diſciplinas aggrediamur, quarum gratia tria hæc ſciendi inſtrumenta non tam a Dialecticis, quam ab ipſa natura ſunt comparata. In his primum locum tenet Phyſica ſcientia, quæ terram hanc in qua vivimus, aerem quem ducimus, cœlum quo tegimur, uno verbo hominem homini manifeſtat. Nam via & ratio diſcendi poſtulat, ut antequam ad altiſſimas contemplationes erigatur animus, quibus ſapientia conſtare dicitur, quæ ſunt ante pedes, atque adeo in nobis ipſis teneamus; & per hos quaſi gradus ad reliqua contendamus. Atque eo jam loco ſumus, ut otioſorum reprehenſiones, quæ nos in Logicis ſubtilitatibus occupatos fatigabant, non amplius timeamus: niſi forte ab illis quoque cavendum nobis eſt, qui operoſa omnia, quantæcunque tandem dignitatis ſint, improbare ſolent. Nihil ſane præclarum eſt, quod faci-

facile comparetur. Ac ſi quis ſibi perſuadet, per otium & voluptates ad aliquam laudem perveniri poſſe, non dicam Philoſophiæ, quæ primas in ſcholis tenet, ſed artium minimarum, is quidem non noſtra, ſed Medici opera indiget. Ex quo fit, ut eorum voces contemnamus, qui Ariſtoteli ſtudiorum noſtrorum duci & auctori obſcuritatem objiciunt: quaſi vero ille, qui tam clare ac dilucide Moralia & Politica tractavit, eumdem nitorem ad naturalia afferre nequiverit, niſi ipſa rerum conditio repugnaſſet. Quamquam Ariſtotelica omnia obſcura eſſe neceſſe eſt hominibus iſtis neſcio quibus, certe ineruditis, qui cum Græcarum litterarum cognitione careant, coguntur interpretibus uti. Mihi vero Ariſtoteles non modo obſcurus, ſed etiam ineptus ac prope ridiculus videtur, quotieſcumque per interpretes loquentem excipio, præſertim vero illos, qui Scholaſtici dicuntur, genus hominum ad rixas natum, qui neque Græce, neque Latine cum ſciant, Græcos tamen Philoſophos interpretari audent, & latino ſermoni tradere. Dii te perdant, miſer litterator, qui cum me a teneris unguiculis in diſciplinam accepiſſes, tam multa pollicitus, non tamen iis litteris imbuendum curaſti, per quas maxime ad hæc Muſarum ſacraria accedere poſſem. At hoc tibi tamen debeo, tuæque inſtitutioni, quod de re nulla judicare auſim, in qua ipſe uti nequeam judicio meo; quod virium mearum imbecillitatem non diſſimulem; quod non turpe ducam poſt alios conſiſtere, *& quod non didici, plane neſcire fateri*. Itaque ego Ariſtotelis doctrinam admiratus eximiam ac prope divinam, nihil de

ſtili

ſtili obſcuritate dicam, quæ, ſiqua eſt, cum oritur ex rebus ipſis ſuapte natura latentibus & controverſiarum varietate implicatis, tum multo maxime ex ingeniorum noſtrorum infirmitate; qua fit, ut quemadmodum vetula illa, cum oculorum aciem ætate amiſiſſet, de ædium luminibus querebatur, ita nos inſcitiæ noſtræ culpam in ſcholam ipſam & magiſtrum conferamus. Hæc juvit præmonere, antequam de Phyſicis principiis ex ea, quam profitemur, Peripatetica doctrina diſputare incipiam, ut quocum homine vobis futura res ſit, ſtatim habeatis, & judicia de me veſtra in ipſa diſputatione regere poſſitis.

GRATIARUM ACTIO.

GRates nunc agerem, ſed me monet ipſa magiſtri
Regula: nemo poteſt, quo caret ipſe, dare.

DISPUTATIO IX.

Ad Metaphyſicam.

PROOEMIUM.

JAm ibi ſumus, ubi mures ferrum rodunt; cumque ſuperioribus diebus videretur nobis præter modum difficile privati ludi labores ſuſtinere ob eas rerum ambages, in quas more atque ordine hic annus incurrit, nunc in publicum diſcrimen vocamur, de eo reſponſuri, quod nondum

ſatis,

ſatis, ſi libere omnia fateri licet, intelligimus. Videte igitur, Auditores, quantum nobis de veſtra bonitate polliceamur; quæ certe niſi tanta eſſet, non nos ſolum ab hac luce abſtineremus, ſed illi etiam, qui modeſtiam hanc noſtram contemnere ſolent, ſuaque ingenia Muſis opponere. Grave enim eſt loci hujus judicium, tum natura ſua, quia publica judicia omnia periculi plena ſunt; tum vel maxime, quod æmulatione regitur, iique de nobis in præſens judicant, de quibus nos poſtmodum judicabimus. Quod tametſi non cadit in omnes, ſatis tamen multos complectitur; eſtque ejuſmodi, ut infinitam cogitationem accedentibus injiciat, metuque ſollicitos faciat. Verum hæc in univerſum. At mihi præſertim multa timenda ſunt, qui, ſi me cum ceteris confero, vix hiſcere audeam, nedum in eodem ſtare ordine, eadem ſubire certamina, & provocantibus ex æquo reſpondere. Attamen ſua voluntati quoque debet eſſe laus; quæ quidem in me quanta ſit, vel ex eo cognoſci poteſt, quod in hanc dimicationem venio, a qua me ceteroquin ingenii viriumque infirmitas valde deterret.

GRATIARUM ACTIO.

NIl eſt, cur Vobis obtrudat Gratia munus,
Quæ conata alias, non dedit æqua ſatis.

DIS-

DISPUTATIO X.

Ad Catechiſmum.

PROOEMIUM.

ADſumus homines in hujus ſpem Eccleſiæ creſcentes, ut aliqua de Sacramentis diſputemus, veſtroque judicio longe graviſſimo ſubjiciamus. Quid nobis ſtatim, Ariſtotelis alumni, moleſti eſtis? Quid negotium exhibetis, quod res materia conflatas præter fidem & modum extollamus, & ad animos purgandos per miracula nimium nobis familiaria perducamus? Comprimite vocem ſtultitiæ indicem: vos profanum vulgus extra ſacrarium eſtis; ſatis curarum habetis, ſi tandem aliquando ſtatuere poſſitis, utrum culices ex putri, an ex ovo naſcantur. Sua ſe quiſque provincia, ſuis finibus contineat: & quoniam nos pro noſtra æquitate nihil a vobis de veſtris papilionibus quærimus, vos quoque nobis hanc veniam concedite, niſi fallimur, admodum debitam, ut divina oracula ſine invidia proferre poſſimus. Quod ſi minus acuto ingenio præditi videmur, non ideo tamen contemnendi ſumus, tamquam ad cæleſtes inflatus minus idonei; quippe ſatis conſtat, ſupera myſteria fere ſemper ſimplicibus & ineruditis patefieri; ne ſcilicet humanum ingenium nimio plus ſibi tribuat, & cum Diis ipſis Gigantum more pugnare velit. Accipite igitur, Auditores humaniſſimi, quæ nobis de Sacramentis

tis dici poſſe videntur, & facite pro veſtra auctoritate, ut multi nobis ſcholæ hujus fortunam invideant.

GRATIARUM ACTIO.

GRatum carmen erit, ſiquod nunc Gratia pangat:
Gratius at vobis, ſi ſileatur, erit.

DISPUTATIO XI.

Ad Mathematicam.

PROOEMIUM.

DIvinandi ars a Chaldæis, a Græcis, ab Etruſcis, a Romanis ipſis magnopere culta, & inter religiones habita, jam ad Circulatores in forum abiit, nec niſi fatuæ plebeculæ credulitate ſuſtinetur. Ut autem locum illum miſerum, quoquo modo poteſt, tueatur, maximam ſui partem abdicare coacta eſt, auſpicia, oſtenta, oracula, ſomnia; & in paucarum rerum maximeque ſiderum obſervatione induſtriam ſuam continere. Hinc magnum ſibi nomen adſcivit Aſtrologiæ; quo quidem non tam ſeipſam nobilitavit, quam nobis Mathematicis, qui aſtrorum ſcientiam, omnemque rationem, qua oriuntur & occidunt, ſtudio complectimur, injuriam intulit. Nimirum in eo ſe putant commune aliquid habere ſcholæ noſtræ ridiculi Agyrtæ, quod nos quoque imbres, ven-

ventos, tempeſtateſque prædicimus ex vario ſtellarum motu, præſertim vero ex Solis Lunæque acceſſu ac receſſu: ſed nos quidem neceſſarias cæli converſiones commutationeſque conſiderantes, certa ratione ducimur, ut quædam fieri oportere dicamus, quæ niſi fiant, naturalis rerum cognatio diſſolvatur neceſſe ſit. At quid habent ſidera cum theſauri inventione conjunctum, cum amicitiis, cum civili, aut bellica gloria, quæ tibi credulo viro cerdones iſti pollicentur? Non ſum neſcius, prædictiones quoque noſtras a quibuſdam rejici, atque adeo ſtudium omne rerum cæleſtium condemnari: etenim, ajunt, quæ ſupra nos, nihil ad nos. Verum hoc nihil eſt aliud, quam mala malis curare. Ingenia hominum ſuapte natura divina, & altiſſimis rebus contemplandis idonea, quo nequeunt corporei ſenſus pertingere, non ſunt ita opprimenda, ut vel ipſos infra oculos, quibus cælum ſpectare conceſſum eſt, deprimantur. Sibi ipſi injurius eſt, qui de parte ſui præſtantiſſima tam humiliter cogitat. Nos hac in re quid ſentiamus, & quatenus, paucis habete; vos pro veſtra ſapientia totam hanc diſſertationem temperate.

GRATIARUM ACTIO.

GRatia, præterito faciebas diſticha curſu,
  Ut ſolita meritis munera lege dares.
Nunc duplica generoſa modos, tetraſticha pange;
  Ipſa etenim novitas muneris inſtar erit.

DIS-

DISPUTATIO XII.

Ad Moralia.

PROOEMIUM.

QUi hunc exercitationum ordinem inſtituerunt, numquam profecto Moralem diſciplinam cum Theologica conjunxiſſent, ſi reputaſſent, in hæc demum tempora incidendum, quibus nihil eſſet utrique commune. Nam in illa quidem ingenium vel exiguum loco ipſo nobilitatum ſatis elucet; in hac promtiſſimi quoque homines jacere coguntur, & tamquam in abditum detruſi deliteſcere. Neque enim rerum judicia ex rebus ipſis hac tempeſtate fieri ſolent; ex præjudicatis quibuſdam opinionibus, ex fama, ſed ex rumuſculis, ex eorum denique malitia, qui ſe callide venditare, populumque ducere noverunt. Titius moralia tractat: ergo bonus vir, neſcit litteras. Quid ſi ingenio magno ſit? quid ſi Canonicos ac Theologicos libros quotidie volvat? quid ſi gravia quæque ſtudia Moralibus adjungat? Moralia tractat; ſatis eſt ut deſpiciatur. Equidem, Auditores, cum hæc aliquando cogitarem, quovis mihi potius, quam in hanc ſcholam eundum putabam; ubi ſi vel maxime laborarem, nullus tamen perpetuo viderer. Verum cum vos audiſſem, veſtramque hanc rerum diſtributionem diligenter animadvertiſſem, aliam vobis ineſſe mentem cognovi, quam quæ temere

re circumfertur; meque ad eam facultatem libentiſſime contuli, quam vos infra unam Theologiam collocandam judicatis. Utinam vero quod de noſtra facultate dico, de ingeniis quoque dicere poſſem; tantumque nos intelligentia valeremus, quantum Moralis ſcientia dignitate valet. Sed & modeſtia quadam jubemur de nobis pauca polliceri, & revera infirmiſſimi ſumus. Nihil eſt opus multis: ſiquidem & a prima pueritia unuſquiſque noſtrum ex hoc loco ſuarum virium ſpecimen dedit, & patientiam veſtram ſuis nugis ſæpiſſime exercuit. Id unum tibi dicemus, Præſes Illuſtriſſime, nos, etſi mira proferamus, nullo modo poſſe moleſtiſſimi temporis tædia levare: verumtamen ea cogitatio levabit, quæ tibi in mentem revocet, cujus nomen ac perſonam hoc loco ſuſtineas.

GRATIARUM ACTIO.

NOs quoque bis gemino ſolvemus carmine grates,
Moralis Pindo non bene nota cohors.
Quid vos conatum, Vates, ridetis inanem?
Nempe pares vobis nos facit officium.

DIS-

DISPUTATIO XIII.

Ad Juſtiniani Inſtitutiones.

PROOEMIUM.

SI rei cujuſque facilitas allicere in primis juventutem ſolet ad eam ſummo ſtudio amplectendam, nullum eſt artium, aut diſciplinarum genus, quod plures ſui ſtudioſos habere debeat, quam Juris Inſtitutiones. Ita enim illæ immortali viro Jacobo Cujacio planæ & expeditæ viſæ ſunt, ut omnem eorum operam ac laborem valde contemſerit, qui ſe ad eas illuſtrandas contulerunt. Et vero quid poteſt eſſe facilius, quam ea pertractare, quæ quotidiana conſuetudine uſuveniunt, quæ in dictis factiſque totius vitæ verſantur, de quorum ſingulis ſuæ certæque leges editæ ſunt? Quod cum reputo, valde miror, quid tandem Arnaldo Vinnio in mentem venerit nodum in ſcirpo quærere, hoc eſt difficultates in re facillima comminiſci. Sed hinc profecto intelligere licet, quam varia ſit ingeniorum ratio, quamque diverſa diverſi ſentiant. Equidem non diffiteor, me quoque identidem hærere, commentaria conſulere, magiſtri opem implorare: ſed nimirum ætatis infirmitate fit, ut nos ne planiſſima quidem via inoffenſo pede ambulemus. Itaque rogo vos atque obteſtor, ut quidquid in præſenti certamine peccatum fuerit, nobis tribuatis, rem vero ipſam, de qua certamus, ab omni invidiæ ſuſpicione liberetis.

GRATIARUM ACTIO.

Quattuor uſuvenit reddi nunc carmina vobis;
Sed numeri ratio non ſatis apta venit.
Nam ſi tres tantum Charitas fecere Poetæ,
Jam ſine poſtremum Numine carmen erit.

DISPUTATIO XIV.

Ad Juſtiniani Inſtitutiones.

PROOEMIUM.

Non ignoro eſſe multos, qui valde mirentur, ecquid nobis rebus ſacris ac religioni addictis de Jure Civili diſputare conveniat. Hos ego primum moneo, ne de alienis negotiis tantopere laborent; deinde reſpondeo, non nos Jus Flavianum, aut Ælianum tractare, non notis ac formulis actionum impalleſcere, unde nullus niſi litium propagandarum uſus; ſed æqui & iniqui diſcrimina quærere, eaſque leges explicare, quibus omnia juſtitiæ ac virtutis officia continentur. Numquid ita videmur ab inſtituta ratione vitæ diſcedere? At etiam de mancipiis, quæ nulla hoc tempore ſunt; de patria poteſtate, quæ jam exolevit; de parietibus, de luminibus, de ſtillicidiis, quæ vix infimi ſubſellii rabulæ curant, diutinas controverſias excitamus, arguimus, reſpondemus. Si nihil habent gravius quod objiciant, ſal-

ſalva res eſt. Hæc ſcilicet percurrimus, non tractamus; nec vero percurreremus, niſi rebus gravioribus conjuncta eſſent, vetuſtaque & exquiſita eruditione redundarent. Sed nimis multa dicenda eſſent, ſi omnibus ſatisfacere oporteret. Nunc id videndum, quomodo hæc, quæcumque ſint, pro munere ſcholæ noſtræ didicerimus: in quo magis vereor, Auditores, ne nos potius noſtramque induſtriam, quam quæ profitemur, condemnetis.

GRATIARUM ACTIO.

Verba ligata modis veſtro pro munere reddit
Gratia, quæ morum temperat officia.
Ut Vates perhibent, cæleſtia carmina ſi ſunt,
Gratia nil melius, quod dare poſſit, habet.

DISPUTATIO XV.

Ad Catechiſmum.

PROOEMIUM.

Qui cælibatus commoda non recte perpendit, magnum quiddam & beatitati ſimile conjugium putat. Hominis enim natura ita comparata eſt, ſeu potius ita vitiata, ut præſentem explere cupiditatem velit, nihil præterea ſollicita de rebus ceteris. Itaque, non ſecus atque effrenes viribus & ætate equi, adoleſcentum plerique ad

uxores advolant, onuſque pœnitendum temere ſuſcipiunt. Inde impenſæ majores, inde graviſſima cenſui puerorum cohors, inde jurgia, inde divortia, inde infinita prope mala, quibus leges remedia parare conatæ ſunt, ſed pararunt omnino numquam. Illud inter cetera cautum eſt, ut matrimonia recte fierent: nam malum principium ſimiles fere exitus conſequuntur. Hinc illa exploſa, quæ clandeſtina vocantur, quibus faciles plerumque puellæ olim deceptæ jura legeſque fruſtra appellabant. Aut igitur uxore abſtinendum eſt, aut ita quærenda uxor, ut ſine fraude doloque fiat. Id dum oſtendo, favete humaniter, Auditores: non quod ego humanitatem veſtram ullo modo mereri poſſim, ſed quod omnibus paratam eſſe pro veſtra facilitate velitis.

GRATIARUM ACTIO.

OLim conatus Grates deducere Pindo,
  Numine non fauſto diſticha multa dedi.
Poſtea tentavi, numquid tetraſticha poſſent;
  Sed numeros ſprevit Gratia trina meos.
Carmina jam creſcant: poterunt hexaſticha forſan
  Frangere majori ferrea corda ſono.

DIS-

DISPUTATIO XVI.

Ad Moralia.

PROOEMIUM.

SI quis rerum noſtrarum ignarus tantum hunc apparatum aſpiceret; ingentia volumina, ſublimem exhedram, exactores rigidos, magnam ornatamque arenam, frequentiam, ſilentium, expectationem, & quod caput eſt, judicem Eminentiſſimum, is certe gravem ſibi animo certaminis ſpeciem objiceret, agique de Muſarum aris ac focis exiſtimaret. Ubi vero nos in medium vocatos audiret neſcio quid nugarum blaterare, putaret ſe tamquam in Oceani litore Caligulæ mimum ſpectare, cum parata expeditione, machinis baliſtiſque diſpoſitis, indicta denique pugna, adverſus conchas exercitum duxit, in eaſque unas tantarum irarum immerentes impetum fecit. Ita fit, Auditores, ut nos infirmitate noſtra graviſſimæ exercitationis dignitatem minuamus; magnamque vel ex eo commoveamus invidiam, quod non infra ſcholas ceteras detruſi, tum demum prodeamus (quandoquidem prodire juvat) cum alii omnino deſierint. Ac de nobis quidem, noſtraque gloria, quæ revera nulla eſt, non admodum laboramus: verumtamen Moralem diſciplinam, quam nos, quales demum cumque ſimus, in hanc lucem afferimus, quis pati poſſit tam acerbe accipi, & velut inter ipſas litterarum quiſ- Suet. in Calig. c. 46.

quilias amandari? Siccine morum ac vivendi magiſtra turpiter jacebit, aut etiam iis locum cedet diſputationibus, quæ inani cogitatione verbiſque futilibus circumſcribuntur? Quid ita eſt de genere hominum male merita, ut cultores quærere precario debeat, neminemque unum inveniat, cujus ingenio & auctoritate ſuſtentetur? Tibi ſe hodierna luce commendat, Princeps Eminentiſſime, cujus tanti intereſt Moralia ſtudia in Epiſcopali ditione florere, ut ipſa ditio ſine illis nulla futura ſit. Interim vero habe, quid nos poſſimus: ac ſi nihil aliud, hoc tamen proba, quod iter optimum ingreſſi ſumus.

GRATIARUM ACTIO.

SOcrates, ut ſcribit Plato, in diſputationibus ita verſari ſolebat, ut cuperet inferior potius, quam ſuperior diſcedere; quod ratione victus, falſis opinionibus, ſiquas animo comprehendiſſet, liberaretur. Tanto hoc propoſito exemplo, nihil mehercule doleo, quod me toties in hoc certamine ad abſurda declinantem ſapientia veſtra revocaveritis; nec turpe exiſtimo ab iis vinci, qui pro eorum commodis pugnant, qui vincuntur. Et me igitur victum a vobis fateor, & ob id ipſum ingenti beneficio obſtrictum: quæ ſimplex atque ingenua debitionis confeſſio non ſolum ad referendam gratiam, ſed etiam ad ineundam aliquo modo valere debet. Niſi forte ii vobis grati videntur, qui confecta demum pugna, Muſas excitant, quæ ſibi epinicia canant, & abeuntes tamquam ad coronam comitentur. Nos ſi

quas

quas agere aut habere grates poſſumus, primum agimus & habemus, quod non infra dignitatem veſtram putaveritis nobiſcum manus conſerere; deinde quod victos profligatoſque in fidem tutelamque veſtram acceperitis, ſeu potius jam acceptos retinueritis.

DISPUTATIO XVII.

Ad S. Scripturam.

PROOEMIUM.

PUblicæ diſputationes ad veritatem detegendam primum inventæ, neſcio qua Dialecticæ artis depravatione ſuperioribus annis degenerarunt, & a rerum dignitate ad verborum pugnas & contentiones adductæ ſunt. Cum enim olim qui tamquam ſtudiorum exactores advocabantur, plures ſubinde difficultates proponerent, nullaque verecundia impedirentur, quin una ſoluta, ad aliam tranſirent, graviſſimum fiebat ingeniorum experimentum; totique coronæ, abſoluto certamine, apparebat, non quanta ſubtilitate ac volubilitate verborum eſſet, qui reſponderet, ſed quanta ejus ſcientiæ intelligentia, de qua ſibi reſpondendum propoſuiſſet. Verum poſteritatis levitate factum eſt, ut non videatur ex dignitate ejus qui interrogat, a prima difficultate diſcedere; & inanibus verbis ac ſophiſmatis rem ducere præſtet, quam alio confugere, & novo argumento adverſarium tentare. Sed concedamus hoc ſcholaſticis exercitatio-

tationibus, in quibus nihil fere niſi acuminis gloriola quæritur: dominentur ibi vulgaria formularum monſtra, perterrefaciendis adoleſcentibus inventa: eſto in eo campo victor ac triumphator, qui quod ſemel propoſuit, ad finem uſque velitando ſuſtinuit; & multiplici verborum conformatione idem dicere ſexagies potuit. Aliud quiddam nobis in S. Scripturæ ſtudio inſtitutum eſt; totaque hujuſmodi exercitatio in eo conſiſtit, ut ejus ſenſa quam optime & quam planiſſime explicentur, multiſque ſimilibus allatis confirmentur. Ceterum nihil laboramus, utrum argumenta dialectico artificio contorta ſint; utrum loco uno noſtra cum ſententia conciliato, alius omnino novus & a primo diverſus afferatur; utrum difficultates difficultatibus colligatæ ſint, & alteram altera tamquam filia parentem excipiat. Unum illud fatemur deeſſe nobis, quod ab ingenio proficiſcitur; quod quidem ſi rei propoſitæ reſponderet, nimium beati nobis videremur, nec tot laboribus ac vigiliis florentiſſimam ætatem frangeremus. Quod ſi in hac virium infirmitate plus juſto audere videmur, reputate, non nos quidem de nobis judicare, ſed ejus parere judicio, qui rerum noſtrarum arbiter divino conſilio conſtitutus, non ſtudia modo univerſa, ſed ſingulorum contentiones pro ſua prudentia & auctoritate moderatur.

GRATIARUM ACTIO.

TRia ſunt, quæ beneficium ornant & amplificant, is qui dat, id quod datur, & is

is qui accipit; quæ ſingula magnam mihi injiciunt agendarum gratiarum difficultatem. Nam, ut ab ultimo incipiam, is ego ſum, in quo nulla erat promerendi cauſſa; id vero accepi, quo uno ad famam & exiſtimationem nihil eſt majus, hoc eſt præſtantiſſimorum virorum præſentiam, &, niſi me amor fallit, favorem quoque. Verumtamen qui beneficium contulere, non valde me ſollicitum habent; quippe etſi plurimum mereantur, nihil tamen ſolent pro ſua benignitate poſtulare. Juvat ergo a vobis beneficium accipere, Viri ornatiſſimi, qui præter debitionis profeſſionem nihil inſuper requiritis. Hoc vobis glorioſum eſt, tantoque glorioſius, quanto pauciores ſunt, qui gratis hoc tempore benefaciant. De te vero tibique quid dicam, Præſul Illuſtriſſime, cujus præſentia & judicio tantopere lætantur Muſæ noſtræ? Unum illud veriſſime dicam, quod multarum laudum inſtar erit, effeciſſe te ſapientia & humanitate, ut ille ipſe rebus noſtris adeſſe videretur Princeps Eminentiſſimus, qui unice optari poteſt ac debet.

DISPUTATIO XVIII.

Ad Philoſophiam.

PROOEMIUM.

QUi de valetudine ſcribunt, ii fere ſtudiorum ac litterarum oſores, nos tamquam male ſanos accuſant, quod diebus ferventiſſimis non ſolum

lum non ceſſemus, ſed etiam operam laboremque intendamus. Videlicet non intelligunt, noſtras has exercitationes adeo nihil incommodi habere, nihilque moleſtiæ, ut & a Latinis ludi, & a Græcis σχολαὶ, hoc eſt otia, ſint appellatæ. Quod enim incommodum eſſe poteſt in tecto concluſoque loco, & ad ſolem arcendum præclare comparato cum lectiſſimis viris ſedere, de rebus pulcherrimis conferre ſermones; ingenioſas diſputationes audire, modo Poetæ optimi, modo Oratoris, modo Philoſophi cogitata percipere, ſine ulla denique aut certe ſine magna corporis contentione inſitum a natura diſcendi deſiderium ſuaviſſime explere? Numquid, ni ita eſſet, tam multa ingenia, tamque præclara minimam quamque invitationem acciperent, tanto ſilentio ac favore adeſſent, ne ipſum quidem interrogandi, monendique officium recuſarent? Vobis enimvero injuriam faciunt, nobiliſſimi Auditores, qui noſtrum hoc conſilium damnant talibus ſuffragiis probatum: niſi quod qui ita loquuntur, ſibi ipſis potius injurii ſunt, quod oſtendant, non modo ſe litteratos non eſſe, ſed omnino quæ ſit litterarum ratio ac natura, qui locus ac tempus, ignorare. Quamquam mihi quidem nihil aliud quærendum eſt, quam quid jubeat Princeps Eminentiſſimus, cujus auſpicio ſtudia noſtra reguntur: neque enim aut ille jubere poteſt, niſi opportuna, aut nos incommodum reputare debemus, quod ipſe nobiſcum patientia tam inſigni ſuſcipiat. Illud unum hodierna exercitatione moleſtum fore video, quod ab hac ingenioli mei infirmitate manabit: ſed tamen ſiquam vim ac ſigni-

gni-

gnificationem habet, quod vulgo fertur, nihil ita eſſe in provincia philoſophica monſtroſum, ut omni prorſus auctore careat, videor mihi in campo tam lato poſſe aliquid, ſi minus probandum, at certe ferendum.

GRATIARUM ACTIO.

SI ego nunc veſtris ornatus beneficiis gratias agere velim, hæc ipſa beneficia non ſatis cognoſcere videar; aut mihi plus aſſumere, quam vel ætas, vel ingenium, vel exiguus hic dicendi uſus pati poſſit. Silere autem me neque loci conſuetudo ſinit, neque mehercule ſi ſineret, ipſe mihi tantæ debitionis conſcius quieſcere poſſem, & ſine ulla mei in vos ſtudii atque obſervantiæ ſignificatione diſcedere. Ergo quam benevolentiam in ipſo certamine adhibuiſtis, ſola voluntate niſuque contenti, eam nunc quoque ſuſcipientes, ſatis habete, me omnem prorſus gratiæ referendæ rationem perſequi, quamvis pro mearum virium infirmitate nullam aſſequar. Id ego te in primis oro atque obſecro, Princeps Eminentiſſime, cujus beneficia cum plurimi faciam, doleo vel maxime nullam mihi eſſe facultatem, qua tibi voluntatem hanc meam aut privatim probare poſſim, aut in hac publica luce patefacere. Fruere virtute tua, quæ ipſa per ſe magno viro debet eſſe ſatis: ego enim, quod unum valeo, tam excellentis ornamenta animi perpetua cogitatione complectar, officio colam, prædicatione amplificabo.

DIS-

DISPUTATIO XIX.

Ad quamlibet diſciplinam.

PROOEMIUM.

SIquando nova potuit publicæ exercitationis ſpecies in palæſtram litterariam afferri, nunc certe neceſſe eſt: tum quia veteres nimio vulgatæ uſu, & interdum etiam dolo fœdatæ priſtinam dignitatem aliquo modo amiſerunt, tum quia tanta eſt eorum hominum copia, qui ſui periculum in hac luce facere cupiunt, ut niſi plures uno die producantur, quotidie civitatem commovere oporteat, & a ceteris occupationibus abducere. Ergo dimicationem illam, in qua unus verſari ſolebat, duce aliquo ejus ingenium vocemque regente, nunc tres ſubimus, ſed partem ſinguli ſuam, lateribus plane nudis, ſine Magiſtri præſidio, ac ſine illa confidentia opis, quæ alios munire conſuevit, & adverſus tela omnia, undecumque mitterentur, confirmare. Neque vero tantum audemus, ut credamus poſſe nos viris præſtantiſſimis cum laude reſiſtere; verumtamen hac ratione declarandum publice fuit, nihil minus propoſitum fuiſſe nobis, quam ut nova hac diſputandi forma difficultatem & periculum defugeremus. Nunc vero quis ita in nos iniquo animo erit, ut cum videat in hac acie adoleſcentem nulla re nixum, niſi ſuo qualicumque ingenio, non faveat humaniter, modiciſque contentus bona cum gra-

tia

tia dimittat? Id quidem ab omnibus, ſed a te in primis ſperamus, Princeps Eminentiſſime, qui ut nos viresque noſtras perquam exiguas optime noſti, ita aliud nihil poſtulas, niſi ut ſatis animorum ſit ad res difficillimas ſuſcipiendas.

GRATIARUM ACTIO.

SI, quod Ariſtoteles ait in ſecundo Rhetoricorum libro, verecundum eſt ſæpius beneficium ab eodem accipere, quanta nos obrui verecundia debebimus, qui vos tam ſæpe logis noſtris obtundimus, & rerum minimarum judices conſtituimus? Enimvero ſi perturbatio hæc, quam etiam virtutem nonnulli putarunt, laudabilis in juvene eſt, habemus abunde, de quo nobis ipſi gratulemur: ſin autem ne ipſa quidem, quod ex vitio oriatur, culpa caret, videtis quo loco ſimus. Sed nimis hæc philoſophice: valeat Ariſtoteles; potiuſque nos officiorum magiſtro Ciceroni tradamus, qui animi eſſe ingenui putat, *cui multum debeas, ei plurimum velle debere*. Quo plura in nos confertis, eo plura expectamus: nimirum quod ipſi vos beneficia veſtra ornare debeatis, nec aliter ornari poſſint, quam ſi novis beneficiis cumulentur. Hoc vero tu ne monendus quidem es, Princeps Eminentiſſime, niſi quod, ut Ovidianis verſiculis utar, ad Famil. l. 2. ep. 6.

Qui monet ut facias, quod jam facis, ille monendo Triſt. 5. el. 14.
Laudat, & hortatu comprobat acta ſuo.

DIS-

DISPUTATIO XX.

Ad quamlibet Diſciplinam.

PROOEMIUM.

OMnes fere, qui in arenam deſcendunt adoleſcentes, ſuarum virium periculum publice facturi carmen illud obſoletiſſimum præfari ſolent, magno ſe timore percelli, nec ultro accedere, nec ſatis pro negotii gravitate paratos. Quæ omnia quamvis ex uſu dicant, non quod ita ſentiant, attamen reipſa ſæpe probant, vera eſſe, quæ dixerint; & in magnam invidiam magiſtros adducunt, quod Icaris iſtis alas adjecerint; eoſque, nondum ſatis firme repentes, volare coegerint, ut, multis impune ridentibus, deciderent. Itaque ego non diffiteor, periculum hoc, quantumcumque eſt, quod ſentio quam ſit grave, hoc, inquam, periculum totum me ſuſcepiſſe ſponte mea, alacriter, promte, animoſe ſuſcepiſſe: quod non credo tamen ab ullo repehendi poſſe, niſi ab eo, qui putet, ætatem hanc laudis ſtimulo carere oportere, tamdiuque in umbra deliteſcere, donec
Quinctil. l. 10. c. 5. annis extruſa, quemadmodum Porcio Latroni contigiſſe ferunt, ſolis novitate hallucinetur. Aio etiam, me tantum mihi præcepiſſe temporis, quantum ad rem difficillimam comparandam ſatis eſſe duxi; nihilque omiſiſſe diligentiæ, nihil laboris, aut ſtudii, quod publica experimenti ratio poſtulare videretur. Quod non ita a vobis accipi debet,

bet, ut mihi egregium aliquid præſtandum ſit, cum de induſtria polliceri poſſim, de ingenio non poſſim. Fere autem contingit, ut in hujuſmodi certaminibus plus multo natura valeat, quam diligentia; quia plerique non tam ſæpe animadvertunt, quid dicatur, quam quo ſpiritu ac voce dicatur. Verum quemcumque tandem exitum habitura res ſit, ea me primum cogitatione conſolabor, quod mihi ipſe non defuerim; deinde quod eorum me judicio commiſerim, qui res æſtimare prudentiſſime ſolent. Noli, Princeps Eminentiſſime, tantam hanc adoleſcentis fiduciam condemnare: nam cum mihi potiſſimum ob ea, quæ dixi, neceſſaria eſt, tum omnibus noſtris turpe exiſtimo, quippiam timere, te patrono. Hac ego fretus publicum diſputandi periculum ſubeo, non valde reputans, quibus viribus, quove ingenio, ſed tantum quibus auſpiciis ſubeam.

GRATIARUM ACTIO.

SI quam magno cœpi animo, tam etiam magno perſequi cœpta potuiſſem, jam non ego vobis gratias agerem, ſed vos mihi potius pro veſtro in bonas artes ac litteras ſtudio aliquam gratiam haberetis. Non enim dubito, quin libenter audiatis quidquid in hac urbe veſtra ad juventutis eruditionem inſtitutum eſt, quoties judicetis, non fucum vobis fieri, non ſcruta venditari, non picas produci. At cum in ipſa acie multo mihi majus periculum fuerit, quam procul aſpicienti ante tubas appareret, ſentio me vobis ingenti beneficio obſtrictum, quod leviter bla-

blaterantem in re graviſſima æquo animo tuleritis, nec ſilentium modo, ſed favorem quoque ore nutuque veſtro præbueritis. Scilicet hæc ſumma noſtri hujus cæli ac ſoli felicitas eſt, ubi homines ad humanitatem facti, litterarias omnes exercitationes boni conſulunt, nihil ab ullo requirentes, præter conatum & voluntatem; ut non ſolum in primis ſubſelliis, ſed etiam in ſecundis, ac tertiis, qui ordo eſt rerum omnium, aliqui ſedeant. Tibi vero, Princeps Eminentiſſime, ſi me excuſem, profecto videar imponere voluiſſe, quaſi vero non tuos noris; minimeque ſcias, quantum quiſque noſtrum in iis diſciplinis, ad quas tuo ſe judicio contulit, præſtare poſſit.

DISPUTATIO XXI.

Ad quamlibet Diſciplinam.

PROOEMIUM.

SI quod eſt ab ingenua timoris profeſſione præſidium, id certe nobis debet eſſe paratum, qui hac in re omnino fingere nequivimus, callidoque verborum artificio animi ſecuritatem obtegere. Nihil de ſchola dico, quæ, utcumque malevoli criminentur, certe poſtrema non eſt: at nos qui ſumus, bone Deus, ut cum lucem hanc aſpicimus, non valde timeamus? Putatiſne fieri poſſe, ut tam notæ infirmitatis adoleſcens in hoc ingenii ſui judicio criſtas tollat, fidentiam oſtentet, ſibi blandiatur? Attamen perſonam hanc ipſi no-

nobis imponunt principum ſcholarum proceres, qui præteritis diebus ex hoc loco diſputantes, cum ſe in omnem timoris humilitatem abjecerint, aut abjectos ſignificaverint, illud eſt reliquum, ut nos tenuiſſimi homines audere incipiamus, & in locum ab illis deſertum commigremus. Adſumus igitur animorum fiduciæque pleni: abeant veteres illæ querelæ de nimia gravitate loci, de rerum difficultate, de judicum ſupercilio; nihil de temporis anguſtia doleamus, nihil de virium tenuitate; nulla ſit ne minima quidem timoris ſignificatio; ſileatur indecorum illud ac frigidum verbum, metuo. Viri ſumus. Vos facite, Auditores, pro veſtra humanitate, ut alii, qui deinceps accedent, exemplo noſtro ſpiritus ſumant, majorique alacritate mandata veſtra capeſſant.

GRATIARUM ACTIO.

Ultimus hic labor eſt: quin munera, Gratia, fundis?
 Ut laudetur opus, ſi pote, claude bene.
Tum Dea trina mihi: Quid numina noſtra fatigas?
 O bone, verborum deſine, munus erit.

FINIS.

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A

Abgari litteræ. pag. 160
Aborior minus recte adhiberi ſolet. 435
Aboriſcor quid ſignificet. 435. Vox dubia. ibid.
Academici toti in diſputando. 246
Actio Oratoria. 398. & ſeqq.
Admodum perperam adhibetur pro *valde*. 432
Adoleſcentes nobiles non tam multum, quam multa diſcere debent. 86
Adriani Imperatoris dictum. 298
Adventus Chriſti. De ejus anno opiniones. 158
Ægyptii ſorores ſibi matrimonio copulabant. 133
Æſopi Apologi. 172
Ætates linguæ Latinæ. 27. & ſeqq.
Alexandri Severi Imp. patientia. 502
Alvarus. 7. 9. 10. 17
Amo ad multos ordines verborum pertinere poteſt. 9
Anna Angliæ Regina. 122
Annales Pontificum. 152
Antalcidæ dictum. 440
Antonius Orator num aliquid ſcriptum reliquerit. 433
Arcades ante lunam orti. 9
Archelaus jus a natura abdicat. 133
Ἀντικείμενος quid ſignificet. 410. & ſeqq.
Ἀντίστροφος quid. 411
Ariſtoteles non omnia præſtare debet, quæ ſcribunt Ariſtotelici. 308. & ſeq. Ab eo recentium Philoſophorum doctrina manat. 304. & ſeqq. De ejus obſcuritate. 521. Stagirita a quibuſdam dicitur ad contemptum. 277. convicia in eum jaciuntur. 288. argumentandi locos primus invenit. 447. ejus principia philoſophica. 81. Ejus dictum. 541
Ars cogitandi num Logica ſit. 244. & ſeqq.
Artopta quid ſibi velit. 421. & ſeqq.

Aſi-

Aſinii Pollionis de Livio judicium. 436
Aſtrologia & Aſtronomia quomodo differant. 194
Aſtrologiæ nomen perperam circulatores ad ſuas technas trahunt. 525
Attilæ edicta contra Latinitatem. 273
Aurelianenſis Dux. 331
D. Auguſtinus. 382

B

Barbadicus Gregorius Card. 206. 210. 228. 443. 449
D. Baſilii de Poetis judicium. 180
Bellum non impedit ſtudia litterarum. 274
Bembus Petrus. 408. & ſeqq.
Benedictus XIII. 338. 340
Beneficia unde dignitatem accipiant. 536. & ſeq.
Bibliopolæ alia ac viri docti debet eſſe ſcientia. 56
Boſſuetus. 351
Brevitatis laus. 184. & ſeq.

C

Caccia Jo. Maria Epiſc. 355. 356
Caligulæ pugna adverſus conchas. 533
Callimachi dictum. 46
Cæſar cur interfectus. 297
Canalis Hieronymus. 326
Capellus Leopoldus Abbas S. Georgii. 361
Caragianus Nicolaus. 360
Carneades Roma ejectus. 67. quomodo bilis impetum temperaverit. 156. ejus dictum. 12
Carolus VI. Rom. Imperator. 223. 335
Caſibus nomina unde indita. 10
Catechiſmus. 524
Cenſor graviter delinquit etiam in minimis. 164
Chronologia hiſtoriæ ſcopulus. 158
Chymica myſteria e S. libris petita. 139
Cicero ſolœciſmis non caret. 7. Proæmiorum volumen habuit. 329. Ejus locus nunc primum explicatus. 433. Cur Juriſprudentiæ ſtudia contemnat. 137. Ejus dictum de beneficiis. 541
Cilices furta probarunt. 133
Clemens XI. 290
Cloacinus, vox Scioppii. 11

Clericus idem ac litteratus, 273
Condonare multa oportet. 500. & ſeqq.
Conſuetudo verborum domina. 8
Cornelii Cardinalis funebris laudatio, 240. Vita. 215
Cornelius Joannes Dux Venet. 207. 217
Corneliorum gens Poetis favit. 183
Corrarius Patriarcha Venet. 218
Craigii Joannis Theologiæ principia Mathematica. 197
Criticorum regulæ. 159. Prima minus certa. 160. & ſeq.
Criticum ſtudium periculoſum. 155. Quam multa requirat. ibidem 156. & ſeq. Laudandum 277. & ſeqq.
Criticus non debet eſſe injurioſus. 280
Curæ hominum ridendæ. 436
Curio. Judicium de ejus eloquentia. 63

D

DEmocriti atomi. 68. variæ de ejus vita, & morte opiniones. 458
Demoſthenes octies Thucydidis hiſtorias deſcripſit. 14. ejus ad ſtudia litterarum vigilantia. 481
Deponentia verba non probantur omnibus. 63. 64.
Διάγνωσις Medicorum. 314. & ſeqq.
Dialectica in quo conveniat cum Rhetorica. 232. & ſeqq. In quo differat. 63. 255. & ſeqq. Hoc proprium eſt artis nomen, & quid ſignificet. 245. Alia *docens*, alia *utens*. 254. & ſeq.
Dialectica ſtudia adoleſcentibus moleſta. 82. 83. Conveniunt cum ſtudiis Grammaticis. 518
Dialecticus quis. 64
Dicæarchi liber. 152
Dicere recte facilius, quam facere. 88
Diogenes Cynicus. 170. Deos accuſat. 507
Diſputationum publicarum vitia. 535. & ſeq.
Divinandi ars a quibus culta. 518
Divitias qui contemnit, major, quam qui habet. 227
Domitilla Flavii Clementis uxor. 416
Duodecim tabulæ toti præſtant Philoſophiæ. 137

E

ELocutio Rhetoricæ propria. 72. & ſeq.
Eloquentia tribus diſciplinis conſtat. 205. Ejus partes

tes quot. 61. Quænam potiſſima. 62. Quænam difficillima. ibid. Oratores facit. 64. 65. Convenit cum Dialectica. 232. & ſeqq.
Epicurus cur Poetis infenſus. 179. Ejus Philoſophia. 180
Epiſcopi quidam ſcribendi artem ignorarunt. 273
Equeſtris ſermo. 406
Eruditionis debet eſſe modus. 49
Eruditio quid. 98. 99
Ethnicorum Dii pro cujuſque libidine conficti. 503
Exemplum argumentatio quo tendat. 261
Exercitatio dicendi alia, alia contemplandi. 91

F

FAbella de adoleſcente ſomno dedito. 495
Fabularum uſus. 172. & ſeq.
Fabulæ ſuavius capiunt, quam nuda præcepta. 173. & ſeqq. Docent ſine periculo. 176. Fallaciæ excuſationes & effugia. 468
Felicitas vera in quo poſita ſit. 506. Improborum neque vera, neque diuturna. 505
Fernelii laus. 199
Ferrarii Octavii κοινόμος ex multorum librorum lectione. 51. 52. Ejus opinio caſtigata. 422
Ficus cujus generis & declinationis. 10
Figuræ & ſchemata verborum unde ſint. 8. 453.
Fluida in corpore humano quam difficile judicentur. 316
Forma Peripatetica num ſit ſubſtantia. 307. & ſeq.

G

GEometricæ figuræ ad ſpeciem adhibitæ. 201
Gerundia quibus probentur, & improbentur. 10
Geſtus Oratoris qualis eſſe debeat. 401
Gorgias Leontinus, & alii Sophiſtæ quo ſpectarent dicendo. 67
Gothi & Langobardi etiam extra patriam ſuas leges tenere voluerunt. 144
Gothi litterarum ſtudia damnarunt. 273
Grammaticus ſermo qualis ſit. 7. 13. 453
Græcæ linguæ dignitas, & utilitas. 444. & ſeqq.
Gravina Vincentius. 300
Guarini Veronenſis rudimenta. 54

Gymnaſium Patavinum, 224

H

HEbraicæ linguæ præſtantia, 125. & ſeqq. Ejus addiſcendæ facilitas, ibid. & ſeq. Ejus uſus & neceſſitas, 120. & ſeqq.
Heraclitus, 454. & ſeq.
D. Hieronymus, 114
Hiſtoricum ſtudium ad omnes pertinet, 149. & ſeqq. Non tamen Criticum. ibid.
Hiſtoricorum veterum vitia quædam. 157
Hiſtoria apud omnes nationes culta, 152. Ejus ad diſciplinas comparandas utilitas, 153. & ſeq.
Hiſtoriæ ſacræ ſtudium quam difficile, 158
Homerus in quo laudatus, 178. Cur ab aliquibus reprehenſus, 84. Præſertim a Seneca, 178. Cur a Platonis rep. expulſus. 179
Horatii locus explicatus, 409
Humanitatis nomen ad Rhetorica elementa translatum, 44. 58.

I

IGnava adoleſcentia nihil turpius, 489. & ſeqq. Ignaviæ commoda. 491
Ignavus adoleſcens deſcribitur, 493. & ſeqq.
Imitari quid ſit. 56
Imperandi incommoda, 460. & ſeq.
Imperatoribus Romanis non eſt collata regia auctoritas, 296. & ſeq. Quomodo legibus tenerentur. 100. & ſeq.
Imperſonalia verba, 10
Innocentius XIII. 209
Inductio argumentatio Dialectica, 260. & ſeq.
Inſcriptio antiqua L. Scipionis, 22. Duilii, 23
Jocandi ratio arte non comparatur, 98
Joannellus Cajetanus Epiſc. 351
Joannellus Benedictus S. Palatii Magiſter, 354
Iſocrates. 46. 66
Judicia ſecundum leges patrias ferenda. 142. & ſeqq.
Jugurthæ reſponſio ad Saluſtianam Micipſæ Orationem, 463
Juriſprudentia unde orta. 134. Romanorum propria. ibid. Ejus

Ejus ſtudium Clericis convenit. 530
Jus utrum in natura, an in opinione hominum poſitum ſit. 133
Juvenalis locus explicatus. 421
Juvenes non ſunt apti ad res philoſophicas. 68. & ſeq.
Ne ad morales quidem. 176

L

LAcedæmoniorum mos in colligendis Senatorum ſententiis. 109
Latina lingua toto orbe diffuſa non comparatur ex Grammaticorum libris. 1. Ejus præſtantia. 13. Ejus neceſſitas. 442. Ejus ortus, interitus, & inſtauratio. 19. & ſeqq.
Latini Scriptores in ſuas ætates diſtributi. 27. & ſeqq.
Latinitas non ex ſingulis particulis, ſed ex toto genere judicanda. 414. Quid ſenſerit hac de re Muretus. 419
Latinæ jurandi formulæ in Græcis fabulis recte adhibitæ. 405
Latinus ſermo certis legibus comprehendi non poteſt. 7. & ſeq. Ejus laus. 442
Lectio præceps parum juvat. 55. 56
Leges variæ pro vario hominum ingenio. 135
Leges Græcorum pugnant inter ſe. 26
Leges XII. Tabularum. 21. 137.
Leges Romanæ ad omnem civilis adminiſtrationis formam documenta ſuppeditant. 138. Iiſdem opera danda, ſed ſuis vivendum. 133. & ſeqq.
Lex Regia. 294. & ſeqq.
Lex Romuli. 20
Lex prima Tribunicia. 21
Lexica non omnia continent, quæ ad linguarum ſtudium requiruntur. 120. 121
Libri quomodo legendi. 56
Librorum tituli. 283
Librorum multitudo. 46. & ſeqq.
Liber magnus magno malo ſimilis. 46
Licinius Imperator litteris infeſtus. 476
Linguarum veterum ſtudium neceſſarium 120. 123
Lingua vernacula explicandæ diſciplinæ ſunt. 117
Lingua Italica labore comparanda. 290
Lipſii judicium de Bembo. 54

Litterati non debent latere. 481. Eorum mores. 475. & ſeqq.
Litteræ arteſque nunc valde auctæ. 289. & ſeqq.
Livio obiecta Patavinitas, & quid ea ſit. 436. & ſeqq.
Locare quid revera ſignificet. 426
Logicæ nomen. 235. & 245. Probationes ab ea petendæ. 236. Ejus cum Rhetorica conjunctio. 237. & ſeqq. Diſcrimen. 254. & ſeqq. Sola cogitandi arte non continetur. 245. Quomodo a Cicerone definita. ibid. Tota eſt ab Ariſtotele. 306
Lucina Latinis eadem atque Ilithyia Græcis. 405. & ſeq.
Ludovicus XIV. Galliarum Rex. 221
Lux num ſit corpus. 309
Lycurgi duo. 150

M

MAgna de parvis, parva de magnis facere, cujus facultatis ſit. 66
Maſſagetæ promiſcuas uxores habuere. 133
Mathematica ſtudia Clericis non interdicenda. 189. & ſeqq. Philoſopho neceſſaria. 190. & ſeqq. Eorum certa cognitio. 193. & ſeq. Sacrarum rerum ſtudioſis opportuna 195. & ſeqq. Interdum nimia. 195. & ſeqq.
Manilii locus explicatus. 262
Martialis locus explicatus. 406
Maria Virgo. 383
Manus quam partem habeant in actione Oratoria. 402
Materia Peripatetica quomodo principium Phyſicum ſit. 307.
Medica judicia. 313. & ſeqq.
Medici perperam ſe Phyſicos dicunt. 317
Medicus non debet eſſe Mathematicus. 199. & ſeq.
Medicorum calliditas. 314. 318
Mehercule, particula quomodo adhibenda. 404. & ſeqq.
Memoria theſaurus a Tullio dicta. 47
Menenii Agrippæ fabula ad plebem conciliandam. 172
Metaphyſica tota Ariſtotelis eſt. 310. & ſeq.
Minerva Sanctiana. 10
Moralis inſtitutio magis a Poetis, quam Philoſophis petenda. 166. & ſeqq.
Moralis Theologia. 527

Mors improviſa non ſemper eſt infortunium. 229
Moſaici libri non ſunt fontes rerum omnium. 139. Antiquiſſimi omnium. 153
Multitudo etiam rerum optimarum nocet. 49
Muretus quantum licere putet latine ſcribenti. 419
Muſellus Franciſcus Archipresbyter. 363

N

Naris emunctæ homo, num recte dicatur. 409
Navigationes inſignes. 291
Nepos quam cognationem deſignet. 413. & ſeqq. cur de prodigis dicatur. 419
Neutra verba qui non admittant. 11
Nota pro adnotatione vox latina non eſt. 427
Numerus Orationis ad aurium ſenſum judicandus 15. & 16.

O

Obedientia imperio digna. 440. & ſeqq.
Oculi quam partem habeant in actione Oratoria. 402.
Orator quomodo differat a Dialectico. 63. 64
Oratores Attici, Aſiani, Laconici. 65
Oratori neceſſaria Geometriæ cognitio. 201
Otium adoleſcentibus fugiendum. 474. & ſeqq.
Otthobonus Petrus Card. 341
Ovidii locus illuſtratus. 414

P

Paradoxa Philoſophorum. 178
Patavinis objecta ſeveritas. 437. De eorum ſtudio erga Pompejum. ibid.
Patavium litteræ arteſque confluxere. 289
D. Paulus Poetarum dictis utitur. 180
Paupertas ad litteras impedimentum. 477. & ſeqq.
Pedes quam partem habeant in actione Oratoria. 403
Peripatetici ubique Ariſtotelem obtrudunt. 86
Perſæ filias in matrimonium ducebant. 133
Petrus II. Luſit. Rex. 116
Petrarcha. 26. 58

Perſpicuitas prima Oratoris virtus. 47
Philippus V. Hiſpaniarum Rex. 332
Περίγνωσις Medicorum. 317. & ſeqq.
Philoſophia trifariam diviſa. 304. & ſeq.
Phædri Fabulæ. 173
Philoſophia quo tempore fuerit a Rhetorica diſtincta. 78. Cur aliquando contempta. 93. in tres partes diviſa. 302. & ſeqq.
Philoſophia hiſtorica adoleſcentibus tradenda. 80. & ſeqq. Juvat ad Poetarum interpretationem. 84. Quibus præſertim addiſcenda. 85. 86. 92. 93.
Philoſophorum principia. 82
Philoſophorum veterum habitus, & deliramenta. 169. & ſeq.
Philoſophorum recentium dogmata a Græcis derivantur. 305. & ſeqq.
Philoſtrati locus dubius quomodo legendus. 416. & ſeq.
Piſanus Aloyſius Venet. Dux. 218. & ſeqq. 343. 345. 347.
Piſanus Hermolaus. 227. 344. 348
Piſanus Carolus. 225
Piſanus Andreas. 348
Piſtores quandiu Roma abfuerint. 423
Plancus Janus. 386
Plato cur Poetis infeſtus. 162. Ejus ideæ. 89. Ejus judicium de Mathematica. 191
Plauti *ſuppoſita* latini hominis ſunt. 415. Eorum ultima ſcena Plauto ipſi adjudicanda. 16. Plauti locus explicatus. 405
Plinii locus explicatus. 423
Plinii de copia librorum judicium. 57
Poeſis initia. 68. Scientiarum parens. ibid. Quomodo a Philoſophia ſejuncta. 169. Ejus ſuavia monita. 171. In fallendo poſita. 465
Poetarum lectio adoleſcentibus commendata. 180
Polyanthea. 50
Polyglotta. 514
Polycleti canon. 12
Populo imponere facile eſt. 465
Populi nomen quos comprehendat. 467
Populus Rom. libertatis præter modum cupidus. 296
Præjudicia multa in Philoſophia unde. 88. 89
Præterita verbis in *Or* non omnes tribuunt. 11

Prin-

Principum virorum vita miſera. 440
Priſcianus caſtigatus a Valla. 10
Prudentes Romæ quinam dicti. 36
Pueri quamprimum ad claſſicum Scriptorem ducendi. 5. Nimia præceptorum copia obruuntur. 6. Plus memoria, quam ingenio valent. 47. Pejora, & magis colorata probant. ibid. Fabulas ſequuntur. 168
Pythagoræ monas. 90. Ejus dictum. 182. Quos auditores admitteret. 191. Sophiſta dictus. 240

Q

QUæſtiones inanes, 81. 192. 248. Obſoletæ. 123. Recentium Summiſtarum. 247
Quinctiliani locus explicatus & illuſtratus. 415. Ejus ætas, doctrina, fortunæ. ibid. Ejus querela de nimia ſermonis latini religione, 419
Quirinus Cardinalis, 361

R

REprehendere jucundum eſt, ſed minus tutum, 459. & ſeq.
Rhenus quid ſignificet apud Perſium. 424
Rhetoris cura præcipua. 60. & ſeqq.
Rhetoricæ termini. 63. Ejus differentia a Dialectica. 64. 255. & ſeqq.
Rhetorica propago Civilis ſcientiæ. 256
Roma omnes reipub. formas experta eſt. 138
Romani minus, quam Græci, contentioſi. 279. Regium nomen in primis odere. 296. & ſeq.
Ruzzinus Carolus Venet. Dux. 225

S

SAnctius, 10
Scaliger, 12. 13
Scholaſtica Philoſophandi ratio, 192
Schvvartius Conradus. 433
Scioppius imperſonalia non admittit. 10. Varia de eo judicia. 11. Alios reprehendit. 13
Scripturæ Sacræ ſenſus e veterum linguarum ſtudio eruendus. 113. & ſeqq. Magna ejuſdem cum Theologia affinitas. 113

Scri-

Scripturæ Vulgatæ laus. 516
Seminarium Patavinum. 213. 443. 449
Seneca non ſibi ſapuit. 177. & ſeq. Homero dicam impingit. 178. Superos accuſat. 506. Mathematicis ſtudiis infenſus. 197. Item Logicis. 247. Ditiſſimus cum eſſet, paupertatem laudabat. 477. & ſeq.
Septuaginta Interpretum Biblia. 118. 119
Septuplum in Vulgata explicari nequit ſine Arabo interprete. 121
Severitas defenditur. 502
Simulatio quid boni habeat. 468
Socratici quomodo viverent. 100
Socratis dictum de publicis diſputationibus. 534
Solida in corpore humano quam difficile judicentur. 316
Solæciſmus accuſatus. 450. Defenſus. 452
Solon Sophiſta dictus. 240
Solonis *νόμοι*. 135
Sophiſtæ veteres in honore habiti. 240. Ex quo invidia laborarint. ibid.
Stilus cuique proprius. 330
Stilus cujuſmodi eſſe debeat. 51. Diverſus pro cujuſq. natura. 65
Stoici arcana ſectantur. 247. Captiones amant. ibid. Inopes in dicendo. 64. Eorum inſtituta cum Chriſtianis inſtitutis conſentiunt. 506
Summuliſtæ. 246
Supina non probantur omnibus. 10
Sylla felix. 506
Syllogiſmus argumentatio Dialectica eſt. 260

T

Tacitus quomodo hiſtoriæ ſuæ fidem quærat. 417 ejus locus celebris. 161
Tarditas impugnata. 496. & ſeq. Propugnata. 499
Taſſi Torquati de Caſæ Epigrammate judicium. 65
Thales Philoſophiæ inventor. 87
Theologia non poteſt carere hiſtoria. 154. Theologia Scholaſtica. ibid. & 155
Theologus eſſe nequit uni ſectæ addictus. 108. Debet eſſe probus. 97. & ſeqq. Ejus peccata multis nocent. 104. Incredulus cenſetur. 96. 99
Theophraſti affectatio reprehenſa a muliercula. 438
Ti-

Tiberii Imperatoris dictum. 298
Topica pertinent ad Dialecticos. 255. & ſeq. Cur ea Rhetores tractent. 257. & ſeq.
Tribonianus. 295. & 296
Tranſitionum formulæ in Oratione. 427

V

VAlla reprehenſus a Petro Ramo. 10. Item a Ramirezio. 11
Varro analogiæ exactor. 8. Porcus litterarum dictus a Palæmone. 11. Antiquitatem affectavit. 13
Venetarum Legum laus. 144. 145
Verba barbara, vel minus latina. 69. & ſeq.
Verborum modi quot. 10
Verris Epiſtola, qua Ciceronem ab accuſando deterret. 472
Vigilantia ſtudioſis adoleſcentibus neceſſaria. 492. & ſeqq.
Vinnius Arnaldus difficultatem quærit in jure. 529
Vita Philippi a Turre Epiſc. 391. & ſeqq.
Vox Oratoris qualis eſſe debeat. 400
Urbanitas quid. 98
Urbis commoda. 487. & ſeq. Ejuſdem incommoda 485. & ſeqq.
Vulgata S. Bibliorum Editio cur antelata latinis omnibus. 119. Per hanc aliarum linguarum Editionibus detractum non eſt. 120. 121. 124. Ejus laus. 516

Z

ZAzzeri P. Magiſter. 358
Zeno Citticus omnia crimina paria facit. 142. Quid ab eo Seneca ſumſerit. 247. 506
Zendrinus Bernardinus. 384
Zeno Eleates bilinguis dicitur. 239. Dialecticam quomodo ſeparet a Rhetorica. 244
Zeuxis qua arte pulcherrimam mulierem pinxerit. 87. Ejus ſuperbia. 485

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google